6
37-b
5

6
19 D
38

6-37-b-5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXI. C. 9

PETRI CUNAEI,

Eloquentiae & Juris Romani quondam in Academia Batava Profeſſoris,

&

DOCTORUM VIRORUM

AD EUMDEM

EPISTOLAE.

Quibus accedit

ORATIO

In obitum

BONAVENTURAE VULCANII.

Nunc primum editae

cura

PETRI BURMANNI.



LEIDAE,

Apud PETRUM VANDER Aa,

Typographi Urbis & Academiae.

MDCCXXV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

VIRIS AMPLISSIMIS ET NOBI-
LISSIMIS

PETRO CUNAEO, J. U. D.
URBIS LEIDENSIS SENATORI ET CONSULARI, NUNC AD SPLENDIDISSIMUM COLLEGIUM, QUOD AMSTELAEDAMI CURAM CLASSIUM ET RERUM MARITIMARUM AGIT, LEGATO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JACOBO ADRIANO CUNAEO, J. U. D.
ET SUPREMI TRIBUNALIS, QUOD HAGAE COMITUM BRABANTIS, DITIONIS BATAVICAE, JURA REDDIT; ASSESSORI.

CELEBERRIMI PETRI CUNAEI EX AMPLISSIMO VIRO

JOANNE CUNAEO,
NEPOTIBUS.

Digitized by Google

ET

CONRADO RUISCHIO, J.U.D.
SENATORI LEIDENSI ET CONSULI, ARCAE ACADEMICAE PRAEFECTO, ET OMNIBUS FERE IN HOLLANDIA DIGNITATIBUS ET HONORIBUS SUMMA CUM INTEGRITATE ET LAUDE PERFUNCTO, AMPLISSIMORUM CUNAEORUM, PER MATRIMONIUM CUM SANCTISSIMA MATRONA,

MARIA CUNAEA,
AFFINI.

S. P. D.

PETRUS BURMANNUS.

DE-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

DEDICATIO.

Tria potiſſimum omnibus, quos fortuna plebi obſcurae & inerti exemit, ornamenta, quibus non modo inani jactatione, ſed vera etiam laude & gloria ſe efferre poſſunt, eſſe conſtat. Praeclaro & domi nobili genere ortum, majores poſſe oſtendere, qui de publica & privata re bene meriti, poſteris aditum ad ampliſſima quaeque ambienda & conſequenda munera aperuerunt, primarium jure habetur. Gentilitium deinde decus & nomen dignitate ſemper nova & honoribus ampliſſimis augere & amplificare, & inter cives primum locum tenere, ſecundas ferre, nec tam inter fortunae dona, quam virtutis inſtrumenta eſſe merito exiſtimatur. Relictam tandem a majoribus, & ſuis meritis partam gloriam & ſplendorem, indulgentia Fortunae & opibus ampliſſimis tueri, & liberalitate & munificentia omne hominum genus demereri poſſe, cumulum omnibus animi & corporis bonis addere conſuevit. Quae ſingula & univerſa cum ſummi numinis benevolentia in Vos, Viri Ampliſſimi, plena & larga manu contulerit, quis non jure beatos & fortunatos praedicare debet? Sed licet illa egregia, & partim naſcendi ſorte, partim gentis veſtrae induſtria vobis contigerint, non tamen eo nomine Vos tanto opere celebrandos eſſe exiſtimo, quam quod in tanta ſplendoris, honorum & fortunarum copia inſignem illam animi moderationem ſemper exhibuiſtis, qua Divinae benignitatis donis non ſoli frui, ſed cum omnibus communicare propoſuiſtis, & vitam ipſam non fortunae & caeco caſui, ſed rationi & ſapientiae regendam commiſiſtis. Non enim Thrasones illos, qui ſtemmata ſua, magnae quidem dignitatis & opulentiae majoribus, ſed qui extra domum, aut certe

patriam nomen nullum habent, implere ſolent, imitari amatis, aut pulchrum & glorioſum eſſe ducitis, inanibus titulis, & per ambitionem aut gratiam in priores collatis honoribus ſuperbire. Exiguo enim temporis ſpatio circumſcripti mortales, cum ſui aevi hominum oculos ſpecie gloriae, & magiſtratuum ſplendore praeſtrinxerunt, omnem ſaepe vitae gloriam ſecum ſepulchro inferunt, nec famam aut memoriam ſui, niſi inter gentiles & poſteros, per domeſticos commentarios, propagant. Majus & ſolidum magis decus in poſteritatem defluere, & feliciores eſſe creditis prognatos ex talibus, qui ingenii excellentia, & eruditionis copiis, non modo ſupra cives ſuos eminuerunt, ſed ita caput altius ſupra ipſos reipub. principes extulerunt, ut licet omnes faſti intercciderent, & privatorum diurna acta abolerentur, ex communi tamen totius patriae ruina ſupereſſent, & nomen & famam in omnes gentes & ſecula extenderent. Ex divitiis vero & omnium rerum abundantia, quae alia honeſtas & exiſtimatio ſperari poteſt, niſi ars illis fruendi, liberalitas, & in viros bonos & bene meritos munificentia, unicum amplae pecuniae uſum & fructum eſſe poſſeſſoribus perſuadeat, ſi illa non in arca ſtranguletur, ſed in non indignos prolixe & libenter erogetur? honores etiam & magiſtratus, ornamenta tantum eſſe fortunae, non virtutis praemia ſatis conſtat, niſi inde uberrimus fructus ad alios defluat, nec illuſtres haberi, qui imperio aut poteſtate efferuntur, niſi ad communem ſalutem, & bonorum commoda, animum intendunt. Qui vero rationes a republica ſejunctas habent, licet in dignitate poſiti videantur, vulgares potius & viles, quam bonorum & optimatium numero habendos, ſapientium omnium opinione dudum eſt confirmatum. Adſurgunt enim illis quidem, & ad adventum eorum

rum excitantur, plebs viatorum & accenſorum, & pullatorum turba de via decedit, ſed nemo bonus eos Senatores aut Conſules ducit, qui ſibi tantum & familiae ſuae proſpiciunt, & alios, quos iniquior ſors ad humilitatem depreſſit, prae ſe contemnunt. Ex horum turba, Vos Viri Illuſtres, indoles ſub fauſtis nutrita penetralibus exemit, & mens alta & ſemper in commune bonum intenta, generis ſplendorem, fortunarum amplitudinem, & ſummos, quos geritis, honores, non alio loco habere & reputare ſolet, quam ſubſidia virtutis, & inſtrumenta bonitatis, per quae beneficentiam veſtram ad omnes non indignos pertinere judicatis. Licet vero, Viri Ampliſſimi, ea natalium felicitas, & fortunae benignitas Vobis tam laeta auſpicia dederit, ut ſi de generis, quod ab utriſque parentibus trahitis, ſplendore certandum eſſet, paucis in patria noſtra cedere deberetis, praecipuam tamen veſtrae familiae nobilitatem in eo poſitam eſſe profitemini, quod inter majores, ſummum ingenio & eruditione virum, PETRUM CUNAEUM jactare & oſtendere poſſitis. Qui cum omnibus animi & corporis bonis ita ornatus & inſtructus ab ipſo naturae habitu eſſet, ut ad quamcumque reipubl. partem ſe applicare voluiſſet, egregium patriae rectorem, & tribunalibus judicem exhibere potuiſſet, ſingulari tamen animi in literas propenſione, tranquillitatem Academicam, & honeſtiſſimum, nec ſine dignitate otium, Curiarum moleſtiis & forenſibus turbis praetulit. Certe non minus ſe civibus ſuis conſulere, immo ipſi poſteritati proſpicere putavit, ſi omnes ingenii vires intenderet, ut ad primariam Patriae noſtrae Academiam magna frequentia confluentem juventutem, recti bonique artibus, & politi ſermonis cultu erudiret, & formaret, quam ſi aut ambitione

ablatus, vel lucri, ſaepe turpi, cupiditate allectus in civiles turbas & factiones ſe conjeciſſet, aut inter rixantes de ſtillicidiis, finibus aut ultimis voluntatibus jura reddidiſſet. Non purpura ſaepe renovata, non repetiti faſces tantum umquam decoris *Cunaeae* genti addere, neque nomen familiae extra Bataviae fines proferre potuiſſent, quam quidem immortales illi ingenii foetus, qui & materiae dignitate & pondere, & ſermonis nitore & elegantia genium quemdam victuris ſemper libris conciliarunt, & ab omni interitu & oblivione *Cunaeum* nomen vindicarunt. Licet autem multum hodie decoris & exiſtimationis, non tantum literas & bonas artes profitentibus, ſed ipſis honeſtioribus ſtudiis deceſſerit, & perverſa hominum judicia, qui omnia vel lucro vel potentia in repub. metiuntur, multum dignitatis ordini Profeſſorum detraxerit, Vos tamen, Viri nobiliſſimi, qui res ipſas non ad vulgi opinionem aut popularem ſenſum, ſed veritatem & juſtum pretium exigere conſueviſtis, pulchrum ſemper & glorioſum eſſe praetuliſtis, ex Avo tali deſcendere, qui non, ut ſaepe fieri ſolet, per prenſationem & gratiam in Academiam irrepſit, ut commodum & facilem victum ex declamatoria vilitate & Profeſſoria lingua pararet, ſed in quo uno Academiae noſtrae ſpiritum ſuum & vitam fuiſſe poſitam, omnis ſemper Eruditorum ordo exiſtimavit. Qui fiducia ſtudiorum neminem prenſare, nec ſe proſtituere umquam ſuſtinuit, ſed qui cum adoleſcentiam, doctrinae inſigni ſpecimine edito, probaſſet Muſarum Praeſidibus, in hanc Provinciam miſſus, & benevolentiam ſummam procerum expertus, ita ſpartam ſuam ornavit, ut cum paucis ſemper penes eum regnum Eloquentiae & Juris prudentiae fuiſſe ſit creditum. Qui denique tot judiciis & decretis Curatorum Academiae ho-

neſta-

neſtatus fuit, ut praemiis & commodis amplioribus nemo magis ornatus fuerit. Ad cujus domum & acroaterium tanta vis diſcipulorum ex omnibus Europae partibus confluebat, ad ſapientiae & diſerti ſermonis praecepta haurienda, ut commune Patriae oraculum haberetur, & invidiam reliquis doctoribus, qui inter deſerta ſubſellia in vaſta ſede inani conatu vocem exercebant, ſaepe faceret. Cujus ſcripta, omni melle dulciora, & Ciceroniano lepore & Attico ſale condita, quicumque legerit, hunc unum fuiſſe fateatur, qui ſermonis politi dote & ingenii divitiis artes indotatas & jejunas locupletare & ornare poſſet. Si vero in omnibus, quae ad vitae humanae commoda, & publicas privatasque res promovendas pertinere videntur, judice Cicerone, primas ſemper tenuit Eloquentia, pacis & otii ſocia, & bene conſtitutae Civitatis alumna, ſecundas vero ſibi vindicarit Juris, & aequitatis, quae vincula ſunt reipublicae, prudentia, in utraque primas tuliſſe CUNAEUM nemo, niſi invidiae & obtrectationis ſtudio occaecatus, hodie negare ſuſtinebit. Nam & ſummis Oratoribus eum ſemper aequavit communis eruditorum conſenſio; & prompta illa & facilis, nec minus tamen nitida & elegans dicendi vis & copia, non modo olim ſubſellia & judices commovebat, ſed in ſtuporem, quoties ex cathedra Academica verbis ad audiendum jucundis, & ſententiis ad evincendum, quod intendebat, accommodatis tonabat, auditores rapiebat. Hanc ex divini ingenii viribus collectam laudem, & numquam, dum ſtudiis honor conſtabit, emorituram quicumque gloriam, velut legitimam hereditatem, ad poſteros tranſmiſit, nae ille mihi in gentem, etiam antea minus nobilem, regiam quamdam dignitatem & amplitudinem intuliſſe videtur. Hi ſunt tituli, haec genti-

litiae nobilitatis inſignia, quae praecipuis & perpetuis, etſi omnes alii (qui tamen ſunt ampliſſimi,) honores abeſſent, ornamentis *Cunaeam* ſtirpem ad ultimam ſeculorum memoriam honeſtabunt. Et unde, quaeſo, niſi ab hoc fonte, derivatam illam, qua Vos, Viri Ampl. inſignes habemini, benevolentiam & voluntatem eſſe dicemus, qua Academiam noſtram & juventutis Doctores ſemper complexi fuiſtis, niſi quod imaginem illam Avi veſtri ſemper oculis, & animo obverſantem venerari ſoleatis? Quis noſtrorum Procerum, (ſine ulla obtrectationis ſuſpicione dicere hoc mihi liceat,) quis Magiſtratuum majori ſtudio a Togatorum Collegio colitur & obſervatur? Ullosne mihi, aut certe paucos, praeter hanc Muſarum alumnam & tutricem gentem oſtendetis, quos majori honore & cultu, ut patronos artium & doctorum Maecenates ſuſpiciunt & admirantur Academiae Leidanae Antiſtites? Cujus purpurati, aut Senatoria dignitate ſplendentis viri, in tota urbe domus magis aperta & hoſpitalis, placidis doctorum virorum numinibus, Muſis, quae in lares *Cunaeos* & ſancta illa antiquae diſciplinae penetralia, velut in portum ſe recipere gaudent & triumphant? Quantam vero in te, PETRE CUNAEE, gentis tam praeclarae principe, cum nuper Urbis noſtrae Conſulatum, diu quidem debitum meritis, ſed in aequiora reipubl. tempora frementibus bonis delatum, gereres, experta eſt humanitatem & favoris ſignificationem univerſus Profeſſorum ordo? quam obvia & expoſita omnibus comitate quotidie, duris laboribus & catenatis occupationibus defatigatos, literarum cultores reficere & recreare ſummam tibi voluptatem eſſe oſtendiſti? Quam prolixe, nos lucubrationum fumis ſaepe enectos, & ſcholarum tenebris & faetore ſqualentes, amaeniſſimis ſub-

ſuburbani praetorii viridariis, xyſtis & ambulationibus ſaepe renovaſti, & omnes ſcholaſticae provinciae moleſtias, vultu bono, frugum exquiſitiſſima copia, & fragrantiſſimo etiam Liberi flore diluere nondum ceſſas? Tantam denique morum & ingenii in te facilitatem non omnes modo cives tui, ſed in primis docti & eruditi, qui in te CUNAEI, Avi tui, ut nomen, ita & imaginem venerantur, experiuntur, ut neminem, ad cujus ſuaviſſimos ſermones, & vivendi ſocietatem ſe libentius applicent, & apud quem laborioſae & plenae negotiis & moleſtiis vitae taedia deponant, noſcere ſe fateantur. Tu vero, Ampl. JACOBE ADRIANE CUNAEE, licet ab ipſa ſede Muſarum ampliſſimi muneris, quod ſuſtines, procuratio te abſtraxerit, & totum te litibus, quae ad Forum & Conventum Brabanticum, qua eſt Foederatorum juris, referuntur, dijudicandis impenderis, nullam tamen bene de literatis merendi intermittis occaſionem. Ego certe, quotieſcumque tui ſalutandi aut videndi facultas mihi obtigit, numquam non eximiam erga literas & ſtudia voluntatem, & bonos & honeſtos adjuvandi ſtudium defuiſſe deprehendi. Et quamvis merita tua, quibus me quoque praeter ceteros devinxiſti, multa commemorare poſſem, malo tamen id in Te laudare, unde ad rem noſtram ſive publicam, ſive literariam magna commoda brevi reditura augurari libet. Praecipuum enim aliquid praeter Fratrem & Affinem, quo tuum & *Cunaeae* gentis decus non modo conſervare, ſed in longam poſt nos memoriam extendere poteris, Te habere gaudemus. Solus ex ampliſſima familia prole beatus, non degenerem, ſed qui in prima juventute jam magnum ſpondet virum, nobis in diſciplinam dediſti PETRUM filium, in quo eam ingenii felicitatem, eam laboris & induſtriae contentionem non e-

go

go ſolus deprehendi, ſed omnes, quibus operam dedit, magiſtri uno ore laudant, ut cum ad metam ſtudiorum, quam jam fere tangit, adſpiraverit, eas cum promturum opes doctrinae & ingenii felicis omnes ominemur, quae in bonum reipub. & Academiae ornamentum, & Urbis Leidenſis gloriam & decus, uberi copia redundabunt. Te vero, Ampliſſime RUYSCHI, cujus uxor MARIA *Cunaeorum* ſoror, matrona ſine exemplo, conjux, cum qua ſine querela a primis juventutis annis ad proximum hunc annum vixiſti, & cujus pietas, diligentia, beneficentia, largitas, & omnes quae ſexum illum ornare poſſunt virtutes, totius patriae ore & linguis celebrantur, ſed quae nuper domum tuam matura quidem ſibi, ſed Tibi, & amicis omnibus nimis properata morte inceſtavit, Te, inquam, RUYSCHI, qua grati animi & tot officiis & beneficiis devincti ſignificatione compellabo? quo ore, qua dicendi copia, ſi jam mihi aliqua vis dicendi adeſſet, tua benefacta & merita, non modo in patriam, quam univerſam fere, per omnes eniſus honorum & dignitatum gradus, quos quidem Ampliſſimi ordinis viri conſequi poſſunt, amplexus fuiſti, ſed in literas noſtras, in Academiam, & Muſarum antiſtites congeſta celebrabo & expromam? Nemo certe, non dico noſtri ordinis, qui vulgo Doctiſſimi titulo inſignitur, ſed vel pervulgato tantum cultu literarum commendabilis, inveniri poteſt, quem non ſingulari comitate & benignitate complecti & fovere ſoles. Domum tuam & atrium, quaſi Muſis & Gratiis ſacratum templum, ſemper literatis patentia, & Profeſſorum ſalutationibus ferventia, Bibliothecam ſelectiſſimis libris inſtructiſſimam, & omnium uſibus recluſam, videmus celebrari. Ad focum etiam & menſam, lautis & mundis,

dis, licet non damnoſis aut nepotinis, dapibus ſplendentem, aſſidentes Togatos, & Platonicis epulis, quae in poſterum etiam mentem alant, ſatiatos quis non praedicare beatos inter Leidenſes conſuevit? Nec perdere horas & tempora, ut ſaepe inter inſulſorum congerronum nugas & loquaces fabulas ſe cogi literati dolent, ſed omnes illas veſperas lucrifeciſſe ſe profitentur, quas in ſuaviſſimo tuo convictu ſibi componere conceditur. Quam non renovati, & refecti, ad publicos & privatos ſe referre labores feſtinant Profeſſores, qui ab ore tuo, Neſtoreum mel deſtillante, pendere; & inter cibum exquiſitiſſimum, & laetitiae auctorem Liberum patrem, jocis literatis & lepore Attico temperatos ſermones tecum commutare, primariam & praecipuam felicitatem, quae eruditis Leidae magna quidem urbe, ſed tamquam in ſolitudine quadam ſaepe viventibus, contingere poteſt, eſſe credunt. Cum enim tanta jam temporum, quibus omnia in pejus labuntur, ſit perverſitas, ut non modo mediae plebis juvenes, ſed in primis, qui ex familiis illuſtrioribus genus trahunt, dedecorari vitae elegantioris cultum artium bonarum ſtudiis & profeſſione paſſim & multifariam jactent, nec infectos & inquinatos ſcholaſticis nugis ad rempublicam gerendam eſſe accommodatos, quis non interiorum literarum cultor Te admirari & ſuſpicere in animum inducat, & ad nullum inter Patriae noſtrae moderatores libentius ſe adplicare gaudeat, quam ad eum, qui eruditis ſermonibus & ipſe delectatur mirifice, & materiem ſemper novam meditationibus doctorum praebere poteſt. Adoleſcentiam enim & primos juventutis annos, ſub diſciplina ſummorum in unoquoque diſciplinarum genere magiſtrorum, ita ad omnem humanitatem & elegantiam conformaſti, ut ſi non domeſticus Te generis ſplendor,

dor, & virtus ad ſummum inter honoratos reipublicae proceres gradum vocaſſet, inter eruditos facile tueri potuiſſes locum. Artibus deinde bonis excultum ingenium, & moribus ad omnem nitorem compoſitis cum decoraſſes, ut vim illam a natura inſitam, & doctrinis confirmatam, uſu rerum & recti cultu promoveres, per omnes humanioris Europae partes circumvectus, ex ſingulis gentibus illa tibi tantum delibanda propoſuiſti, quae vel ad privatae vitae ſplendorem, vel ad publicam utilitatem poſtea exſerere poſſes. Relictis etiam unicuique genti ſuis vitiis & maculis, quarum contagione trahi ſe plurimi noſtrates patiuntur, nihil niſi literaria ſpolia, & honeſtiſſimarum artium, Architectonices, Picturae, & Muſicae, quibus nos haud dubie a multis gentibus vincimur, ſpecimina domum retuliſti, ut inde in penetralibus tuis Theſaurum, exteris ſpectandum, amicis vero tuis, & harum deliciarum cupidis, quaſi proprium exſtrueres. Quem Tu numquam aperire & exponere inſtituis, quin ſimul eruditis, & mira feſtivitate conditis narrationibus, pretium & uſum ita commendare ſoles, ut Docti, quos ſors iniquior, & fortunae malignitas intra patriae fines ſuae concluſit, in rem praeſentem venire videantur, & venerandae antiquitatis reliquias, quas ex libris ſolum ſupereſſe in aliis partibus orbis didicerunt, nunc oculis aſpicere & manibus tractare gaudeant. Neſcio equidem quam ceteris ſuaviſſimae illae itinerum a Te juvene emenſorum adficiant commemorationes; de me liquido adfirmare poſſum, ſemper ſitientem & anhelantem ad limen tuum feſtinare, ut ex Te, tamquam uberrimo & numquam exareſcente fonte, aeſtum illum omnia penitius & accuratius, quae de Italiae antiquae gazis nobis inde reduces narrant & ſcribunt, inſpiciendi ſedem & exſtinguam.

guam. Neque umquam magis de rapaci temporis curſu, & veſperarum etiam hybernarum brevitate conqueri ſoleo, quam cum ſerior me hora a doctiſſimis & ſuaviſſimis tuis colloquiis divellit. Non praedicabo nunc beneficia; nec omnia, quibus me Tu, & tota *Cunaeorum* Gens, ſemper proſecuta eſt, officia, quae non tunc demum, cum ſedes in hanc Academiam & Urbem transtuli, mihi ſemper conſtiterunt, enumerabo. Nam repetenda illa eſſent, ab ipſa mea fere pueritia, cum per Fratrem meum Vir. Ampl. *Carolum Crucium*, vobis non modo longa collegii ſocietate, ſed a primis annis conciliata amicitia, conjunctiſſimum amicum, *Cunaeae* & *Ruiſſchiae* familiae ita ſum traditus & commendatus, ut inter illarum cultores & clientes jam nomen meum a longo tempore profeſſus fuerim. Sed ut fere omnia, ex quibus decus & nomen aliquod mihi acceſſit, magno illi praeceptori, & alteri velut parenti, *Graevio*, me debere lubens fateri ſoleo, ita hoc quoque nomine gratiſſima eſſe ſolet tanti viri memoria, quod ut magnis & principibus viris adoleſcentiam meam commendandi occaſiones nullas ſibi elabi pateretur, ita me quoque Tibi meliori de nota conciliandum eſſe exiſtimaret. Memini enim, neque umquam dies ille albo notandus calculo effluet, quo ad eum, ampliſſimo *Bleiswyckio*, Academiae hujus Curatore, comite Ultrajecti inviſeres, & hoſpitali ſenis feſtiviſſimi comitate mirum in modum delectareris, me quoque quaſi Deorum epulis adhibitum, nectare illo & ambroſia ſummorum & doctiſſimorum virorum ex penu depromtis, ita fuiſſe ſaturatum, ut in omnem deinde vitam ejus guſtu frui potuerim. Immo jam tunc ex eo deſponſatum mihi favorem tuum & gratiam fuiſſe poſtea expertus ſum, cum Te Conſule, & in primis auctore, in hanc Academiam

miam evocatus, eam benevolentiae praerogativam ſentirem, in qua omne dehinc mihi praeſidium & decus eſſe poſitum colligerem. Tua certe amicitia & familiaritas, omnes fere moleſtias, & tot relictarum caritatum deſideria, quae ſaepe reſpiciens in patriam animus renovabat, ex pectore delevit. Ne vero haec quis blandius aut ambitioſius dicta, & Gnathoni, qui locupletiorum coenas captare, quam domi eſurire praeoptat, non liberalium artium Profeſſori convenientia eſſe calumniari poſſet, non fateri pudebit, & publice praedicare; numquam me ideo Regibus uti voluiſſe, ut ventrem, quem domi ſatis paſcere poſſum, implerem, ſed ut laborum taedia, quae ſuboriri ſolent, honeſta quadam relaxatione abstergere liceret. Neque umquam ita me in literis contentiones & labores placere potuerunt, ut ex muſeo ergaſtulum facere, aut in ſolitudine vivere ſapientis & docti unicum argumentum haberem. Valeant & ſibi placeant Timones illi, qui in ſcholis & lucubratoriis conclavibus regna & imperia ſibi fingentes, ab omni ſe cultiorum hominum coetu ideo ſegregant, ut de reliquo humano genere, ſi non palam male dicere, certe iniquius exiſtimare ſibi licere tuto putent. Forum, Curiam & ſuperba potentiorum civium limina, non minus his lucifugis vitare conſuevi. Et cum illis licet miſeros eſſe cenſeam, quos vel miniſterii vilioris obſequia, vel utilitatis mutuae ratio, in potentium comitum numero conſpiciendos facit; non tamen faſtidioſe umquam circulos, convivia, confabulationes, aut etiam in ſuburbana praedia & viridaria excurſus refugi; ſed temporis, quod ſtudiis & muneri publico debeo, ut quiſquam rigidiſſimus exactor, fatigatus ſaepe & exhauſtus, omnia honeſtae & politae vitae delectamenta circumſpexi; & non modo principum virorum in conſuetudine omnia

mnia taedia laborioſae vitae & catenatarum occupationum me diluere, ſed etiam perſonae, quam ſuſtineo, ornamenta non vulgaria inde ſemper acceſſiſſe deprehendi. Hanc vero vivendi (vel ut ita dicam, convivendi) rationem non modo non voluptate ingenti, ſed nec uberrimo fructu, qui non in mea ſolum ſtudia, ſed & publica commoda redundat, carere, ſi non ex multis aliis argumentis evincere liceret, certe PETRI CUNAEI avi veſtri, Viri Ampl. Epiſtolae facile perſuadebunt: Tam longi enim temporis cuſtodiâ, ut jam de iis omnis fere ſpes eruditis, qui ſemper CUNAEI eloquentiam & ingenium ſummis laudibus extulerunt, decolaſſet, cohibitas, quaſi aeternis tenebris damnatae eſſent, quid quaeſo, in ora hominum protraxit, niſi inſignis illa & praedicanda ſemper veſtra, Viri Ampliſſimi, humanitas, qua mihi, & ſimul omni literato orbi, ſcrinia *Cunaea* reſeraſtis, & theſaurum illum elegantiae, venuſtatis & mundiſſimae dictionis cum omnibus communicare permiſiſtis. Scitis, Viri Ampliſſimi, quantis laetitiis inceſſerim, cum primum eas mihi inſpiciendas & legendas praeberetis; quam faciles vero, & non magna ambitione fatigati, omnè eas evulgandi jus in me tranſcripſeritis, ego ſemper agnoſcam, & grata ſemper commemoratione pro viribus celebrabo. Ad quos vero jam typis deſcriptae, ulla ſpecie aut colore, redirent hae Avi veſtri Epiſtolae, niſi ad muneris auctores, & ſi morem illum, tralatitium & publicum, tutores & patronos libellis novis conciliandi, uſurpare vellem, in quorum, quaeſo, ſinum & praeſidium ſecurius & laetius confugerent haec poſtuma Auctoris clariſſimi & domeſtica documenta, niſi ad magni viri Nepotes, qui nominis claritatem, non modo ampliſſimis acceſſionibus auxerunt, ſed unicos fere ſe Mae-

cenates & deos tutelares pereuntibus Muſis praeſtant. Accipite ergo laeti & placido vultu, ad Vos, unde profecta ſunt, redeuntia dona, & in hac, quam ſuſcepi ultro & lubens, cura, etſi nullus aut ingenii aut doctrinae oſtentandae, ſed tantum fidei & induſtriae probandae locus mihi erat relictus, ſolam reddentis beneficium mentem & animum ſpectate. Credite affirmanti, qui blanditiis aut lenociniis verborum gratiam emendicare nec ſoleo, nec volo; Credite, multo plura vos de me, immo de toto orbe literato, meruiſſe, dum has Epiſtolas mihi edendas commiſiſtis, quam vel ego, vel omnis Eruditorum chorus oratione vel mentis gratae ſignificatione explicare queat. Utinam modo Deus Vos, Viri Ampliſſimi, non egregie modo de Republica, quam fortiter & fideliter geritis, ſed & de literis & Academia, meritos, diu perennare & nobis incolumes eſſe velit & jubeat. Utinam ſenectutis, cujus jam ſpatia ingreſſi eſtis, metas longe longeque extendat, ut ſub auſpiciis & favore veſtro literae noſtrae vigeant, ordinis noſtri dignitas & jura conſerventur, commoda & honores docentium amplificentur, diſcentium praemia & immunitates creſcant, tota denique Academia, & Muſarum hoc ſacrarium, Rei publicae & privatae fatale & ſalutare pignus, priſtino ſplendori & famae reſtitutum, ad invidiam usque vigeat & effloreſcat, & quae vel iniquitate hominum erga literas non optime animatorum, vel temporum perverſitate labefactata vel perculſa ſunt, reficiantur & redintegrentur. Valete, Viri Ampliſſimi, & Burmanno, vobis aere & mancipio addicto, favere pergite. Leidae a. d. xx. Junii CIↃIↃCCXXV.

PE-

PETRI BURMANNI
PRAEFATIO.
Aequo & benevolo Lectori.

MOri pervulgato magis, quam neceſſitati obſequens, pauca praefanda duxi, Lector benevole. De PETRO CUNAEO enim, cujus Eruditionem ſummam, & Eloquentiam divinam nemo non, qui eum novit, praedicavit, nihil habeo, quod tot elogiis virorum doctorum addam, neque de his, quas nunc demum in lucem prodo, Epiſtolis aliud edocendus eras, quam ut, quorum beneficio cum publico communicentur, ſcias; quod, Te debere Ampliſſimis viris, CUNAEI *noſtri nepotibus, ex ipſa dedicatione ſatis diſcere poteris. Hi, viri egregii, cum prolixa voluntate omnes, quas in ſcriniis poſſidebant, ad amicos a* CUNAEO *ſcriptas, & viciſſim remiſſas Literas, mihi tradidiſſent, illas inde ſeligere; quas nunc exire videris, operae pretium duxi, omiſſis pluribus, quae vel res domeſticas, & quas ſcire neminis fere hodie intereſt, complectebantur, vel ſolo verborum honore & officiorum teſtificatione abſolvebantur. Quantum vero ad literarum & artium bonarum emolumentum & ornatum pertineat, virorum inſignium Epiſtolas producere, cum ſit tralatitia omnium, qui in ſimili cauſſa laborarunt, oratio, verba hic commendandis magni Viri reliquiis perdere minime eſt neceſſe. Me certe ſemper incredibilem in modum ſingularis quaedam voluptas capit, quotiescumque ex epiſtolis non modo de eruditione & eloquentia clarorum virorum judicare, ſed in primis interiorem illorum vitam diſcere, & quid de ſui aevi viris doctis eorumque ſcriptis opinati ſunt, exiſtimare datur. Neque etiam facile quemquam reperiri puto, ex omni eruditorum copia, immo ne quidem, ex Ephemeridum, Bibliothecarum & Vitarum conditoribus, qui non data occaſione, cum illis expoſtulare ſoleat, qui premere & intra clauſtra bibliothecarum privatarum pretioſas has gazas cohibere ſtudeant. Ingentes contra gra-*

tias illis haberi ſemper videmus, qui eas orbi literato exponere & legendas unicuique dare laborant. Sed licet hic omnium eruditorum ſit ſenſus, & nemo paullo humanior non cupide eas accipiat, perpetua tamen, quae conſilia ſaepe optima diſturbat, difficultas exorandi cupidam ſolius lucri Librariorum gentem efficit, ut plurimae, quae jam collectae, & paratae oſtendebantur, virorum doctorum Epiſtolae interciderint, vel aeternis tenebris damnatae adhuc lateant. Cum enim ignaris politioris doctrinae, & literariae hiſtoriae, nulla voluptas ex hominum ſibi ignotorum commercio obvenire poſſit, & res, de quibus inter ſe contulerunt prioris aevi viri docti, ab eorum aliquando diſciplina & ſtudiis abhorreant, evenire ſaepe experimur, egregias etiam & ſelectiſſimas Epiſtolas, quas unusquisque, dum latebant, magno clamore & conviciis etiam a poſſeſſoribus depopoſcerat, ubi editae fuerunt ita jacere & negligi, ut vix emtores inveniant, niſi cum longi temporis tractu, & per totum terrarum orbem diſperſae, in tabernis reperiri vix venales poſſint. Inſano tunc quidem pretio, & eo ſolo nomine, quod Epiſtolarum titulum prae ſe ferant, animoſe comparari videmus libellos, quos recentes & praelo exeuntes unusquisque faſtidiebat. Et haec cauſſa unica fuit, cur ex ingenti Epiſtolarum, quas & ipſe poſſideo, & undique collegi, Theſauro aliquot vulgandi conſilium cum cepiſſem, neque facile Typographum, qui ſumtus in Syllogen talem excudendam facere vellet, invenire poſſem, confugere coactus fuerim ad viam vulgarem, laudabilem quidem & aequam, ſed lucripetarum fraudibus ita jam corruptam & ſuſpectam, ut metus ſit, ne & ejus brevi faſtidium ſubnaſcatur. Omnia enim, etiam rectiſſime inſtituta, cum avaritia & lucri immenſa cupido temerare & corrumpere ſoleat, & illi, qui pecuniam ad libros producendos repraeſentaturos ſponte ſe offerunt, poſtea ſe turpi mangonio in fraudem illectos, & malis mercibus hederam mendacem ſuſpenſam, eſſe deprehendant,

dant, vereor ut primarii viri, & conatibus honeſtiſſimis ſaventes, optimis libris carere, quam impoſtoribus ſe decipiendos libentius praebere malint. Non tamen umquam in animum inducere potui, ut taedio tot, quibuscum viris eruditis colluctandum eſt, difficultatum & moleſtiarum, ceſſarem, & non omnes intenderem nervos ad protrahenda in lucem, quotquot virorum, qui eruditionis & laudis gloria floruerunt, ſcripta, ad quae ullus mihi aditus pateret. Cum vero in Syllogen, quam cum maxime non ſine ingenti rei literariae emolumento me prodere credo, conjicere has CUNAEI *epiſtolas antea decreviſſem, numerus earum, qui juſtum per ſe volumen implere poſſent, me deterrebat; ipſa deinde copia Epiſtolarum, quae minime quatuor, quos promiſi, tomis comprehendi poterit, locum illis negabat. Quare cum diligentiſſimum, & qui de re Libraria non ſolum optime meruit, ſed qui ab Ampliſſimis Viris,* CUNAEI *noſtri nepotibus magnis ſemper beneficiis ornatus, eo nomine omnem illis cultum & obſervantiam detulerat,* Petrum vander Aa, *paratiſſimum ad hunc foetum magni viri ſuſcipiendum offenderem, ſtatim antequam vel fervor deferveſceret, vel ſcaevitas aliqua interveniret, licet occupatiſſimus, ad Epiſtolas has ſeligendas & ordinandas me accinxi. Potuiſſent quidem (& meritae certe erant) ſplendidiore cultu & ſpecie elegantiſſimae hae Epiſtolae ſe lectoribus commendare, ſed & hic faſtidio occurrendum judicabat vir, negotiorum ſuorum peritiſſimus; qui ut bene emi & cupide appeti poſſent, in modicum coartandum volumen eas eſſe cenſebat. viderat enim quantum, optimis etiam libris, exiſtimationis & famae detrahatur, quorum ex ſplendore chartae, typorum elegantia, characterum nitore & amplitudine, ita pretium intenditur, ut in tanta, qui quotidie exeunt, librorum copia, paucorum arcae ſufficiant in damnoſam harum mercium coëmtionem. Quis non vidit ſummorum virorum* Grotii, Voſſii, Caſauboni *& aliorum epiſto-*

larum, quas ineditas nullus non magno aere redemiſſet, aut quotidianis fere conviciis ab omni literato orbe expoſceret, tantam fuiſſe vilitatem, ut pene abjectae, & vix ſolius chartae pretio aeſtimatae fuerint. Non aliam ob cauſſam, quam quod magno numero exemplaria per omnes tabernas diſperſa, iniquo primum pretio emtoribus deterritis ſpem faciebant, brevi parvo pretio parabilia fore. Haec ſola fundi hujus calamitas, cui non aliter occurri poterit, quam ſi exemplarium modica tantum copia protrudatur, ne ex ſatietate contemptus oriatur, & quantum fieri poſſit, in minimum volumen conjiciantur Epiſtolae, ut unicuique literarum ſtudioſo, etiam non pecunioſo, facultas exigui libelli emendi ſuperſit. Fateor quidem lubens, nihil magis allicere lectorem, aut majus aliunde decus, quam ex ſplendore & nitore chartae & characterum conciliari libris, & ad poſteritatem etiam usque non modo pretium illis conſervari, ſed intendi: At in hujus generis libellis, magis publicae utilitati, quam paucorum & beatorum voluptati & cupiditati conſulendum eſſe putavi. Numquam deerunt illis, qui hoc elegantiae ſtudio, ſi non morbo, tenentur, ſumptuoſa & operoſa volumina, quae magis ornandis pluteis, & lautitiae ſplendidi domini oſtentandae, inſervient, quam ut inſtrumentorum doctrinae & neceſſariae ſupellectilis numero habeantur. Si qua vero ſit, qua minime carere poteſt vir mediocriter etiam doctus, eruditionis variae pars, ea eſt Hiſtoriae literariae intelligentia: nullus enim, qui libros tractare conſuevit, ad lectionem ſe accinget, quin antea auctoris mores, inſtituta, ſectam, munera & totius vitae curſum comperta ſibi & cognita eſſe velit; quae ſi ignoret, nec perſpicere ſe ſatis ſcriptorum ſenſus, nec voluptatem tantam ex lectione ſe percipere experitur, quam ſi omnia ante explorata habeat. Unde vero plenius edoceri de alicujus opinionibus, moribus & interiori etiam vita poſſumus, quam ex ſimpliciſſimis animi interpretibus,

ad

ad amicos & familiares datis, epiſtolis, quae mentem penitus ſaepe nudant, & alios ſaepe nobis exhibent viros, quam in magnis ſumma cum cura & diligentia expolitis operibus ſe oſtendere ſolent. Evolve modo, Lector ſtudioſe, innumeros, qui vitas clarorum virorum deſcripſerunt, auctores, & his adde Lexicorum, quorum hodie numero & mole obruimur, Hiſtoricorum concinnatores: omnem fere paginam implebunt, ſi ſuperſint, Epiſtolae ab ipſis vel ad illos miſſae: ex quibus ſolis plura ſubſidia, quam ex ambitioſis elogiis, publicarum rerum hiſtoriis, & funebribus orationibus, ſe arceſſere poſſe fatebuntur. Inſpice quaeſo, quod hodie, inter hujus generis libros, principem locum merito ſibi vindicat, diligentiſſimi Bayli *Lexicon: quos non ille libellos, viles hodie & abjectos, quot non epiſtolarum volumina perreptavit, ut neglecta & ignorata aliis Lexicographis exhiberet, & pretium ſupra omnes ejus conſortes ſuo operi conciliaret? Si Syllogen noſtram Epiſtolarum, in qua nunc edenda laboramus, ſi & has Magni* CUNAEI *epiſtolas vidiſſet, magnam ſibi acceſſionem factam ſine dubio labori ſuo gratulatus, & forte novo tomo materiam ſibi datam gaviſus fuiſſet. Nullus ergo dubito, quin optime me meritum de re literaria judicaturi ſint, quotquot elegantioris doctrinae ſtudiis capiuntur, nec faſtidium harum deliciarum & obtrectandi libido umquam efficient, ut ſi non, dum vivo & ſpiro, ab hoc ſeculo, certe a poſteritate erudita magnam gratiam initurus, & laudem etiam, quam ex tenuibus ingenii & eruditionis medicae copiis domeſticis ſperare vix licet, ex alienis ſcriptis ab oblivione vindicatis ſim reportaturus. Conſcientia certe inſtituti honeſtiſſimi, & voluntatis propenſiſſimae in publica rei literariae commoda promovenda ſemper me ſuſtinebit, cui ſi ſuffragationes cordatorum & eruditorum hominum accedant, magno me ſtimulo excitari ſentiam ad plura hujus generis, quae ad manum ſunt, ſcripta producenda, qui-*

bus

bus etſi ſolus in rem meam uti poſſem, malo tamen omnibus communia exponi, quam ut fieri ſolet, poſt fata mea diſſipari & diſperdi. Praeter vero Epiſtolas, quae per ſe ſatis placebunt, nec commendatione mea egent, in publicum ſimul nunc prodit Oratio, quam in funere Bonaventurae Vulcanii *habuit* CUNAEUS; *& propter quam variis calumniis a Theologorum, quos ſemper iniquiores expertus fuit, nonnullis fuit dilatus, quas Epiſt.* XLVIII. LXV. *&* LXXVIII. *& alibi ſatis animoſe diluit, & refutat. Diſſertatiunculâ etiam apud Curatores Academiae & alios Procĕres cauſſam ſuam egerat, ſed quae adhuc inter ejus reliquias reperta non eſt. Diſſertationes praeterea aliquas de quibusdam Juris materiis elaboraſſe ſe in his Epiſtolis (vid.* XXIII. *&* XXX. *& alibi) adfirmat, quae quidem ſuperſunt, ſed cum a noſtro inſtituto ſint magis alienae, hic producere non viſum fuit. Tu interim, Lector benevole, his fruere, & labori noſtro & ſtudio fave, & CUNAEI poſteris bene dicere ne ceſſa.* Leidae. a. d. XX. Jun. CIƆIƆCCXXV.

ERRATA IN DEDICATIONE.

Pag. 8.	lin. 28.	*delatum*,	lege	*dilatum*,
14.	15.	*me*		*mihi*

P E-

PETRI CUNAEI
ET
DOCTORUM VIRORUM
AD EUMDEM
EPISTOLAE.

EPISTOLA I.

PETRUS CUNAEUS

Henrico Henningio

Eccleſiae Middelb. Paſtori fidelis.

Mediǒburgum.

Fidem meam libero, Vir Doctiſſime. En tibi diſceptationem noſtram, quam mitti tibi petebas ſive jubebas. Eam ſi tanti eſt, lege, & judicio tuo de doctore noſtro *Arminio* utere. Sententiam ſuam vir maximus expreſſit; cui qui obloquitur Scripturae fidem tollit. & obloquitur tamen nonnemo: is nempe, qui λόγων σκινδαλμοὺς nimis amat, & dum fax etiam in meridie praefertur, tamen κα-λακύντας λημᾶ. Legatur tota ad Hebraeos & Galatas Epiſtola, legatur tertium caput Epiſtolae ſecundae ad Corinthios. Qui tria iſta, Promiſſionem, Vetus Teſtamentum, & Evangelium ubique inter ſe opponi vel ſubordinari non videt, prope eſt ut dixerim, nihil videt. Sed enimvero fatendum eſt, ea ingeniis fere noſtris annata labes eſt, ut ambitione quadam diſceptare malimus, quam vivere; &, ſi quis cautior τὰ τοῦ πονηροῦ κόμματος recudere velit, illum ſtatim damnet converſus pollex omnis vulgi. Tu, vir clariſſime, inter eos es, quos melior mens habet: qua fruere & vale.

Lugd. Bat. 22. Oct: 1605.

EPI-

· *Arminio* operam dediſſe Cunaeum, & eo praeſide propugnaſſe ſeptimam decimam quart or epetitarum Diſputationum A. 1605. & *Apollonio Scotte*, oe tempore Syndico Medioburgenſi, & *Joanni Matthiſio*, Harlemenſi Eccleſiaſtae, Græco carmine dedicaſſe, docuit nos diligentia *Crenii* tom. v. Animadv. Philol. & Hiſt. p 155.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLA II.

PETRUS CUNAEUS

Apollonio Scotto

J. U. D. Civitatis Middelburgenſis Syndico.

Medioburgum.

ASſertiones haſce Theologicas publice diſcutiendas damus, vir ampliſſime, & nomini tuo meritiſſimo eas dedicamus. ſi ſplendor veſter aut dignitas huc me vocat: ille apud omnes magnus & haec in excelſo poſita. Si virtus aut doctrina, utraque ſic ornatus es, ut familiam ducas inter gentis tuae primos. Urgent te, ſcio, majores reipubl. curae, dum ſubnixus ambulas in columnis legum & periſtyliis: Si quando tamen ex illo faſtigio per otium deſcendere tibi licet, iſtis quoque divinis ſtudiis incumbere non ſpernis, & primam quamque horam bonae menti conſecrare. Gratum igitur, ut ſpero habebis munus noſtrum, mole fortean exiguum, ſed ab animo utique commendandum, ut alia deſint, ab animo, inquam, pondus ſuum accipiunt: quem jam ante dudum cum veneratione pariter & amore probare tibi volebam. ſed volebam, non poteram. Nam (fatebor enim quod res eſt) malus me hactenus literarii ſtudii ardor abripuit, &, ut cum Homerico illo Elpenore fatum meum μικρόν τι παρειδῶν lugeam

Ἆσε με δαίμονος αἶσα κακὴ, καὶ ἀθέσφατος ἄτη.

Quare ad ſapientiae ſtudium ſero quidem & ſerio revertor, & fluentes iſtas ſolutaſque Nymphas ſeveriori Muſa ſic conſtringo, ut nequid poſthac me ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν cogant. quod ſi quis plane eas me deſerere velit, nihil agat. quin illud ſtatim Siculi vatis audiet:

ὡς πρωτεὺς φώκας, καὶ Θεὸς ὤν, ἔνεμε.

Sed haec alibi opportunius meliuſque dicentur: nunc quod inſtitui, ne mireris, vir clariſſime, ſi quid in hac materiâ tractandâ mutatum a nobis aut innovatum deprehenderis. Secedit paullum a communi illa Theologorum opinione noſtra ſententia; ſed ſecedit, non diſcedit, diverſa potius, quam adverſa.

Ecce Sacri Scriptores magno conſenſu a nobis ſtant: quorum nemo promiſſionis pactum cum veteri teſtamento, & hoc rurſus cum Evangelio confundit. & quae igitur

tur invidia eſt rei tam obſcurae facem aliquam praeferre, ad divini verbi lumen accenſam? Invident tamen nonnulli, ut ait ille, ἄτυχοι ὀξεῖς, qui ἀρχαίας τινὰς χηλῖδας καὶ μονονυχὶ εἰς φύσιν ἐπανεχθέντας mordicus defenſum eunt. Sed ipſi viderint. mihi eorum maxime placet mens, qui doctorem noſtrum *Arminium* virum eſſe doctum, virum ſapientem, virum bonum cenſent. Καὶ ὁ μὲν περὶ τούτοις τρίτους νικήσεις. Tu vero, vir ampliſſime, judicio tuo, quo multum vales, utere: & ut coërceam animum nimis ſe diffundentem, ſtudiis noſtris favere pergito. Lugd. Bat: 22. Octob. 1605.

EPISTOLA III.

APOLLONIUS SCOTTUS

Petro Cunaeo

S. P.

Leidam.

Nihil a te expectare gratius, mi Cunaee, potui, quam id animi tui ſignum, quod Theologicis theſibus, *De comparatione legis & Euangelii* dedicatis, erga me declaraſti. Rem ſpecto? quam arduum eſt illud, arbitrum adſciſci me, in alià magis arte verſatum, ſacroſanctae huic diſquiſitioni? ſiquidem & illud jucundum eſt ad vicina nonnunquam tranſire, & divinis rebus admiſceri, mihi certè immortalitatis cujuſdam inſtar habet auctorem! es quidem tu ille commendatiſſimus, cum ob veterem Parentum utriuſque noſtrum amicitiam. τὸ πρέπει τοὺς παῖδας ὥσπερ τῆς οὐσίας κληρονομεῖν; ut ille monet. tum ob noſtram quoque conjunctionem, quam Patria ſtudiaque communia vel ſummam efficiunt. Cætera, quae mihi tribuis, quibuſque cauſis te dedicandarum mihi theſium tuarum uſum dicis, amoris ea judicio magis, quam propriè tuo ponderata video. neque enim ſum, qui aliquid in me poſſim agnoſcere, quod ſecus ulli magnopere placere debeat. Sed illud cumprimis laetum ex litteris tuis obvenit mihi, quod ſeriò te jam principi illi ſtudio deditum eſſe perſpicio: & quidem ita aliis artibus linguarumque ſcientia praemunitum, ut huic uni deinceps, caeteris neglectis, poſſis incumbere. & quod dicitur Ἀπονέμειν τὸ πῆς ἀμάθης, τῶν δ' ὄναρ οὐδὲν μέλειν. Nam, quod nunc plerique faciunt adoleſcentes, probare nequeo. qui cruda admodum

Philoſophiae linguarumque cognitione praediti, ſublimes illas & quaſi praeſides ſcientias auſpicantur. fit enim ut minus iſtarum eruditi, cum ſe neceſſario tam perplexas haſce cognoſcendi ſubſidio deſtitutos vident, ut filum illud ſtudiorum, quoties nodus aliquis occurrerit, quod nulla facultas patitur, interrumpere cogantur. Id ne tibi accidat bene proviſum eſſe gratulor. Habet enim Theologia, quantum judicare poſſum, illud peculiare prae caeteris, ut quo ſublimior eſt plurium aliarum rerum cognitione, tanquam gradibus quibuſdam indigeat. His autem naviter confectis & ſuperatis, non video quid tibi in mentem venerit fatum tuum hujus aſſimulandi fato, qui

—— Scalis delapſus ab altis,
Occurrit Regi flebilis umbra ſuo.

Non ita naſcimur, mi Cunaee, caeteris ut rebus ſatis idonei, ſtatim ad ſumma quaeque poſſimus pertendere. multum aetatis abit infantibus: multum maternam linguam balbutientibus: prima quoque ſcholarum taedia ſuum ſibi tempus vendicant. ne alios referam, qui illic deficiunt, unde incipiendum eſt, quam multi ſcholarum jam excuſſo pulvere, in ſtudia quaedam ludicra vanaque dilabuntur, neque unquam emergunt? quam pauci plenâ aetate feriò id agere incipiunt, quod deinceps ſemper agendum eſt? Tu igitur humanae infirmitatis memor, cum aliis fortunam tuam compara. Vix plenâ, niſi fallor, pubertate majores, & Muſarum, ut ita dicam, ſtipatus choro, divinum illud Theologiae ſanctuarium non ſolum ingrederis, ſed propemodum obtines; & optanda tibi majora cenſes eſſe? vel me amor in te meus, mi Cunaee, multum decipit, vel magno aliquo lumine Zelandiam noſtram abs te quandoque perfuſum iri, non in vanum auguror. tu modo quem ſtudiorum inſtitiſti curſum, fac conſtanter obtineas. quotidie in oculis ſummos ad eam rem viros habes, à quibus non praecepta ſolum capias, verum & exempla doctrinae. in iis (quid enim diſſimulem?) quin principe quaſi loco D. *Harminium* cenſeam, nihil cauſae video. Adeo tanti viri ſplendor, poſtquam in illa luce Lycei Lugdunenſis verſatur, vel in has oras uſque ſeſe transfudit. Unum vellem hiſce perplexis omni miſeriarum genere temporibus non ita novandis rebus operam poneret: agit ille fortaſſe feriò cauſam ſuam: id enim malim, & quia malim, potius credam: quis enim vel opinari poſſit tam inſignem virum ingenii jactandi gra-

tia,

ria, quod mille veris modis extendere poteſt, tam in gravi re ludere, quae moveri nequit, niſi conſenſus ſaltem doctrinae noſtrae concutiatur; quod quam hodie pernicioſum ſit quis non videt? Verum ſerio licet agat, tamen cum extrinſecus hoſtilibus armis pariter & ſophiſmatis eccleſia perſtrepat, profectò etiam conſtanter ſentienti (audio vero *Harminium* in multis dubitare magis, quam diſputare vel ſententiam promere) connivendum ad levia quaedam fuerat, ne in viſceribus illa ſuis inſuper divelleretur. nedum illa niſi decretoriis argumentis (quod tamen ipſum non temere fieri debet) in diſquiſitionem adducenda (id enim a multis audio) in quibus tota niti ſalutis noſtrae contignatio non male hactenus credita eſt. Haec aliorum reprehenſionibus exacerbata, quemadmodum omnia longinquitate creſcunt, alii non ſolum emollitum, ſed nec minus acriter defenſum eunt. Ego mihimet imperavi nihil temere credere, nec ulli-dum parti accedere, denique quidquid illorum eſt, nunquam iis tam altè veſtigandis memet ingerere, ut muneris mei limites exceſſiſſe videri poſſim. nam in hiſce talibus ſanctam quandam ignorantiam, ſubtili iſtâ nimiſque exquiſitè diligenti ſcientiâ ſecuriorem ſemper exiſtimavi. tibi autem haec ſcribere, Mi Cunaee, viſum eſt, cui quo ingenium acrius eſſe novi, eo cautius ut ſit percupio. qui quanti quidem *Harminium* feceris, me judice jure feceris: ſed eorundem, quos veneramur, opinionibus nullo nobis arbitrio ſervato, tanquam brevibus quibuſdam adhaereſcere, nec verum eſſe arbitror, nec tuae prudentiae conſentaneum. Vetus illud hîc valeat, ἀνέχου καὶ ἀπέχου. nec *Harminii* omnia ſcita probanda puto, nec aliorum, praeſertim, quae hactenus valuerunt, vituperanda. Habes gratiarum non tam actionem a me, quam oſtentationem, Mi Cunaee, quas alias referam cum potero. habes non tam judicium, quam ſenſum amicè candidéque (quod inter nos ſit) expoſitum ſuper *Harminii* controverſiis. tu annitere, ut tua etiam ope quondam uſa, perrumpere caligines omnes Eccleſia, quod ſemper fecit, etiamdum poſſit. quod cum voveo, Deum Opt. Max. ſimul precor; ut quemadmodum ſtudia tua, ita & valetudinem ſecundare velit. Kal. Novembr. CIↃ. IↃC. V.

EPISTOLA IV.

PETRUS CUNAEUS

Apollonio Scotto

S. D.

Hagam.

MErita in me tua, vir Ampliſſ. tam magna ſunt, ut eorum nullam partem referendae gratiae conſequi poſſim. Senſi enim nihil eſſe tam promtum, aut tam paratum, quam in his rebus, quae ad me ornandum pertinent, ſtudium tuum & diligentem operam. Deinde quod mihi in optatis fuerat, ut praeter te, qui omnia poſſes, alium etiam defenſorem quempiam florentem gratia, auctoritate, honoribus nanciſceter, qui tecum pariter rerum mearum curam ſuſciperet; id ſumma prudentia, & judicio a te effectum fuit ſingulari. Tradidiſti enim me ampliſſimo Senatori D. *Hogerbeetſio*, qui deinde tam inuſitata erga me fuit benevolentia, ut non minus quam tu toto animo de me, deque ornamentis meis & commodis cogitaverit. ſed tibi, vir eximie, cujus praeterita multa beneficia his recentioribus meritis aucta ſunt, alio tempore, quantum pro univerſis debeam, teſtabor, ne jam magnitudine rei obruar. Nunc vero quod differri amplius non debuit, ad clariſſimum collegam tuum has literas dare viſum eſt, quibus ei gratias agerem. *Heinſius* noſter adhuc peregre eſt, & deſiderio ſuo mire me torquet. Is ubi reverſus fuerit, cauſſam noſtram in Senatu Academico aget. Metuo tamen vehementer, ne ante ferias Octobris fruſtra quid auſpicer. Ego te quaecunque porro in cauſa mea reſtant, eodem ſtudio in poſterum confido abſoluturum. Quod ut facias, more magis, quam quo te admonendum putem, rogo. Neque enim fieri poſſit, ut quae ſemel coepiſti, deſeras jam, & ipſe te retexas. Vale. Lugd. Batavorum. xv. Septemb. CIↃ IↃCX.

EPISTOLA V.

APOLLONIUS SCOTTUS

P. Cunaeo S.

Leidam.

MAluiſſem equidem ex teipſo intelligere, mi Cunaee, ſucceſſum rerum tuarum: Sed *Hogerbetius* auditum à

Van-

Vandermilio hodie mihi retulit, linguae (ut conjiciebamus, id enim ſciſcitari neglexerat) Latinae profitendae provinciam hiſce comitiis Curatorum tibi datam eſſe. quae res pro amore in te meo ſummo mihi gaudio fuit. Eaque opto ut & tibi honorem & reipub. Litterariae, prout potes, emolumentum afferat. Utinam autem vel mihi Lugdunum, vel tibi huc excurrendi quam primum occaſio detur, ut voluptatem, quam abſens capio, coram impertiri poſſim, cujus expectationi imputabis, quod haec pluribus nunc non perſequor. Caeterum de famulo quod rogaveram ut mihi diſpiceres, nolo ulterius in ea re operam ponas, & pro ea, quam hucuſque ſuſcepiſti, habeo gratiam: hic enim ſatis idoneum, ſicut videor, reperi: Cum *Trelcatio* quid egeris ſcire velim. jam enim annus, ut vides, fere eſt quod dies ſyngraphae ejus ceſſit, & frater litteris ſuis, quas heri accepi, monere inſtat ne poenam librae Flandricae, niſi ille ſuo die ſolveret promiſſam, velim negligere. quaeſo igitur etiam hanc petas, præter enim morem honeſti mercatoris pecuniam illam tamdiu debet. abutor fortaſſis humanitate tua, mi Cunaee, ſed hunc pudorem neceſſitas mea mihi imponit, noſtra familaritas excuſat. neminem enim illic alium, cui mandem, habeo, ubi autem res tuae poſtulabunt ſimilem a me operam, libenter eam me daturum tibi recipio, Benè Vale. XVI. Kal. Martii. 1611.

EPISTOLA VI.

PETRUS CUNAEUS

Apollonio Scotte.

OMnia ſumma a te conſecutus fuiſſe videbor, ſi hoc, quod noviſſime a te petii, effeceris. Id ſi jam praeſtitum a te ſit, ſane cauſa eſt, cur me fruſtra has ſcripſiſſe gaudeam. ſin forte caſus aliquis, ut fit, intervenerit, etiam atque etiam obſecro te, maxime Senator, da mihi hanc operam, et fac, ut *Mathenefius* & *Mylius* ex te intelligant, quid mihi debeatur. Non prenſo quenquam, neque ipſe me proſtituo. Sed cum magni intereſt, rationem aliquam mei nunc haberi ab iis, qui quid merear ſcire non laborant, ad te patronum meum eo, in tuam fidem me do. Equidem etſi non dubito, quin tuo hortatu Ampl.

vir *Hogerbeetſius* omnia, quæ in rem meam ſunt, ſedulo agat, tamen valde id ad meam laudem pertinebit, ſi tu quoque, cujus inuſitata eruditio in auguſta illa veſtra curia elucet, cauſam noſtram defendas, meque totum ſuſcipias. febriculoſis quibuſdam hominibus, & ineptis et putidis magnus hîc honor habetur. nos qui recta indole, vivido ingenio maxime contendimus; niſi honeſta conditione liberale ſtipendium conſequamur, reſtat ut de balneo potius deque fumo conducendo, quam de tuenda literarum dignitate cogitemus. Ego quid actum a te, Ampliſſime vir, ſit intelligam, ubi proxima Saturni die Hagam venero. Vale, magnum decus & praeſidium noſtrum. Lugd. Bat. IV. Maji. CIↃIↃCXI.

EPISTOLA VII.

PETRUS CUNAEUS

Apollonio Scotto.

Hagam.

CUm hodie caſu quodam Eccleſiaſtes tuus in oculos mihi incurriſſet, coepi cogitare de loco iſto, quem, tu recte ſenſiſti, mire intricatum eſſe. Certe Rabbinis quoque hîc aqua haeſit, qui cum alibi ſoleant ordinem dictorum & nexum anxie quaerere, multum hîc quoque ſe verſant. Ego, quae opus eſſe videbitur paucis perſcribam ἀμαθέστερόν πως καὶ σαφέστερον. Ipſum capitis initium cenſet *Aben Ezra* mire diſſonum eſſe praecedentis: niſi forte, inquit, jungatur verſui ſexto ſuperioris capitis, ubi de paupere cordato loquitur Eccleſiaſtes, quem nunc ait ex recte factorum fama majorem voluptatem capere, quam ſi unguentis eſſet perfuſus. Sed hoc minus placet. videtur enim novi ſermonis principium eſſe, cum jam a rerum vanitatibus ad conſolandum & docendum ire parat. Judaei totius Libri tres *Sedarim*, hoc eſt ordines & ſectiones faciunt. Initium ſecundae ſectionis ducunt a cap. III. vers. 13. *quin etiam omnis homo* &c. Tertium ordinem ab hoc loco Cap. VII. I. auſpicantur. Quartum ab illis verbis cap. IX. 7. *eja ede in laetitia. David Kimchi & Chaldaeus interpres* priorem verſiculi hujus partem repetunt in poſteriore ejuſdem membro. ut ſit, *melior eſt hominis fama unguentis, & dies mortis eidem homini, cujus fama & virtus clara eſt, optabilior fuerit quam dies natalis.* Qui naſci-

tur,

tur, ei ſupereſt, ut ad virtutem per multa impedimenta contendat: a cujus recto tramite facile depelli potuit. At, qui mortuus eſt, virtutis jam laudem ſolidam ſibi vendicat, quam & pepererunt ſibi pauci, & partem quidam vitio imbecillitatis humanae amiſere. caetera perſequi longum foret. Quae ſequuntur pluris ſunt. vers. 23. finem imponit ſuperiori orationi, deſcripturus porro alia quaedam vana. *Horum*, inquit, *ego omnium periculum feci beneficio ſapientiae, qua me Deus ornaverat. Dixi, ſapiam*, id eſt, jam opinione mea & aliorum videbar attigiſſe ſapientiae faſtigium, *ſed fruſtra fui. ſenſi enim longe me ab hac abeſſe* vers. 24. *remotum eſt id quod fuit*, id eſt, procul abſunt homines ab eorum, quae fecit Deus, quaeque faciet, cognitione. poſt, & *profundum profundorum* (id eſt profundiſſimum) *quis inveniet illud*? loquitur univerſim de abditis Dei operibus, quae aciem ingenii humani eludunt. Sic enim malim, quam quod Rabbini hîc ſomniant; qui ſolennia nugantur, & cenſent hîc arcana legis, aut opera ſex dierum intelligi. vers. 25. *circuivi* &c. quaſi diceret, & quanquam tam obſcura eſſet rerum notitia, ut, qui antea me nihil ignorare putabam, idem nunc pauciſſima mihi conſecutus viderer, tamen anxiè verſabam animo meo, luſtrabamque ſingula, ut quae ſapienter & cordatè, quaeque ſtultè fiunt, agnoſcerem. Duo contraria perſpicere curae habuit, ut ex utriuſque contentione, tandem ſapientiae rationem teneret. verſ. 26. *& invenio &c.* id eſt, dum conſilium meum & inſtitutum perſequor, ac utriusque cognitionem, ſapientiae & inſaniae, quaero, tandem illud inter caetera accidit, ut animadverterem *rem quavis morte acerbiorem eſſe mulierem illam, in cujus animo &c.* Nimirum, hanc etiam vanitatem, dum aliarum in hoc libro numerum recenſet, omittere non debuit, cum haec in vita hominum ſit propemodum prima. *Aben Ezra* haec de amore accipit qui homines etiam ſummos tranſverſos agit. Non errabit meo judicio, qui de muliere mala & meretrice dicta credat: quam qui deperit, pejus facit, quam qui ſaxo ſaliat, ait Comicus. Caeteri Judaei magiſtri aliter ſentiunt: quibuſdam enim *mulier* eſt haereſis & falſa doctrina. atque hoc illi pro reliqua ſua nugacitate. *Schelemo Jarchi* vero, quem ego inter Talmudicos auctores familiam ducere exiſtimo, ſi non laudandam magnopere, certe tolerabilem ſententiam affert: putat haec quippe de prima mulierum Eva dici, quae Adamo & omnibus deinceps poſte-

ris exitio fuit. Quam ille opinionem confirmat verbis illis, quae ſunt vers. 29. *Deus fecit hominem rectum*, ſingulari numero, de Adamo, cum adhuc ſolus eſſet. *mox ipſi quaeſiverunt* &c. numero multitudinis, quia jam Eva illi adjuncta fuit, a qua ad peccandum eſt pellectus. Sed hoc, ut verum dicam, ſubtilius eſt. Quare, quod ſupra dixi, potius nunc ſequar, & ſimili ratione ſequentia interpretanda cenſeo. ſic enim vers. 27. *Vide, hoc inveni* &c. pergit de mulieribus loqui. a quibus animum ſapientis avertit, ne ſe in illius laqueos induat. Pendet totus verſus ab inſequenti, cum quo jungendus eſt, *dum unum ad unum*, id eſt dum res ſingulas diligentius inter ſe conferebam, *ut invenirem rationem*, id eſt ut inde certi aliquid elicerem, *hoc inveni*, id eſt deprehendi animo & intellexi. ver. 28. *aliquid eſſe tam rarum, ut licet anxie quaeſierim, tamen non repererim*, nempe mulierem rectam. *Nam cum inter mille viros forte reperiſſem unum rectum, ex totidem mulieribus nullam repperi.* Non negat ullam rectam eſſe mulierem, ſed majorem eſſe ait hujus ſexus ſtoliditatem, quam virorum. ponatur utrimque certus numerus, hinc virorum, illinc mulierum. ſi in illo unum reperis, in hoc nulla erit, quod ſi in iſto tres quatuorve, jam fortè in hoc videbis unam. vers. 29. *Duntaxat hoc* &c. quaſi diceret, paucis admodum viris virtutem ineſſe, foeminis vero etiam paucioribus ſenſi: nam de caetera turba quod ſperem nihil eſt. omnes omnibus vitiis ſunt operti. Adeo ſunt hominum pravae mentes & coeleſtium rerum inanes. quod cum mirarer, &, unde eſſet quaererem, ſolummodo hoc reperi, hominem initio rectum eſſe a Deo conditum, ſed eveniſſe poſtea, ut ipſe ſuis commentis maliſque artibus ſe corrumperet &c. Haec ſunt, Ampliſſime Senator, quae in mentem mihi venerunt. neque vero ſatis certum habeo, an tibi ſcrupulum exemerim, qui me etiam nunc torquet. De *Junio* ita ſentire te velim, non eſſe ei fidem ubique habendam. Mihi ille non vertiſſe Biblia, ſed explicuiſſe videtur. non enim Hebraea Latinis reddidit, ut de Scripturae ſenſu aliis liberum ſit judicium, ſed ipſe, qua quidque ſit ratione intelligendum, praecipit. Tum & ſententiam, ſive ſomnium potius ſuum, involvit miris verborum ambagibus: *Pagnini* interpretatio praeſtantiſſima eſt, nuda, ſimplex, plane ad fidem Hebraiſmi. ea ſi uſus in poſterum fueris, non erit cur ſanctae linguae peritiam tibi magnopere optes. Vale, vir ampliſſime, &

de

de ſcripto tuo, fac, quod omnes erudiri a te expectant, & ſuo quaſi jure petunt. Lugd. Bat. XVIII. Juli CIↃ. IↃC. XI.

EPISTOLA VIII.

APOLLONIUS SCOTTUS

P. Cunaeo.

Leidam.

G*Rotius* hodie mecum egit de ſua Diſſertatione, mi Cunaee, quam a me habes. Et quoniam ab amicis commonitum ſe dicebat, quorumdam theologorum, quod ſane genus hominum admodum hodie irritabile eſt, judicia de eo ſcripto hujuſmodi eſſe, quaſi religionem Chriſtianam nimis latis terminis includat, rogabat me, ut eam quam primum per litteras a te vellem repetere: non tam quod aequitati tuae & prudentiae diffidat: ſcit enim mecum, quam in hujusmodi rebus uti expertus, ita circumſpectus ſis. quam quod crabronum iſtiuſmodi impetum non alia ratione melius eludi poſſe exiſtimet, quam ſi cauſa, qua irritati ſunt, aliquandiu ſilentio prematur. itaque ne ejus juſtiſſimae voluntati deeſſem, has in ipſo conſeſſu Senatus noſtri ſubito ad te exaravi. quas uti ſcio pondus apud te habituras eſſe: ita ut feſtinanter & incurioſe ſcriptis ignoſcas propter neceſſitatem, qua expreſſae ſunt, rogo. bene vale, mi Cunaee, et nos amare perge. III. Aprilis 1612.

EPI-

Conferri cum hac epiſtola debent XIV & XIV Grotii ad *Antonium Walaeum*, in quibus de hoc eodem libello agit. an vero *Ordinum Hollandiae ac Weſtfriſiae Pietas* intelligatur, quia illa ſequenti anno prodiit; an alius faetus, quem *Mileſium* mox vocat Cunaeus, quo titulo nihil prodidiſſe Grotium novi, non ſtatuo De *Pietate* Vide *Voſſii Epiſt*: XV. ad Grotium, & *Colomeſii* Biblioth. ſelect. pag. 122.

EPISTOLA IX.

PETRUS CUNAEUS

Apollonio Scotto

S. D.

Hagam.

VIr ampliſſime, diſſertationem *Grotii*. ſive *Mileſium* tibi remitto, in qua ego putidos Theologos noſtros quidquam reperiſſe miror, quod reprehendant. Adeo enim erudite & pulchre rem totam pertractavit, ut, ſi operam una conferant omnes iſti praeclari ſacrorum antiſtites, nihil tale eos magnis laboribus & multa cura extrudere poſſe exiſtimem. Qui profecto viri, dum leges ſuas & decreta ſanciunt, fines Theologiae paulo longius, quam rei natura ferret, protulerunt. Ego communis illius, quae inter Chriſtianos eſſe debet, religionis, multo pauciora capita poſuiſſem, eaque iſtiusmodi eſſe conſiderem, ut, qui nihil ultra inquireret, is & vir pius eſſe, & bene de Deo Opt. Max. ſentire videretur. Vale, vir ampliſſime. Lugd. Bat. IV. April. CIↃ. IↃ CXII.

EPISTOLA X.

APOLLONIO SCOTTO

Petrus Cunaeus

S. D.

Hagam.

VIr ampliſſime, libros noſtros de Republica Judaicâ ob hanc cauſſam non publicamus, quia cum jam pridem a nobis ſumma manus operi eſſet impoſita, noviſſime nunc ſenſimus tandem id à nobis omiſſum eſſe, quod erat in hac re praecipuum. Etenim quoniam omnem operam in juris perveſtigatione ponimus, haud recte atque ordine feciſſe videbamur, qui nihil dixeramus de jure Judaico. Itaque hic reſtat actus, in hoc elaborandum eſt. conferendae ſunt leges Quiritum cum Judaeorum legibus, ad quam rem tempore opus erit. Quoniam tamen in libro tertio egimus de veteri eccleſia Hebraeorum, quod argumentum eſt ſingulare; viſum nobis eſt eum deſcribere, & ſeorſim edere in anteceſſum. Is liber, uti in manus tuas perveniat. *D. Grotius* curabit. Ita enim nobis pollicitus eſt.

eſt. ubi acceperis, peto uti legas. Es enim tu ille, cujus judicium jure facio maximi. Pleraque ad antiquitatis hiſtoriam pertinent, ſuntque obſervationes earum rerum, quas literae nobis, & praeſertim Hebraiſmus atque Rabbiniſmus ſuppeditavere. Videbis & Theologica quaedam, ſed ita pertractata, uti decuit. ſunt enim amoena & plauſibilia: quaedam vero etiam ejuſmodi, uti reipublicae Chriſtianae, bonisque omnibus & eruditis exiſtimem profutura. Sententia quidem noſtra de Melchiſedeco praeſidium inexpugnabile addit Epiſtolae, quae ſcripta ad Hebraeos eſt. Quae autem de Cabbala diximus, omnem tollunt haeſitationem, quae naſcitur ferme ex locis parallelis. Vale, Vir ampliſſime. Lugduni Batav. 24. Februarii 1615.

EPISTOLA XI.
PETRUS CUNAEUS
Apollonio Scotto
S. D.

Hagam.

VIr Ampliſſime, quod noviſſime a te petii, id iterum te etiam atque etiam rogo. Videbor enim mihi videre ſpeciem aliquam ſurgentis laudis meae, ſi iſtud impetravero. Cum una mehercule ambulatiuncula, atque uno ſermone noſtro omnes fructus Academiae non confero. Equidem pro eo quanti te facio, quidquid decreveris approbabo. ſed tamen te quoque confido ea decreturum, quae a me intelligis maxime optari. Neſcio enim qua permotus animi divinatione, non deſpero. Lugd. Bat. poſtridie al. April. CIƆIƆCXV.

EPISTOLA XII.
APOLLONIUS SCOTTUS
P. Cunaeo.

Leidam.

LItteris tuis, quas ante dies aliquot accepi, Mi Cunaee, ideo hactenus verbis non reſpondi, quia multo minus factis reſpondere poſſum: ſuppuduit enim tantis laudibus affici me, qui ſcio cum quoad merita erga te privata, tum quoad publicas virtute, quas mihi tribuis, tantum

tum deeſſe, quantum amori tuo benivolentiaeque ſuperat ad haec de me praedicanda. ego ut ſim ille, qui ad tuam aeſtimationem aliquid conferre potuerim, quam tuo tibi Marte, nullis aliunde accerſitis ſubſidiis tam animoſe paraſti, quam glorioſe tueris? equidem agnoſco tenuitatem meam, quam ei, quam ſuſtineo, provinciae parem eſſe, votorum ſumma meorum eſt. Nam juriſprudentia noſtra (ſi qua tamen noſtra eſt) quae forenſi pulvere foedam jamdudum rubiginem contraxit, ſi ad elegantiam academicam accedat, cujus tu primas procul dubio partes ſuſtinebis, ubi hanc ſpartam ornare coeperis, non poterit non multo obſcurior deformiorque videri. quippe vulgares opiniones ſectari, & non quid verum in rebus ſit ſcrutari, ſed quid Barbaro jam ſaeculo per ſummam ignorantiam natum, hominum oleo operaque male uſorum propagine in foro radices egerit, obſervare nobis relictum eſt. illa vero aurea juris principia, ſcintillas integras mentis excutere, & doctae antiquitatis cognitionem ad juris interpretationem conferre, hoc eſt ab auctoribns ipſis eam repetere, & moribus illis, e quibus natae primum ſunt leges, comparare tibi ſoli, mi Cunaee, vel cum paucis admodum deinceps incumbit. Cui rei benè factum quod jam nunc accingeris, tametſi ſcio talem tibi copiam jamdudum ſuppetere, ut etiam imparatus in promptu habere poſſis, quod cum omnium admiratione depromas. Utinam ea nos felicitas aſpiceret, ut ſaepe tuo ex auditu domum doctiores poſſemus reverti. quod ſane, cum primum vela ſolves lectionum tuarum, quam libenter faceremus, ſi dies nobis notus, nec forenſibus negotiis occupatus eſſet. nam XVI hujus menſis, qui heſternus fuit, cum in ipſa Bacchanalia inciderit, facile ſuſpicatus ſum vobis otioſum futurum. Sed quod non niſi per occaſionem nobis propter loci intervallum licebit, ſpero *Scotiſco* noſtro, cujus te curam jam nunc gerere mihi gratiſſimum eſt, aliquando commodum fore. niſi tamen animi ardor & occaſio iis initiis, quibus nunc patientiam tuam impendis, promota, rebus te majoribus implicabit. quod ipſum, licet ex re noſtra non futurum, voveo, mi Cunaee, ſimulque omnia coepta tua optime tibi. ſuccedere ex animo opto. Bene Vale. Salutat te uxor mea. XVII. Februarii cIↃ. IↃC. XVI.

EPI-

EPISTOLA XIII.
PETRUS CUNAEUS
Apollonio Scotto.

Hagam.

REdiiſſe te ex Zelandia valde gaviſus ſum. Etſi enim vivere tecum, atque una eſſe haud poſſum, tamen fallo interdum memet ipſe, & multo magis jam te intueri atque audire, velut praeſentem, videor, cum ſic nobis in propinquo es. Equidem omnino exiſtimo te, dum apud Zelandos in otio fuiſti, abſolviſſe ea, quae de chronologorum erroribus primum coeperas commentari. Quod ſi factum eſt etiam atque etiam peto, uti ea ad me tranſmittere non recuſes. Sane enim adhuc in Flavio Joſepho omnis cura noſtra ſtat. Quem auctorem, ſi aliquando ita adornare, uti cupimus, nobis licuerit, digito me coelum putabo attingere. Exiſtimo autem, ampliſſime Senator, permulta me diſcere poſſe ex lectiſſimis obſervationibus tuis; quas nos, ubicunque res atque occaſio feret, celebrabimus ex vero. Utique ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendenda, ut nomen tuum ſcriptis illuſtretur noſtris. Quoniam enim omnino futurum video, ut te agnoſcant aeſtimentque ſaecula ſequentia, ſane quod ab aliis fiet, id vero ante occupaſſe me perquam glorioſum mihi erit. Quare noli hoc, quidquid eſt beneficii, *Ubboni Emmio* tribuere, cui ſcripta tua te commiſſurum audio. Meminiſſe potes etiam nos aliquid eſſe, neque, ut exiſtimo, periculum eſt, ne aut tineas quondam paſcamus, aut ſimus *Annales Voluſi*, noſti caetera. Jam poene menſis eſt, ex quo familiam alere coepi. Peto a te etiam atque etiam, ut ad nos venire cum uxore, filioloque, atque per dies aliquot nobiſcum morari digneris. Nihil mihi poteris facere gratius jucundiuſque. Excipiemus te more noſtro, haud nimis operoſe, ſed animo tamen lubente ac ſereno. obſecro te, Senator ampliſſime, da hoc precibus noſtris, & veni, noſque inviſe. Salutat te officioſe Socer meus. Deum Opt. Maximum rogo, ut te cum uxore & cum ſuaviſſimo *Scotiſco* diu ſervet incolumem. Lugd. Bat. 5. Julii 1617.

EPI-

EPISTOLA XIV.

PETRO CUNAEO

A. Scotto

S. D.

Leidam.

EN tibi, vir Amiciſſime idemque Clariſſime, Vincentium, quem monui ita ſeſe comparet apud Dominum Socerum tuum Virum Ampliſſimum, ut hoc ei miniſterio probatus, majoribus aliquando rebus idoneus videri poſſit. Sed Vincentium nunc apud vos relinquo, & venio ad ea, quae in litteris tuis ſunt reliqua: quas quidem video vel amoris abundantia magis, quam judicio, quod alioqui tibi exactiſſimum eſt, vel moris cauſa nimium hodie uſitati potius, quam tuopte ingenio, quo me meaque penitus perſpexiſti; multa mihi tribuere, quorum equidem nullam partem in me poſſum agnoſcere. Praeter enim impenſiſſimam voluntatem erga eximiam illam ingenii doctrinaeque præſtantiam, qua terrarum orbi jamdudum te conſpicuum feciſti, nihil habeo quo tibi vel ulli viro docto poſſim commendari: tametſi ne id quidem nihil eſſe puto, in delectu primum eorum, quos diligas, judicio non aberraviſſe: deinde quorum virtutibus incenſus ſis, eos affectu poſtea digno conſtanter proſequi, qua in parte cum felicitate quadam mea, tum firmiſſimo propoſito, nec ulla re praeterea glorior. Nam quod Chronicis noſtris commentatiunculis tantum tribuis, ut earum deſiderio teneri videaris, & ex iis aliquid diſcere poſſe te ſperes: itaque petis, ut eas ad te tranſmittere ne recuſem: profecto ſi id fiat, cito theſaurus hic carbones erunt. ideoque male me conſulturum lucubrationibus meis arbitror, ſi eas hac exiſtimatione, qua nondum viſae ſunt apud te, exemtum eam. ut enim miſſis jocis verum dicam, cum alibi, tum hac imprimis in re infelicem me laborem ſumpſiſſe magis magiſque coepi animadvertere. Propoſitum mihi fuit, non ex Chronologorum ſcitis, quae illi, prout captus eſt, nullam ſaepe auctoritatem ſecuti ſanciunt: Sed ipſis hiſtoriarum monumentis temporis quandam rationem eruere, eamque cum temporibus ſacrorum librorum comparare. Dum in eo ſum, & ad Perſica jam tempora deveni, ex quibus deinceps reliqua ſunt exploratiora, multa quidem occurrerunt, quae in aliis culpari, poſſe vi-

viderentur: an ipſe tamen certiora dederim affirmare vix auſim, adeo totam hanc rem multis ambagibus involutam deprehendi. ecce enim unum, ex quo de reliquis conjecturam facias. Cyrum omnes fere coepiſſe in Perſia regnare anno Nabonaſſareo 188. ſtatuunt. is incidit in annum olymp. 55ª. primum. ex quo ſequitur Cyaxarem magnum, qui 75. annis Cyrum praeceſſit, coepiſſe An. Nabon. 113. olym. 36. an. 2. Huic tribuuntur duae res ab Herodoto, quae regnante Nabuchodoſoro in Babylonia contigerunt: Vaſtatio Nini urbis, quam adjuvante Nabuchodonoſoro peregit. Tobiae cap. ult. & bellum quinquennale cum Lydis, quod ſexto anno ob ſolis defectum a Thalete praedictum, intercedente eodem Nabuchodonoſoro, quem Herodotus Editionis Stephani Graecolat. p. 33. Labynetum vocat, compoſitum eſt. hoc bellum cum alibi expoſuiſſet ita collocat Herodotus pag. 49. quaſi Nini obſidionem praeceſſerit. quod nullo modo fieri poteſt, nam Ninum jam obſidebat, Scythis Aſiam invadentibus, quod factum Ardye adhuc rege Lydorum, ut ex pag. 7. & 49. collatione poteſt intelligi. Is Ardys autem ante primum Cyri annum regnare deſiit annis integris 71. quadriennio fere poſt Cyaxarem factum regem Medorum. Ergo Nini obſidio à Scythis interpellata fuit circa initium Cyaxaris, qui 28. annis, quibus illi Aſiam infeſtarunt, ſatis habuit, ſi ſe incolumem praeſtare poſſet, nedum cum Lydis bellum geſſit. quod multo poſterius accidiſſe cum haec aliaeque rationes, tum illa comprimis vincit, quod Alyattes, quocum geſtum eſt, 13°. anno poſt obitum Ardyis, coepit: neceſſe ergo eſt Scythis inter pocula oppreſſis, quod circa 30. annum Cyaxaris factum eſt, & bellum cum Alyatte geſtum, & Ninum deletam eſſe. quorum hoc non videtur admittere Jeremias Propheta. Nam cap. L. vers. 18. *Jehovam Babyloniae regem viſitaturum* minatur, *ſicut regem Aſſyriae viſitaverat.* ex quo poſſis concludere Ninum jam tunc deletam fuiſſe: eſt autem illa prophetia edita (ut apparet ex eod. Jerem. cap. ſeq. v. 59.) anno 4. Sedechiae regis, qui duodecimus eſt Nabuchodonoſori, & 22. Cyaxaris. Hoc autem ita probari poteſt. 19. Nabuchodoſori, ſub cujus initium templum eſt dirutum, primum Cyri in Babylone annum 70. annis anteceſſiſſe (tot enim ſunt captivitatis Babylonicae anni, quae à Cyro ſoluta eſt) ex variis liquet S. Scripturae locis. 2. Reg. 25, 8. 2. Chron.

36. 21. Eſdrae 1. 1. Jerem. 25. 11. & 29. 10. Cyrus autem 9. annis Babylonem in poteſtate habuit, teſte veteri Canone Mathematico, quem *Scaliger* Euſebio ſubjecit, & hoc in loco approbavit lib. II. Can. Iſagog. ad Euſeb. p. 285. atqui regnavit Cyrus 29. omnino annis, unde ſequitur 22. annum Perſici regni primum eſſe Babylonici. atqui 22. anni conjuncti cum 75. annis, quibus Cyaxares antiquior eſt. 97. reddunt, quibus 70. anni captivitatis Bab. ac deinde 6. anni detracti ad 12. Nabuchod. uſque 21. exactos Cyaxari relinquunt. Utcunque autem ad Jeremiam reſponderi poſſit, non deſignare illum ultimam Nini vaſtationem, ſed de rebus Aſſyriorum tunc temporis cum Medorum bello, tum Scytharum invaſione ad ſummas anguſtias redactis loqui, ita Ninum à Cyaxare poſt 30. regni annum deleri potuiſſe: alia tamen difficultas de bello cum Lydis geſto manet, quia defectus ille à Thalete, non (ut Herodotus ſcribit) Cyaxare, verum Aſtyage regnante, obſervatus legitur apud Ciceronem Lib. I. de Divin, & Plinium lib. II. c. 12. cujus quidem exemplaria quaedam *Alyattem* habent pro *Aſtyage:* ſed cum eum obſervatum à Thalete ſcribat an 4. olym. 48. contigiſſe autem anno Urbis 170. (qui Plinio Olym. 49. eſt 2. quod ejus mentem eſſe non animadvertit *Scaliger* de Emend. libro 5. p. 365.) omne dubium tollit, quin Aſtyage regnante contigiſſe velit. Nam Cyaxaris 40. annus & ultimus, incidit in Olymp. 46. an. 1. Non equidem horum auctoritate moverer, qui tanto intervallo ab illis temporibus diremti ſint, ut ab Herodoto hîc diſcedendum putarem, qui toties inculcat hoc Bellum ab ipſo Cyaxare compoſitum fuiſſe. Sed & *Mercator*, & *Scaliger* nullum hîc Solis defectum, niſi anno Nabonaſſareo 165. admittunt. hoc ille diſerte oſtendit A. Mundi 3385. *Scaliger* de Emend. lib. 6. p. 543. anno Nabuchodonoſori 23. hunc defectum vult contigiſſe: atqui eum 142. Nabonnaſſareo coepiſſe vult (licet alibi lib. 5. p. 376. & prolegom. in Not. ad fragm. 18°. patris anno initium ejus conſtituat. qui ipſi eſſet Nabonas. 140. Nam 13. an. cum patre vult regnaſſe: tam parum ſibi conſtat.) Quod ſi ita eſt, Herodoto temporibus illis multo viciniori auctoritas ſua perit, quem tamen auctorem ſecutos Ciceronem & Plinium nullus dubito, His igitur argutiis & multis aliis defatigatum, cum praeſertim Eclipſium rationes non ſatis intelligam, taedere coepit incepti: nec deinceps dignum aliquid, quod

quod in tuas aut docti cujuſquam manus perveniret, præſtare potui. Si tamen haec videndi tantus eſt amor, tute fac, quod ipſe me rogas, quippe tibi hoc magis eſt commodum: me enim curia noſtra ob paucitatem Collegarum tanquam ſcopulo alligatum retinet, nec quoquam ſinit prodire. Ergo ipſe nobis cum uxore & filiolo aliquot dies impende. Certe enim & nos aliquid meriti nobis videmur, ut cum jam Materteras inviſeris ſatis ſaepe, Hoſpitale jus nobiſcum quoque ſubinde renoves. Noſti frugalitatem noſtram, nec plura addam: Jam enim charta incipit deficere. Reſaluta Socerum, & ſuaviſſimam Uxorem tuam, & ipſe vale. x. Julii 1617.

EPISTOLA XV.

PETRUS CUNAEUS

Apollonio Scotto:

Hagam.

Ampliſſime domine Senator. Multis magniſque difficultatibus circumſepta eſt tota ea res, de qua nuper ad me ſcripſiſti. ut non mirer ego hactenus ad ejuſmodi ſcopulos induſtriam chronologorum obhaeſiſſe: utique fixiſti crucem iis omnibus, qui in poſterum haec à ſe conciliari poſſe credent. Omnia enim tentantibus nihil procedet: multoque citius illos deſperatio & taedium in notam quandam pudoremque vertet. Narrabo quid mihi evenerit. Equidem, ut haeſitationes tuas acceperam, coepi animum meum his intendere. Noſti id vitium ex ipſa mortalirate in pleriſque ineſſe, nimis ut bene de ſe praeclareque opinentur. Sperabam id apprime pulchrum glorioſumque fore, ſi tibi, viro oculatiſſimo, Καὶ πρὸς ταύτην τὴν πραγματείαν ἀπηκριβωμένῳ aliquid lucis adferrem ego ὁ πάντων ἐλάχιστος, qui eruditum eum pulverem haud antea attigiſſem, neque unquam chronologum pictum, ut dicitur, vidiſſem. Sed egregie poenas dedi. Poſtquam enim totos tres dies in his deſudaveram, tanto ardore hercle, ut vix otium mihi ad ſcalpendas aures reliquiſſem, tandem huc me evaſiſſe video, multo ut incertior quam ante ſim. quicquid horum attingebam ulcus erat. Ita male inſtituta perveſtigatio exitum invenire non potuit. Nunquam operam magis moleſtam ſumpſi. itaque plane, ut apud Comicum ille inquit:

πλίον ἐνιαυτῷ πρεσβύτερος ἀπῆλθον.

Caeterum, quoniam ex Eclipſium ratione viam reperiri poſſe latentis veri exiſtimas, petii a *Snellio* noſtro, ut diſpiceret, num quod praeſidium in mathematicorum arte eſſet. Quid ille, aut quam bene dicturus ſit, mox videbimus. Certe magnas moles convectat: & praeclarum quiddam, quod ſupra opinionem ſit, promittit. Sed nimis metuo, ne oſtendat, quibus rebus ſit impar. Tuum tamen eſt, Ampliſſime Senator, ab incepto non deſiſtere. Sane enim ſi pertendas, omnino aut tu temporum hanc diſcrepantiam, poſt tot commentationes aliorum, compones; aut hercle nos docebis primus, eſſe haec ejuſmodi, e quibus ſeſe expedire vis humani ingenii nequit. Sed prins malumus, atque etiam, ita fore, neſcio qua animi divinatione, auguramur. Nos interim, ſicubi in Flavio Joſepho lacunam aut hiatum ejus generis reperiemus, diſſimulanter praeteribimus, donec edocti quondam a te certiora erimus: nemo enim eſt profecto, a quo diſcere plura & poſſim, & cupiam. Quod Hagam me vocas, & hoſpitio tuo uti jubes, humanitatis tuae eſt, qua pridem ita me devinxiſti, ut nexu & mancipio tuus ſim. Tua apud me munera, dum vita ſuppetet, aeterna erunt, idque profiteri apud omnes non erubeſco: Caeterum, ſi tu maxime benevolentiam in promtu habes, quam nunquam fatigari certus ſum: haud tamen propterea committam, ut temere ea abuſus fuiſſe videar. Quare patiere cum Hagae fuero, apud materteras me, aut apud ſocerum eſſe. Satis id ingens beneficium erit, ſi adeuntem me, & atria tua ſervantem poſtica non falles: denique ſi animum eum erga me retinebis, quem toties & tam ingentibus experimentis reperi mei ſtudioſiſſimum. Poſtremo, ut verecundiae fines tranſiliam, rogo te iterum, ut per has ferias cum uxore, & cum deliciolo tuo *Scotiſco* aliquantiſper apud me ſis, videaſque quo loco vivamus, ac quam ſim attentus ac frugi paterfamilias. Hoc idem antea tam obnixe a te petii, ut quibus verbis amplius rogandus ſis, non reperiam. Exſpectabo te propediem. Vale, ampliſſime Senator. Uxori tuae ſalutem. Lugd. Bat. ipſis Calendis Auguſti 1617.

EPI-

EPISTOLA XXI.

APOLLONIUS SCOTTUS

P. Cunaeo.

Leidam.

SOceri tui, viri ampliſſimi, morte non mediocriter affectus fui, amiciſſime Cunaee, cum aliis de cauſis, tum imprimis, quod cum res tuae illo ſuperſtite magnopere viguerint, eodem adempto quoſdam exorituros metuam, qui virtutibus tuis nullo tuo merito infenſi, omnia moliantur, quae facere poſſe putent ad curſum honorum tuorum ſiſtendum. Novi quidem cum propter communem humanarum rerum imbecillitatem, tum propter diuturnum ejus morbum, nihil nec inſolens, nec inexſpectatum ejus obitu tibi oblatum eſſe. nec ea eſt vel rerum tuarum conditio, vel animi tui humilitas, ut quiſquam invidiae ſuae de te explendae ſpem poſſit concipere, etiamſi omnibus aliorum praeſidio nudus eſſes. Commovebat tamen me, quod Viri tam conjuncti ſuaviſſima uſura tam brevi careres, & ejus propinquitate in optima ſpe conſtitutus, maximum ad ſumma quaevis conſequenda momentum perdidiſſes. Sed hoc a me non eo dicuntur, quod ſua forſan ſponte jam obductum vulnus tuum imprudens refricare velim: verum ut ſcias mihi quoque juxta ac tibi caſum hunc graviſſimum accidiſſe. & quod nunc proculdubio facis, mea quoque ſententia comprobari intelligas. ut ſcilicet eorum, quae deinceps impendent, in Deo omnipotenti, ac deinde in animo tuo, qui maximarum virtutum ſatellitio, ut ſic dicam, ſemper inſtructus fuit, ſpem praeſidiumque ruum reponas: nihil enim tibi ſic comparato ad res fama ac opinione hominum clariſſimas deeſſe unquam poterit. nam quod honores & munera civilia, & ſuum quoque in republica ſuffragium nonnulli in ſumma votorum ponunt, hiſce virum conſideratum, hoc praeſertim patriae noſtrae difficillimo tempore, aequo, animo cariturum exiſtimo. Haec mihi, alioqui non admodum facundo, in tuo nunc luctu promenda viſa ſunt: ne cum variis haud dubie conſolationibus amicorum aures tuae nunc impleantur, importuno ſilentio ſolus officium, quod pro amicitia noſtra maximum mihi incumbit, deſeruiſſe viderer. Uxori & ſocrui tuae, quas equidem vereor nimio luctu confectas pro-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

pemodo nunc eſſe, ſi quid hoc illas allevare poterit, meum ex tam acerbo caſu dolorem ſignificabis: ſimulque meis Uxoriſque meae verbis plurima ſalute imperties. tuo item Cunaeolo ſuavium impinges. bene vale. ipſis nonis Octobris CIƆIƆCXVII.

EPISTOLA XVII.

PETRUS CUNAEUS

Apollonio Scotto.

Hagam.

VIr Ampliſſime. magnum mihi ſolatium in ſummo luctu attulerunt literae tuae, vel ob hanc ſaltem cauſam, quod facile conjectarem ex illis, conſtantem eſſe te in ſuſcepto ſemel mei amore. Ego vero tali tantoque amico, Socero meo, orbatus animum meum quotidie, id quod neceſſe eſt, magnis exemplis confirmo, et Deum, quo auctore cuncta eveniunt, ſine murmore ſequor. ſcio me eſſe invidiae et malevolentiae expoſitum. caput. Sed quid agam? non hodie primum didici cum his malis luctari. vetus iſthaec noſtra calamitas eſt. Quare ſtat illud animo, non moveri & ſola patientia fatigare, quantum uſpiam eſt improbitatis, & vecordiae. Curſum honorum meorum, ſi, ut metuis, ſiſti contingat, etiam hoc, ut caetera mortalia, fortem animum tolerare jubebo. non tamen interim mihi meiſque deero. et reperientur fortaſſe, qui modeſtiae et virtuti pretium ponent. Sane quidquid ejus futurum eſt, me quidem ſemper, ampliſſime Senator, cum beneficiorum tuorum memorem, tum dignitatis tuae, maximarumque virtutum, quas in te elucere ſummus deus voluit, obſervantiſſimum habebis. Vale cum uxore et ſuaviſſimo *Scotiſco*. Reverendae dominae uxori tuae ſalutem dico. Lugd. Batav. VIII. Octob. CIƆIƆCXVII.

EPISTOLA XVIII.

PETRUS CUNAEUS

D. Apollonio Scotto.

Hagam.

NEmo eſt ex omnibus minus ad te conſolandum accommodatus, quam ego. Nam & recenti luctu domeſtico adhuc perculſus ſum, & nunc inopinatus iſte caſu

ſus, qui te adflixit, ingenti aegritudine veterem moerorem meum auxit. Noli enim cogitare mihi hoc, quod tibi nunc accidit, haud inſigniter dolere. Nos enim de te ſic pendemus, ut de magnete Platonis annuli ferrei. Tu in nos vim quandam arcanam depluis, noſque vegetas & animas, pene ut hoc ipſum, quod vivere nobis & aliquid pulchrum conari libeat, tui muneris ſit. Quare profecto, quae res tibi nunc ſummi luctus acerbitatem adfert, ea me quoque tantopere commovet, ut conſolatione ipſe egeam. Et tamen, quoniam acrioribus ſtimulis fortaſſe animus tuus paternus agitur, ſtatui noſtrae neceſſitudinis eſſe, non tacere tali tempore. Non ego hîc luculenta illa & praeclara ſapientum monita, qui aegerrimo pectori impatientiam excutere queunt, tibi ob oculos ponam, ut cogites viri eſſe boni, praebere ſe fato; placuiſſe ita principi illi Deo, qui per haec dura & aſpera animi tui praetentat robur: adactos nos ad hoc ſacramentum eſſe, mortalia ut feramus. In regno nos natos videri, & ſummam libertatem eſſe, parere numini. Nimis bene eſſe cariſſimae proli tuae, quae in placidam quietem recepta ſummo bono apud Deum fruitur, neque unquam ſeculi contagione afflabitur. Ea nunc miſceri, parari, impendere reipublicae, quae qui reliquerit nullo modo deflendus ſit. Adhoc tibi nihil novi accidiſſe: uſui quaedam nobis, at nihil mancupio dari: & pro ea ipſa exigui temporis uſura grates tibi agendas. Satius eſſe ſobolem acceptam ſic amiſiſſe, quam non ſuſcepiſſe: cum non exigua res ſit, veſtro ex conjugio animam eſſe beatorum coetui adſcriptam, & Chriſto Servatori noſtro ſociatam. Etiam ſupereſſe tibi adhuc nunc ſpem liberorum: Poſtremo, eſſe alios longe pejore conditione, quorum infantibus aut nutrix alte obdormiens intercluſum ſpiritum exſtinxit, aut male imprudens gerula cauſam dedit pereundi. Haec, & quae hujus generis ſunt, tibi viro erudítiſſimo ſapientiſſimoque adeo non ignota ſunt, ut ea petere a te alii debeant. Quare nolo ineptus videri, aut tibi haec oggerere, quae maxime in promtu habes. Non poſſum tamen, quin te in fine Tullii mei, atque etiam tui, verbis alloquar rogemque, ut memineris ruendam tibi gravitatem & conſtantiae ſerviendum. Nam quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quae maximos luctus vetuſtate tollit, id nos praecipere conſilio prudentiaque debemus. Etenim ſi nulla unquam fuerit, liberis amiſſis, tam imbecillo mu-

lier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit, certe nos, quod eſt dies allatura, conſilio antecapere debemus: Neque exſpectare temporis medicinam, quam repraeſentare ratione poſſimus. Haec ſatis eſſe puto animi tui aegritudini vel mitigandae vel etiam tollendae. Quare finem facio. Peto autem, ut uxori tuae dolorem meum ſocruſque meae & uxoris ex acerbo funere ſignifices, illique noſtris verbis impertias multam ſalutem. Quamprimum opportunum erit, excurrere ad vos & te videre cupio, interim ut aequo animo ſortem tuam feras etiam atque etiam rogo. Vale Lugd. Bat. 28. Octobr. 1617.

EPISTOLA XIX.

APOLLONIUS SCOTTUS
D. Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

REmitto ad te praeclaram hanc diſſertationem, amiciſſime Cunaee, ſerius paulo quam fortaſſe debui, vel quam ab initio facere cogitaram. Sed bona tua venia praecipua quaedam argumenta ſubnotanda putavi, non quod pondus in iis ullum viderem, ſed ut ſi quando iis urgeremur, reſponſio eſſet expeditior. equidem mihi perſuadere vix poſſum, Socerum tuum, virum dum viveret ſummo judicio præditum, iis de ſuo multum addidiſſe: Sed ex Grotiana penu totum hunc apparatum ductum exiſtimo, cui homini ſatis eſt, dummodo ſubtilibus captiunculis ſeſe inſtruat, nihil quid aliis perſuaſurus ſit, penſi facere. retinuit hoc ex munere advocati, quod nuper reliquit. forſitan Socero tuo animus fuit manum etiam ſuam admovere, ſed morbo impeditum fuiſſe credo. alioquin aliquid forſan viſuri eramus, ex quo meliora diſceremus noſtris cogitatis. Haec autem pleraque ex Saturni podice, ut ajunt, repetita ſunt: quae ad hodierni temporis ſtatum nihilo plus quadrant, quam ſi Sp. Melius, aut Manlius Torquatus affectare ſe regnum dixiſſent, quia Romae aliquando fuiſſent reges. reliqua tam ſunt futilia, ut riſum potius mereantur, quam confutationem. miſeret me noſtri, ſi hiſce perſuaſi Decuriones noſtris admonitionibus locum non dabunt, & tamen e-

juſmodi ſunt, ut prae *Hogerbetianis* aliquid eſſe videantur: tu cogita caetera. Nunc quod ad te attinet, amiciſſime Cunaee, omnino perſuaſum habeas volo, nunquam quieturum me, donec omnia fecero, quae ad te amplificandum pertinere videbuntur. Sed aſtu ea res, uti ſcis, curanda eſt: tu vide ne tibi deſis. Dominae ſocrui & uxori tuae dulciſſimae me commendo, filiolo quoque, tuo ſuaviſſimo baſiolum impingi volo. XIV: Novemb. 1617.

Puto innui hîc Grotii *diſſertationem de ſummarum poteſtatum imperio*, ſive *jure circa ſacra*, docebit nos Epiſtola Cunaei ad Grotium infra producenda. hujus enim exemplar hoc tempore *Nic Seyſtio*, ſocero Cunaei, dederat legendum, quem cum ægrotare audiverat, *Voſſio* etiam mandaverat ut illud nanciſceretur: ſed videtnr poſt mortem *Seyſtii*, diſſertatio *Cunaeo* cum *Scotto* communicata fuiſſe, de qua ille, ut erat diverſarum partium, judicium non ſatis aequum hîc expromit. Vide *Grotii* Epiſt. ad Voſſium CV. ubi male *Suiſtius* vocatur. *Gerardus* etiam *J. Voſſius* ſententiam ſuam de hac controverſia late exponit Epiſt. XXIII. cujus in fine de *Grotii* libro hoc agit, et ſe, ſi quis reſcribere velit, ejus defenſionem ſuſcepturum ſponte ore & calamo.

EPISTOLA XX.

APOLLONIUS SCOTTUS

D. Petro Cunaeo

S. P. D.

Leidam.

TAm perturbata eſt ubique reip. facies, Clariſſime Cunaee, ut quid primum querar, neſciam. itaque non poſſum aliud quicquam, quam optare tui ſaltem ſimiles multos, qui quae corrigere nequeunt, iis ſaltem graviſſima ſimul ac juſtiſſima oratione indoleant. Itaque tibi etiam accedo, & quantum poſſum conſcientia mea contentus, a publicis doloribus ad privata ſtudia animum revoco. Cave autem vel *Hogerbetio*, homini vaniſſimo, vel cuiquam iſtorum me compares: qui avaritia & ambitione ita tranſverſi aguntur, ut non ſolum amicorum, ſed ſui ipſorum obliti, quidvis malint, quam quales antea videbantur, bonorum virorum & Patriae amantium Civium officium praeſtare. nihil ergo dubita de meo erga te affectu, qui prius ſpiritum hunc, quam tantillum ex amore

tui amittam. *Hogerbetio* autem nihil me amplius debere exiſtimo, poſtquam is ultra aras amicum me ſibi poſtulare coepit. ſcis, opinor, quid velim: nempe in religione & repub. pervertenda adjutorem. illius autem amicitia tam aequo animo careo, quam aegre fero me ſemel elegiſſe tam male. Sed querelarum numquam ſatis eſſet: temporis autem tam parum ſupereſt, ut verear propoſitae a te quaeſtioni ſatis examinandae, nedum diſcutiendae defuturum. itaque miſſis illis ad hanc venio. Quaeſtio eſt ex media Juriſprudentia depromta: cujus pleraque ſcita a Juſtiniano abrogata, inter fori ſtrepitu occupatos parum loci inveniunt. Quare vide ne in primum Juris noſtri caput pecces, qui Juſtitiae ſacerdos ſuum cuique ex illarum praeſcripto non tribuis. Primum enim ad hominem vix in foro ſtatum ſuum tenentem, quaeſtionem ex abdita Juriſprudentia defers, cui illa jamdudum oblita eſt. deinde iis praeconiis ornas, aut potius oneras me, ut ſi iis reſpondere velim multarum noctium vigiliis, homo alioqui ſomniculoſus, nihil eorum poſſim efficere. Non ergo ſumo mihi, ut quaſi ex tripode oracula pronunciem. ſatis erit ſi veſtrorum diſcipulorum more, cum publice propoſitam theſin defendunt, non plane elinguis repertus fuero; Caetera committam tibi, tamquem hujus certaminis agonothetae.

Sed ad rem venio. quaeris rectene Papinianus in l. *filio.* de liber. & poſtum. *Filio, quem pater poſt emancipationem a ſe factam, iterum arrogavit, exhaeredationem antea ſcriptam nocere* dixerit? Et, nequa ſit exceptio, de ſcripta exheredatione ante emancipationem ex l. *non putavit* 8. §. *ſi quis emancipatus*. De bon. poſſ. contra tabulas, Ulpianum de emancipati jam filii exheredatione hunc Papiniani locum accepiſſe oſtendis. Hoc ergo ejus reſponſum nondum tibi probatum, valido aliquot argumentorum ariete oppugnas. quae huc redeunt omnia, ut vel aequitatem juris huic Papiniani ſubtilitati opponas, vel eam contraria juris ſubtilitate retundas. Equidem, ut verum fatear, eſt tota haec quaeſtio, ſicut pleraque juris Civilis, ejus generis, quas Ariſtoteles ait τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. ut mirum non ſit rationes afferri poſſe, quae diverſum aliquid cogant approbare. Ita *Fr. Connanus*, primarius in dea patrum memoria ICtus, contra quaedam veterum Interpretum reſponſa accurate diſputavit. Et hodie nonnulli Gallici juris periti

ti magni nominis multas juris Civilis deciſiones non leviter impugnare ſolent. Denique minus hoc eſt novum in exhaeredationis vel praeteritionis liberorum definitione veterum, quam nobis Conſtitutionibus ἐκ ἀλόγως ita Juſtinianus caſtigavit, nihil ut illorum exquiſitis acuminibus reliquum fecerit. Sed hoc mirum, hanc ſententiam Papiniani, quae veteris juris rationem prae ſe fert, ita aliis ejuſdem juris rationibus a te impelli, ut ſtare poſſe non videatur. Videndum tamen, num illo jure obtinente aliter Papinianus reſpondere potuerit. Nam cum eodem jure nullius momenti eſſet teſtamentum, in quo filius praeteritus erat, vel agnatione ſui heredis rumperetur: quod quidem Jure Civili ad eos, qui eſſent in Patris poteſtate, tantum pertinuit. Praetor autem, quoniam Emancipatis praeteritis contra tab. bonorum poſſeſſionem permittit, cavendum quoque fuit teſtatori, ut illos nominatim vel inſtitueret vel exhaeredaret. D. C. et Inſt. de lib. & poſt. injuſto, rupto, & irrito facto teſtam. Exheredat. lib. Ideo ICtus, cujus ſapientia in hoc maxime excubabat, ut conſulentibus cautiones ejuſmodi dictaret, quibus vel in ultimis voluntatibus vel actibus inter vivos, omnes cum civilis, tum praetorii juris ſcopulos enavigarent, ne quod feciſſent alioqui in nihilum redigeretur, ſatis habuit illorum duntaxat admonuiſſe, quae actui, de quo quaerebatur, nocere poterant. aliud fortaſſe reſponſurus, ſi principi in jure novo condendo vel veteri interpretando conſilium ſuppeditaſſet. Cum ergo conſuleretur, an exheredatio emancipati, rurſus arrogato tamen noceret: expendit rationes omnes. nam, ut ex d. l. *non putavit* §. 8. apparet, exheredationem ante factam extraneo arrogato non nocere comperit. Non poterat tamen idem ſtatim de filio emancipato videri, quia ut recte ex l. *quidam* 132. in. f. princ. de verb: obl. obſervaſti, exheredatio res in extraneo inepta eſt. neque quod in eum caſum incidiſſet, qui valere poterat, vim potuit accipere. Quia *omnia, quae ex teſtamento proficiſcuntur, ita ſtatum eventus accipiunt, ſi initium quoque ſine vitio ceperunt.* l. 201. de Reg. Jur. l. 29. & pen. eod. tit. l. *ſieo.* 4. de his, quae pro non ſcriptis habentur. &c. Atqui Praetorio jure non erat inepta res exhaeredatio emancipati, ſed maxime neceſſaria ad impediendam contra tab. bon. poſſeſſionem. itaque initio ſuo nequaquam erat vitioſa. an ergo nocebit ei, qui cum exheredatio ſcriberetur,

non

non erat ſuus haeres, nunc arrogatione factus eſt? quod unum eſt ex fortiſſimis tuis prioris generis argumentis. Sed vide, ne eadem ratione dicere poſſis, Poſtumo nondum concepto, qui ne in rerum quidem natura fuit, vel nepoti, vivo adhuc patre, exheredato jure veteri illam non nocuiſſe, ſi ille poſtea natus eſſet, huic vivo avo teſtatore pater eſſet mortuus, quia iidem, qui tunc non erant ſui heredes, nunc facti ſunt. quibus tamen eam nocere manifeſtum eſt. §. *Poſtumi.* & ſeq. Inſt. de exhered. lib. & aliis infinitis locis. Certe nihil hîc intereſſe viſum fuit Papiniano, quia ſatis putavit eum, qui jam ſuus factus eſt, ut ei exheredatio noceret, nominatim exheredatum, neque id ſupervacuum vel inutiliter inveniri, eum dico, quem Praetor jam non adjuvat, quoniam exheredatus eſt, quod ſolum poſtulavit. Nec jus Civile alio loco habet, quam ſi nunquam exiſſet patria poteſtate: huc enim altera Papiniani ratio ſpectat, *ne imagine*, quam jus Civile in adoptionibus ſequitur, *naturae veritas adumbretur.* ut eſt in d. l. *filio.* Ceſſat enim civile jus, ubi *Jura naturalia praevalent*, ut loquitur Ulp. in d. l. *non putavit* §. *ſi quis emancipatum.* Videri ergo poteſt haec quaeſtio non ad jus civile, ut putas, quo impune praeteriri poterat emancipatus, ſed ad praetorium referenda. quaſi quaereretur an edicto ſatisfactum ſit, ut teſtamentum valeat, quia arrogationem emancipati ejuſdem exheredatio praeceſſerit, quemadmodum nepotis ſucceſſionem in jus ſui haeredis praecedens exheredatio, civili quoque jure, lege ſcilicet Velleja, ſuſtinetur. Inſt. d. §. *poſtumorum autem.* in. f. Huc pertinet elegans Tryphonii reſponſum in l. *filius a patre.* 28. §. *filius fam.* t. de lib. & poſt. quod ſic habet. *Filius fam. miles de caſtrenſi peculio fecit teſtamentum, habens filium in ejuſdem poteſtate. Cum militare deſiſſet, patre eodemque avo defuncto, quaeſitum eſt an rumperetur ejus teſtamentum. Non quidem adoptavit: nec hodie ei natus eſt filius: nec priore ſubducto de poteſtate ſuo herede, ulterior ſucceſſit in proximum locum. ſed tamen in poteſtate ſuum heredem coepit, quem non habebat. ſimulque paterfam. factus eſt, & filius ſub ejus recidit poteteſtatem: rumpetur ergo teſtamentum. Sed*, inquit, *ſi heres ſit inſtitutus vel exheredatus iſte ejus filius, non rumpitur. quia nullo circa eum novo facto, ſed ordine quodam naturali nactus eſt poteſtatem.* Nova quaedam Tryphonio quoque oblata erat ſpecies non recuperandae, ut Papiniano. ſed

ſed adipiſcendae patriae poteſtatis. Sed quia nihil eam differre, a prodita jam nepotis ſucceſſione in jus ſui heredis videret, idem quoque jus obtinere cenſuit non ſolum in inſtitutione, ſed & exheredatione, quod fecit & Papinianus. Alterum argumentorum tuorum cornu aggrederer, quod totum Juris Civilis imaginario emancipationum commento ſuffultum eſt. ſed cum oſtenderim jam ad praetorium jus Papinianum, non civile reſpicere, forſitan hunc impetum facili declinatione eludet. Cum praeſertim nihil hîc ſit diſcriminis: nam filius emancipatus per talem ſubtilitatem rupta inſtitutione, alia via hereditatem adipiſcitur; ſc. ab inteſtato ſucceſſione, vel forte etiam ſecundum tab. bonorum poſſeſſione, qua de re nunc nihil diſputo. Praeterea longe diverſa ratio eſt filiifamilias inſtituti, & poſtea emancipati, quam emancipati exheredati, iterumque arrogati. in illo enim, ut recte *Anton. Faber.* 1. Conj. 15. remancipatio ſuum heredem exhibens teſtatori, ſubtilitate Juris rumpit teſtamentum. in hoc vero, cum nominatim exheredatus fuerit, qui tunc quidem non eſſet ſuus heres, ſed jure praetorio teſtamenti vim convelleret, arrogatio nihil mutat, quam jus civile non agnoſcit, quod imagine tantum alludit ad res natura non exiſtentes, cum hîc naturalia praevaleant; ut jam vidimus. Jus autem Praetorium contra praecedentem emancipationem non adjuvat, quod adjuvandi vel ſupplendi, vel corrigendi, non evertendi, Juris Civilis gratia praetores introduxerunt. l. 7 §. 1. de Juſt. & jure. Ne illud quidem nobis obſtat, quod plus eſſe reris, ſi in nepotis locum hîc emancipatus arrogetur, quam ſi in filii. Semel enim hoc conſtituto, naturam hîc praevalere figmento Juris Civilis, nihil refert, quo gradu adoptio facta ſit. Haec fortaſſe non Papinianus pro ſe, ſed aliquis mei ordinis, hoc eſt infimi ſubſellii ICtus pro Papiniano reſponderet; quem ſi exiſtimabis tamen aliqua in parte defenſum, multum ſane profecero, qui huic tam eminenti Juris aſylo dignus patronus fuero viſus: ſin minus, nihil illi decedet, cujus optima cauſa (ut de ſe *Donellus* noſter aliquando dicebat) peſſimum defenſorem nacta videbitur. Nunc quod me hoc amoeniſſimo tempore cum uxore invitas, gratiam quidem habeo, qui nec per occupationes forenſes, nec per uxoris inſtans puerperium, quod ad finem Maji exſpectamus, domo abeſſe poſſum: te vero, vir Clariſſime, idemque amiciſſime,

me, viciſſim rogo, ut quod a nobis toties jam impetraſti, ipſe quoque nobis aliquando praeſtare velis: non caret hic locus ſuis amoenitatibus, ut ſcis: & nos temporis mala ſuavibus colloquiis fallemus. Interea cum Uxore tua filioloque, quem Deus ſuperſtitem velit, bene vale. XXVIII. Aprilis CIↃ. IↃC. XVIII.

Haec ita raptim ob matris tuae diſceſſum, ut liturarum pudeat, quas velim ex aequo bono corrigas, & ſimul ſi quid excidit minus dignum auribus tuis boni conſulas: iterum vale. vereor enim jam profectam ſocrum tuam, & haec charta plura nec capit.

EPISTOLA XXI.
APOLLONIUS SCOTTUS
P. Cunaeo.

Leidam.

UXor mea, Vir Clariſſime, nudius tertius filiolam mihi peperit pulcram, valentem, plane ſimilem *Scotiſco* noſtro, niſi quod ſexus diſcrepet. Hoc cum ad te ſcripturirem, commode, vir ampliſſimus D. *Adrianus Junius*, in Curia Hollandiae & Selandiae ex primariis ſenatoribus, me poſtulavit, ut nepotem ſuum, modeſtum ſane et facillimis moribus praeditum adoleſcentulum, tibi commendare vellem, quem omnibus modis ſtudet apud te, omnium bonarum rerum artiumque exemplar, collocare. Adoleſcens mihi tantum ex relatu notus eſt: Virum autem ampliſſimum D. *Junium* cum ex fama tibi notum eſſe ſciam, longiore commendatione non egere judico. eſt ſane, praeter ea, qnae optimis experimentis publice jam omnibus patuerant, quae quidem ſunt maxima, vir bonarum partium ſtudioſiſſimus, quique effecit in Curia provinciali, quominus iſta tyrannis, quam veſtri quotidie in Cives ſuos exercent, indiciis quoque comprobaretur, quod ſi per illum & paucos alios non ſtetiſſet, jam inſultarent omnium Religionis & patriae amantium cervicibus *Barneveldiſtae*. Sed haec ſatis in loco, qui ne amicorum quidem litterulis tutò patet. Rogo autem, ſi quid mea cauſa vis facere, & ſi tibi ullo modo eſt commodum, ut huic meae commendationi

faciat

facias locum, & pro rebus tuis, de Viri maximi deſiderio nihil interire permittas. nihil autem, ſiquid noſtra cauſa feceris, interiturum tibi ſpondeo, ſive illum ſpectes, ſive me, cui hoc omnino imputari cupio. bene vale, mi Cunaee, cum uxore ſuaviſſima, filioloque dulciſſimo. Poſtridie Nonas Majas. CIↃ. IↃC. XVIII.

EPISTOLA XXII

APOLLONIUS SCOTTUS

P. Cunaeo

S. D.

Leidam.

QUod nomen tuum inter eos a Senatu eſt editum, Mi Cunaee Clariſſime, ex quibus Collegas ſibi duos aſſignari ab Ordinibus poſtulat: non mea ſolius commendatione, quæ quidem exiguum pondus habuit; ſed ipſo merito tuo effectum eſt: talis enim agnoſceris & aeſtimaris ab omnibus, ut nemo te non omnibus modis ornatum cupiat, niſi cui ipſa virtus & eruditio diſplicet. itaque nihil tibi credo ad eam dignitatem, quam omnes tibi optamus, defuturum, ſi tamen quid deerit, quam quod Hollandus non es natus: qua in re video nonnullos nimis inique religioſos eſſe, cum praeſertim nativitatis ratio a Selandis noſtris habita nunquam fuerit, modo publicis alicubi muneribus in eorum Provincia Hollandi fungerentur. *Huſſeno* enim non obſtitit Hollandia Patria, ſed aliae peculiares cauſae, cur a Selandiae Ordinibus electus, a Senatu noſtro repulſam paſſus ſit. *Santenum* etiam videor alias audiſſe a Senatu noſtro nominatum, cum Oratoris ſive Syndici munere apud Middelburgenſes fungeretur. Certe *Beaumontium* nuper etiam inter caeteros Selandiae Ordinibus obtuleramus: neque eum natale ſolum, ſed propria voluntas a cooptatione in Senatum abſtinuit. nullo enim privilegio Selandis in Hollandia, nec viciſſim his in Selandia munera obire vetitum eſt. Sed cum haec ſit hominum ſive invidia, ſive cautio: fortaſſe tibi etiam omnia molienti, tot praeſertim competitoribus, impedimento futura eſt, hac duntaxat in re. de Syndicatu majorem ſpem video.

deo. ea enim de re cum D. *Baerſdorpio*, quem unicum habebam, locutus ſum, ab eoque intellexi, tui etiam rationem habitum iri. conveniendus ergo, & prenſandus tibi ante omnes eſt D. *Brouckhovius*, affinis ejus: is enim unus omnium opinione deſignatur, qui poſthac in ea urbe plurimum poterit. Quod ſi eum hîc videre potuiſſem, quod *Baerſdorpius* futurum putaverat, viam tibi qualemcunque muniviſſem mea commendatione: tametſi parva mihi cum viro familiaritas intercedit. Sed neſcio quae res impedimento fuerit illi: Certe reſcire nequivi, an hîc deinde fuerit. erat etiam conſilium meum Principem de te convenire: ſed eo cum fidis communicato, ac etiam cum fatre meo, eorum diſſuaſione deterritus ſum. ratio eſt, quod princeps haec talia munera magiſtratibus a ſe creandis tribuenda deferat, itaque offendatur inutili & moleſta commendatione. Haec etiam cauſa fuit, cur ſerius ad litteras tuas reſponderim. quas tamen 18. hujus menſis ſub veſperam, praeſente fratre accepi, ſcriptas die 15. bene vale, cum Uxore filioloque tuo. XXI. Octobris 1818.

EPISTOLA XXIII.

PETRUS CUNAEUS

Apollonio Scotto.

Hagam.

UNus ego omnium optime ſcio, vir ampliſſime, adeo luculenter te pertractaviſſe eam, quae pridem tibi in manibus fuit, methodum univerſi juris civilis, ut omnium hodie ICtorum in tam grandi & praeclaro opere labos, nihil niſi jejunitas & mera eſuritio ſit. Quare non ero tam imprudens, ut rem tantam & talem ſuſcipiam minorum gentium legulejus. Sed tamen, quoniam per te, virum noſtri ſtudioſſimum, perque alios amicos id quotidie ago, ut relicta hac Academiatum umbra ad curam reipub. traduci, & in luce hominum ſtatum aliquem dignitatis tenere poſſim, plane cupio otii illius, quod hîc egerim, aliquod extare monumentum. de quo dum cogito, coepi cum adverſaria mea percurrere, tum illuſtriſſima quoque juris loca luſtrare, ut tractationem, non

non illam vulgatam quidem, ſed mirifice tamen utilem inſtituam *de iis, quae ſunt juris & facti*, ex quibus, ut noſti, multa in jure noſtro dependent, quae ſunt ſubtiliſſimi momenti. Video in aliis Academiis quoſdam eſſe, qui hoc uno ſe amplectuntur, atque id ſerio triumphant, quod ſcripſiſſe aliquid & in lucem edidiſſe videantur. Non eſt nobis haec a natura benignitas negata. Satis feliciter ſoleo, quae animus concepit, in chartas conjicere. Quare

—— tentanda via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

Verum ea tractatio, de qua dixi, aliquantum tempore opus habebit, cum ſit gravioris operae. Itaque placet in anteceſſum ſingulari commentario materiem fructuum exequi, quos Domino, rem ſuam evincenti, bonae fidei poſſeſſores reſtituant, quoſque ſuos faciant. Cujus rei cauſa leges ad unam omnes verbo tenus, ſed ordine ſervato, exhibebimus, & ubi ſenſum cujuſque ac quaeſtionem expediverimus, ad ſimilia procedemus, & bonâ occaſione caetera, quae tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe collectione ſupplebimus. utique non tam id agimus, ut ſuper tritiſſima quaeſtione novam ſententiam proferamus. Tentatae enim a noſtris omnino omnes viae ſunt. Sed quoniam ii, quibus hoc curae fuit, miſeras duntaxat quaſdam antinomias enodaviſſe contenti, rem omnium utiliſſimam copioſiſſimamque famelica & exſucca commentatione abſolvunt: nos neque quae ab illis tanti aeſtimantur omittemus, & praeterea aliquid edolabimus, quod fortaſſis animum etiam cordatioribus JCtis expleat, qui in hac Juris noſtri perveſtigatione nubes & inania ſcholaſticis doctoribus relinquunt, ipſi rerum pondera penſantes. Initio de poſſeſſione bonae & malae fidei, juſta & ininjuſta quaedam diſſeruimus; ac malae quidem fidei poſſeſſionem diximus, quae vel ex injuſta cauſa, nulloque vel malo titulo fit, utpote cum violentae, clandeſtinae, precariae vel fraudatoriae poſſeſſioni inſiſtitur, id quod in formulis interdictorum tribus verbis explicari ſolet, *vi, clam & precario.* vel quae ſimpliciter ex ſcientia rei alienae, cum titulus adeſt, proficiſcitur, ignaro aut non volente Domino. Qua in parte locus fuit dicendi de denunciatione, vel proteſtatione extrajudiciali; an & quando malam fidem inducat; item de litis conteſtatione, an per eam poſſeſſor ſemper in mala fide conſtituatur. Poſtremo malae fidei

 poſ-

poſſeſſionem tradidimus, quae ex titulo quidem, & ex Domini voluntate ac conſenſu tenetur, ſed lege improbante. Cujus generis ſunt quae maritus uxori, aut haec illi donavit. Item quod quis a minore XII annis nupta ſibi quaſi in dotem ſciens accepit, aut quod emit ab eo, cui ſciebat bonis interdictum: ſicut autem malae fidei poſſeſſionem triplicem poſuimus, ut ad eam conſtituendam ſufficiat vel una ex tribus ſuperioribus cauſis: ita bonae fidei poſſeſſionem unam ſimplicemque ſtatuimus, eam, quae juſta ſit, & trium illorum vitiorum nullam capiat, ſed quae titulum habeat legitimum citra rei alienae ſcientiam cum juris approbatione. Plane quemadmodum natura ſic comparatum eſt, ut multiplex mali & injuſti, ſimplex autem ſit boni ratio, in ſuo cujuſque rei genere. Poſtquam haec in anteceſſu leviter per ſumma rerum faſtigia excuſſimus, ſane antequam rationem perſequamur fructuum quos lucratur redditve bonae fidei poſſeſſor, conſtituendum nobis in magna diſſentientium multitudine aliquid certum eſt, ad quod deinceps referantur lectiones & obſervationes noſtrae, quas ſcriptionis hujus cauſam & caput eſſe volumus. Videor autem recte atque ordine facturus, ſi tuam, Vir ampliſſime, ſententiam exquiram, qui totum locum de acquirendo rerum Dominio tam diligenter excoluiſti, ut etiam in hac quaeſtione nihil eſſe poſſit, quod aut ipſe ſumma ſolertia non excogitaveris, aut ab interpretibus ingenioſiſſime traditum judicio tuo bene atque feliciter non probaveris. Placeret utique nobis *Ant. Fabri* opinio, niſi eam penitus everteret *L. Fructus* 45. de Uſur. ſed enimvero cum videam & eos, qui ſuperſtitioſiſſime verba, textumque ubique tuentur, neceſſitate quadam interdum eo adigi, ut aut lectionis receptae admittant emendationem, aut JCtorum fateantur diſſenſum: Sane etſi *Fabrum* alibi plerumque temere in haec proclivem non fero, ferme tamen eſt, ut exiſtimem eum optima ratione hîc cum multis maximiſque incommodis decidiſſe. Quare eam viam adhuc ſequor,

—— Niſi quid tu, docte Trebati,
Diſſentis, equidem nihil hinc diffingere poſſum.

Qui diſcrimen hîc inter cauſam lucrativam & oneroſam fecere, ſpecioſa illi quidem adferunt, ſed JCtorum auctoritate neutiquam juvantur. Qui cum toties ſimpliciſſima oratione bonae fidei poſſeſſores fructus ſuos facere ajunt, penitus has poſſeſſionis cauſas non diſtinguunt, quarum tamen neceſſaria eſſet notatio. ut taceam, optimis argumen-

tis

tis me effecturum, ut qui haec ſentiunt in laqueos ſe induiſſe videantur, unde pedem proferre difficile ſit. Nec vero magis illis accedo, qui fructus exſtantes non omnes Domino vindicanti reſtitui volunt, ſed naturales tantum, induſtrialibus omnibus apud bonae fidei poſſeſſorem manentibus: atque ita cum aliis legibus conciliant d. l. *Fructus* 45. quaſi ejus ſententia ſit, fructus quidem induſtriales percipiendo virum vel uxorem ex re donata ſuos facere, ſed aliam eſſe rationem fructuum naturalium; quippe qui & cujuſlibet bonae fidei poſſeſſoris non ſtatim fiunt atque manent, ſi nec dum, puta, ſint conſumti. Nimium hercle illis incommodat §. *ſi quis a non Domino* 35. Inſt. de rer. diviſ. Tum & quod caput rei eſt, l. 22. C. de R. V. quibus in locis aperte & in univerſum de extantibus fructibus nullo diſcrimine conveniri bonae fidei poſſeſſorem conſtituitur, non in tranſcurſu utique, ſed dedita operâ. Praetermitto alias rationes, eaſque notabiles, ne modum epiſtolae excedat. Duntaxat enim tentare ſententiam tuam volui, quam omnium, qui hodie vivunt, judiciis antepono. Et vero, ſi meliora nobis ſignificaveris, pulcrum ducam te unum auctorem celebrare. Veterum quidem interpretum, hominum conſultiſſimorum, auctoritas haud me permovere nunc poteſt: quos ego tamen magna religione & pene ambitioſe ſequi ſoleo, atque interdum etiam animi cauſa, ut leviter vexem noſtros pungamque. Quare in L. *vinum* de reb. cred. nuper *Bartolum* adverſus omnium recentiorum commenta defendimus, argumentis illis, opinor, rationibuſque, quas nemo temere convellet, ſi quando repetitionem ejus legis, & quicquid de ineunda rei debitae aeſtimatione dici debet, vulgaverimus. vale, vir ampliſſime, cum cariſſima uxore filioloque. Peto etiam atque etiam, ut res ea tibi curae ſit, quam per ampliſſimum D. Coſ. fratrem tuum apud Middelburgenſem Senatum effici poſſe exiſtimas. Lugd. Bat. 5. Febr. 1619.

EPISTOLA XXIV.

APOLLONIUS SCOTTUS.

Doctiſſimo D. Petro Cunaeo S.

Leidam.

Litteris tuis nuper ad me datis, ſine die tamen & Coſ. magnopere delectatus ſum, quod viderem multos in

jure nodos, qui tot magnorum JCtorum, quos hoc ſaeculum tulit, diligentiam mihi ſemper viſi ſunt eluſiſſe; eum vindicem nactqs eſſe, qui ſummo ingenio & judicio doctrinam omnis litteraturae incomparabilem adjunxiſſet: ut in ſpem erectus ſim levia omnia & plana factum iri, ad quae manum admoveris. Unum me non parum commovit, quod opinioni, quam de me videris habere, nulla ex parte reſpondere poſſum. Etſi enim juri in ordinem redigendo jam ab annis aliquot multorum inſignium JCtorum veſtigia ſecutus, mei exercendi gratia nonnihil operae impendi, & nondum adeo diſpliceat hoc quodcunque eſt vel ingenii vel induſtriae, quin ſi otium eſſet, ſumma cum voluptate in eo pergerem: quod hoc pacto rationem juris melius inſidere nobis expertus ſim, quam ſi per partes ſaepe a ſe invicem remotiſſimas diſcatur. nihil tamen propterea mihi vindico prae caeteris; imo nihil a me præſtitum ſcio, quod non longe infra aliorum inventa ſubſideat. Praeterea maxima ex parte rude adhuc & impolitum eſt, quicquid ejus nobis adhuc adoleſcentibus excidit: niſi quod portionem vix centeſimam, *de ſuo cujuſque jure extra commercium cum aliis poſito*, jam pridem coepi recolere, qua occaſione ob vicinitatem argumenti de *acquirendo rerum dominio* nonnulla retractavi, quia ex eodem titulo olim in Academia diſputandas theſes propoſueram. Quapropter cum me praeter aequum tam magnifico, teſtimonio ornaſſes, vel oneraſſes potius, magnopere dubitavi, deberemne tecum communicare, quae de fructibus a Bonae fidei poſſeſſore lucrandis meditata haberem. Non quod tibi quicquam occultum meorum eſſe vellem: ſed quod metuerem, ſi ea vidiſſes, non fore tui ſtomachi: neque modo non iturum te in ſententiam meam, ſed quamcunque de me hactenus opinionem concepiſſes, eam depoſiturum. Vel ut maxime amore magis noſtri, quam tuopte judicio eam retineas, tamen ſi in libro a te de fructibus edendo, (quem dubium non eſt in omnium diſcentium & doctorum manibus verſaturum) mentionem mei feciſſes, quod minari videris, futurum ut cruda haec noſtra, nec ſatis adhuc concocta, cum a Doctiſſimorum hominum ſententiis abire reperirentur, riſum magis lectoribus, quam laudem excuterent. Vicit tamen amor erga te meus, nec ſuſtinere potui quicquam tibi denegare, etſi quantovis cum meo incommodo id conceſſurus eſſem. Confido autem prudentiae & aequitati tuae, vel non poſiturum te in monumentis tuis nomen meum, ne ex

ex tam illuſtri loco, ob ſui vilitatem, plus ignominiae, quam decoris reportet. Vel ſi hoc facere omnino tibi decretum erit, ita factūrum, ut in hac umbra noſtra delituiſſe non praeoptem: hoc eſt nihilo plus mihi tributurum, quam mea tenuitas ferre poſſit. Caeterum cum haec quaeſtio majoris eſſet apparatus, quam ut eam epiſtola quantumvis longa caperet: neque mihi nunc deſcribendi ſuppeteret otium, quae de ea tota tractatui noſtro de jure Dominii, eoque acquirendo inſeruiſſem, pagellas ipſas, quibus continerentur ea, ita ut erant, varie interpolatas ad te mittendas decrevi. Etſi enim nec accurate diſputata adhuc ſunt, nec elegantiore pumice expolita: quippe in privatum duntaxat uſum, memoriae cauſa comparata, ejuſmodi tamen ſunt, ut quid nobis de fructibus a bonae fidei poſſeſſore acquirendis videatur, facile ex iis ſis percepturus. Quae ſi probabis, proh! quam beabis me? Coelum ipſum petam ſtultitia; ſin minus probabis, forſan etiam beatior ero, ex diſciplina Zenonis, modo me ex errore ad verum direxeris. Ubi autem legeris, rogo ad me fideliter remittas, ne tantum videlicet opus mihi depereat: nullum enim habeo aliud deſcriptum. Miſiſſem ſtatim ab acceptis tuis litteris: ſed variis ſubinde occupationibus interturbato, ad relegendum ante non fuit otium; nunc etiam tam tumultuaria opera perlegi, ut verear multa te negligenter diſtincta, & perperam ſcripta offenſurum, atque hoc quoque nomine levius hoc noſtrum munus viſum iri. Bene vale una cum lectiſſima uxore & filiolò tuo. III. Kal. Martii anno Salutis CIↃ.IↃC.XIX.

EPISTOLA XXV.

PETRUS CUNAEUS

D. Apollonio Scotto

S. D.

Hagam.

DUm te Hornae adhuc in legatione eſſe, & civium motibus componendis operam dare exiſtimabam, poſt tertiam demum ſeptimanam intellexi te Hagam rediiſſe. Quo quidem ex tempore cupientem me in dies ad te venire, occupatiuncula quaedam, atque etiam valetudo languorque domi tenuerunt. Quare ſcripta tua, Senator ampliſſime, tibi mitto, quibus hercle multo me eruditiorem eſſe factum ingenue apud omnes fatebor. Equidem tracta-

tum noſtrum de iis, quae juris & facti ſunt, pertexam ſe-
dulo; ſed non ero tam imprudens, ut etiam quae de fru-
ctibus commentari conſtitueram, abſolvam. Abjiciendum
ex animo iſtud propoſitum eſt, cum ſit adeo accurate &
feliciter a te enodata haec difficilis quaeſtio, ut caeteros
omnes, qui ſeſe hactenus fatigarunt, nubes & inania ca-
ptaſſe exiſtimem. Idque relegenti identidem, repetentique
magis magiſque ita viſum fuit. Quare noli credere, Vir
Ampliſſime, me aſſentatiuncula quadam gratiam tuam au-
cupari, cum hoc, quod res eſt, dico. Non poterat ele-
gantius explicari quid ſibi velint illa Pauli verba in l. 48.
de acq. rer. dom. *non tantum eos, qui diligentia & opera*
ejus pervenerint, ſed omnes, & cur dicat *fructus interim acqui-*
ri, & rurſus cur in l. *in pecudum* de uſur, & l. *qui vas*. §.
ex furtivis de furtis, dicantur ea, *quae in fructu ſunt*, *ſtatim*
fieri b. f. poſſeſſoris. Veriſſimo autem argumento ex l. 44.
& l. 53. de rei Vind. oſtenſum, fructus opera ejuſdem
quaeſitos ne quidem exſtantes reſtitui. Nam *Fabri* quidem
diſtinctionem inter ea, quae acquirere & lucrari dicimur,
neutiquam probare jam poſſum, ex quo primus omnium
feciſti, ut Labeonis ſententiam intelligerem in l. *ſi ejus* 78.
de rei vind. ſed apprime mihi animum explevere quae ad
l. 4. §. *lana* de uſucap. ſagaciter deprehenſa a te ſunt, pla-
ne ut ejuſdem genii eſſe credam, quae conciliationis cau-
ſa ad l. *qui vas* 48. §. *ex furtivis* de furtis, attuliſti in ea
parte methodi tuae, quae de uſucapionibus eſt. Utique
in ſententiam eam, de qua noviſſime tibi ſcripſeram, prae-
cipue me adduxerat textus l. 22. C. de rei vind. Et habet
is hercle plurimum momenti: ſed cum ad eam duplex ti-
bi reſponſio prompta fuerit, poſteriorem duntaxat ſequor.
Quod enim extantes fructus illic pro pendentibus accipi
placet, ipſo textu confutatur. Dicitur enim *extantes prae-*
ſtari a poſſeſſore. Quod ſi pendeant & pars fundi adhuc
ſint, & nondum illos habeat, non video quo pacto illos
praeſtare poſſit: apertiſſime autem in l. 3. C. de Conditio-
ne ex lege, dicuntur *extantes reſtitui*. Accedit quod & in
d. l. 22. & d. l. 3. fructibus conſumptis ex adverſo oppo-
nuntur extantes, id eſt non conſumpti, ſi oppoſitionem
contrariorum ſtare intra fines ſuos, ita ut decet, volu-
mus. Neque ad rem facit l. *ſi pendentes* 27. de uſufr.
Conſtat enim fructus ſtantes, diverſos eſſe ab extantibus,
cum utique illi quidem haud aliter, niſi ſolo cohaerentes,
cogitari debeant: hi vero etiam ſeparati a ſolo eſſe poſſint,
ta-

& tales dicantur, quamdiu conſumpti non ſunt. Illud vero avidiſſime amplexi ſumus, quod in l. 25. in fin. de uſur. cum JC. fructus eos, qui poſt ſcientiam rei alienae percepti ſunt, ipſi poſſeſſori acquiri dicit, quamdiu evicta res non eſt, modo is, qua tempeſtate ſereret, bonam fidem habuerit; totum id ad illud duntaxat genus fructuum refers, qui ſerendo aut alio facto poſſeſſoris provenere, quibus & ii junguntur recte, quos ſervus alienus poſſeſſori ex re ipſius, aut ex operis ſuis acquiſivit. Nam ut ad caeteros fructus, qui poſt ſcientiam rei alienae ante evictionem percepti ſunt, id ipſum quoque producatur, non permittit nobis Paulus in l. 48. §. 1. de acq. rer. dom. qui prodeſſe ad eam rem negat exemplum uſucapionis, cum haec juris ſit, & bona fides in facto verſetur. Quare quod ad confirmandam ſententiam tuam de fructibus, opera poſſeſſoris poſt ſcientiam rei alienae perceptis, argumentum ab uſucapione ducis, quam non impedit ſuperveniens haec ſcientia, ſi nihilominus ſuperſedeat Dominus rem vindicare, id vero nondum probare potui. Enimvero in omni uſucapione etſi bona fide opus ſit, tamen quoniam juris eſt, ſatis eſt initium eſſe juſtum, ut mox mala fide, quae facti eſt, haud vitietur; notum quippe eſt, ea quae ſunt juris, id eſt civilia, non tolli aut infirmari per ea, quae facti ſunt, id eſt naturalia, at e converſo quae facti ſunt, vim ſuam effectumque dum ipſa durant, non etiam ultra, retinere. Igitur longe magis altera ratio placet, qua Juliani ſententiam in d. l. *qui ſcit.* 25. & fin. de uſur. probas, quia hoc modo & culturae agrorum & fructuum perceptioni bono publico proſpicitur, quos alioqui negligeret poſſeſſor, ſi nihil inde acquireret: & quia Domino nihil quicquam decedit, qui nihilo plus fuiſſet habiturus, ſi ille non ſeviſſet: denique cujus res inculta deterior facta eſſet. Quod tamen ex hac ipſa ratione colligis, uſucapionem poſt acceptum judicium impleri, non ſatis intelligo, quo pertineat: non enim proprie uſucapio poſt acceptum judicium ideo impletur, ut ne alioqui rem negligeret poſſeſſor, ſi nihil inde acquireret. Sane enim haec cauſa minus communis eſt, cum & ante litem conteſtatam uſucapio ob id ipſum procedat, & praeterea, etiamſi poſt acceptum judicium uſucapio non impleretur, nihilominus tamen poſſeſſor fructus, qui facto ejus provenere, perciperet, quamdiu res nondum evicta eſt. d. l. *qui ſcit.* 25. in fin. de uſuc. Vera autem proximaque cauſa, cur poſt litem

conteſtatam uſucapio perficiatur, haec eſſe videtur, quia retinetur poſſeſſio, d. l. 18. de R.V. & l. 2. §. ult pro empt. neque nocet quod incipit cognoſcere poſſeſſor rem eſſe alienam, quia ſuperveniens mala fides, impedimentum uſucapioni non adfert. Enimvero nihil certius eſt. Etenim quemadmodum ea, quae juris ſunt, (in quo genere poſtliminium eſt) non reſtituunt ea, quae facti ſunt, cujusmodi eſt poſſeſſio: ſic contra, quae facti ſunt, non pertinent ad corrumpenda ea, quae juris ſunt, ex quo etiam fit, ut neque tempus, cum facti ſit, modus eſſe poſſit tollendae obligationis. Denique in univerſum quoniam & uſucapere poteſt, qui acquirere fructus non poteſt, & rurſus is, qui non poteſt uſucapere propter rei vitium; fructus tamen ſuos facit l. 48. §. 1. de A.R.D. Sane hinc efficitur, ut a fructuum perceptione ad uſucapionem, aut contra, non procedat argumenti vis. Poſtremo, haec uſucapio, quae poſt litem conteſtatam impletur, civiliter duntaxat & imagine tenus perficitur. Plane autem effectu caret, inutiliſque eſt, & pro juſta acquiſitione non habetur, ſi enim appareat mox poſſeſſorem reddere rem debuiſſe initio litis, jam nec uſucepiſſe videtur, & reſtituere rem cogitur, quae quidem non modo codicis conſtitutionibus, ſed ff. jure ſic recepta ſunt. In quam ſententiam mirifice clara eſt l. 18. & l. 20. & 21. ff. de rei vind. video & illud ibidem in tranſcurſu ſignificari, non modo poſſeſſorem hereditatis, etſi ab initio juſtam cauſam habuit, ſed omnem cujuslibet rei poſſeſſorem poſt litem conteſtatam, imo poſt motam controverſiam incipere eſſe malae fidei poſſeſſorem. Equidem ego fateor id ita eſſe ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον & vulgo. Fit enim ferme, ut poſſeſſor, per litis conteſtationem, aut ante eam mota controverſia, cum ſummatim dominus jus illi ſuum exponit, allegatque, ſcire incipiat rem alienam eſſe; atque ita accipimus, *l. item veniunt* 20. *§. potitam* 1. *ſed etſi* 25. *§. de eo autem*, & *§. ſi ante litem* ff. de petit. hered. ſed id hercle perpetuum non eſt: quotiens enim non apparet evidens calumnia rei conventi, in dubio exiſtimandum eſt retinere eam conſcientiam, quam initio illaeſam habuit, ut potius de jure ſuo experiri, quam denuntianti & interpellanti cedere temere velle videatur. Mala quidem fides indiciis perſpicuis probanda eſt. arg. l. 6. C. de dol. eaque interpretatio ſemper admittenda, quae delictum excludit. Quare ne quidem is in mala fide conſtituendus eſt, qui inter moras litis ambigere de jure ſuo incipit, dum-

modo

modo non certo cognoſcat, ſe litem injuſtam ſuſcepiſſe. Extat ejus rei argumentum in l. *illud* 40. pr. de pet. hered. ubi tradit Paulus, *re naturaliter poſt litem conteſtatam perempta, damnari praedones, & fures, at non damnari bonae fidei poſſeſſores*; Aitque etiam *hoc juſtum eſſe, in ſpecialibus petitionibus*, hoc eſt in rei vindicatione. Et luculenta ratio illic affertur, quia non debuit poſſeſſor aut mortalitatem praeſtare, aut propter metum hujus periculi temere indefenſum jus ſuum relinquere. Sane vero, quod bonae fidei poſſeſſor poſt litem conteſtatam, pariter, ut qui mala fide poſſidet, fructus illos, qui facto ejus non provenere, reſtituit, etiam tunc cum bonam fidem poſt acceptum judicium retinet, id utique fit ſola vi litis conteſtatae, quae efficit, ut & cauſa rei reſtituatur, id eſt, ut hoc omne habeat petitor, quod habiturus foret, ſi eo tempore, quo judicium accipiebatur, reſtituta illi res fuiſſet l. *praeterea* 20. de R. V. l. *illud*. 40. pr. de pet. hered. Itaque haec praeſtatio non eſt poena malae fidei, ſed eſt ex conventione, hoc eſt, ex obligatione, & ex quaſi contractu judicii accepti, quia judicio contrahitur l. 3. §. 11. de pecul. Haec, quae retulimus, ampliſſime ſenator, non ad caput rei, neque ad convellendam ſententiam tuam, quae rectiſſima veriſſimaque eſt, adnotata nobis ſunt, ſed ad περιεχόμενα quaedam pertinent, quae obiter attinguntur. Itaque magis ea adſcripſimus, ut divinas commentationes tuas non incurioſe legiſſe videremur, quam quod ita neceſſe eſſet. Rogo te, etiam atque etiam, ut ſeculum hoc noſtrum pulcherrimo hoc munere beare, & quae mira felicitate ſcripſiſti, edere etiam digneris. Noli enim illis accedere, qui deminutionem faſtigii ſui eſſe putant; ſcientias diſciplinasque, & in his jurisprudentiam, rerum dominam, exornare. Ego nec *Everardum a Middelburgo*, nec *Viglium Zuichemum*, praeſides, neque *Hubertum Giphanium*, qui Caeſari ab intimis conſiliis fuit, neque *A. Fabrum* ſummi Senatus Sabaudici Principem, neque *Andream Gailium* aut *Mynſingerum*, alioſque ſenatoria dignitate viros pro ludimagiſtris, aut paedagogici ingenii hominibus habeo, quod otii ſui monumenta poſteritati, quae ſemper eos intuebitur, repraeſentarunt. Nam quod plerique, qui ambitione ſe paſcunt, haec nunc parvi faciunt, inſania temporum eſt, a qua nos longe longeque remotos eſſe decet, qui bonae menti operam damus. Diu eſt, cum mundus aeger coepit delirare & vanas imagines accipere: neque id mirum

eſt in tanto ſenio. Ipſa enim ſenectus morbus eſt. Quanquam ſcio hercle non adeo te contemtu ſtudiorum noſtrorum haec tua vulgare nolle, quam quod laborum noſtrorum judex eſſe, & nullius ipſe judicium ſubire, cupis. Qnod profecto vere eſt juxta Graecorum proverbium ἀπὸ πύργου κρίνειν Ἀχαιοὺς, & in ſpecula ſedere.

Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare.

Sed providebimus, ut ne tibi proſit εἰρωνεία iſta. Omnino enim quod bonitate cauſae eblandiri non poterimus, pertinacia extundemus. Vale, Vir Ampliſſime, & me amare perge. Ego vero D. *Honertio*, collegae tuo, & D. Conſuli fratri tuo ſalutem dico. Leidae 27. April. 1619.

EPISTOLA XXVI.

APOLLONIUS SCOTTUS

Petro Cunaeo

S. P.

Leidam.

PRioribus tuis non reſpondi a foro impeditus. Nec ego de juris quaeſtionibus velitandi aliqua cupidine, quod negotia noſtra alioqui non abhorrenti negant, ſed tuo mandatu, cui nihil facile negare poſſum, aperiendae ſententiae meae de fructibus b. f. poſſeſſori acquirendis, chartulas quaſdam, quibus eam eſſem complexus, miſeram. Interea explicationem L. *Certum*. 22. C de R. V. quam in medio a me relictam, ipſe pluribus approbas, an ſequi adhuc poſſim neſcio: nam quod *praeſtandi* verbum ad extantes, ſed a fundo ſeparatos fructus, cum *Fachinaeo* duntaxat referri vis, ſi ejus verbi vim expenderis, aliter te fortaſſe ſenſurum exiſtimo: praeſtat enim is quoque, qui non diminuit, neque tollendo aufert fructus, qui ſub litem motam vel conteſtatam pendebant, quod ſibi licere putaret ex. l. *qui ſcit*. 25. §. fin. de uſur. Uſufructuarius quoque cum ſalva ſubſtantia rem praeſtat, nihil ſeparatum a corpore ejus reddit. *Praeſtare* denique eſt facere ut habere liceat, aut alias damnum refundere. Denique in perſonalibus actionibus *praeſtandi* vox eſt receptior. Unde perſonales praeſtationes mixtas actiones, natura ſua reales, efficiunt. In perceptis autem fructibus *reſtituendi* vox uſitatior eſt JCtis, cum praeſertim ſummi Juris ratione, ut tenent omnes, eos jam ſuos feciſſet poſſeſſor. Quod vero l. 3. C. de condict.

dict. ex lege. quae non *praeſtari*, ſed *reſtitui* extanres jubet, ad hanc rem citas, quid eo faciat, videre nequeo, loquitur enim de malae f. poſſeſſore. Idem de eo argumento dictum eſto, quod conſumtos opponi extantibus ibidem notas, nam in d. l. 22. nulla extat mentio conſumptorum, ſed omnium. Malae fidei autem poſſeſſor, de quo agit d. l. 3. etiam conſumptos reſtituit, ut propterea eorum mentio facienda fuerit. Praeterquam quod extantes & nondum percepti, recte quoque opponantur conſumptis. Illud vero, quod de uſucapionis exemplo nihil ad fructuum perceptionem faciente differis, optime tu quidem & veriſſime: nam ita Paullum ſcripſiſſe in l. *bonaef.* 48. de A. R. D. ipſe quoque non multo ſupra attigeram: ſed duobus locis poſtea de Uſucapione loquor, priore ut etiam in aliis, quam in percipiendis fructibus ſimilitudinem inter conjuges & bonae fidei poſſeſſorem, qui poſtea cognovit alienam eſſe, notarem, quod nihil ad hanc de fructibus quaeſtionem attinet. Poſteriore, ut quod in fructibus videtur ſpectaſſe Julianus, idem in Uſucapione, etiam poſt acceptum judicium implenda ex parte ſpectatum, fuiſſe ab aliis, indicarem, quod nihil facit contra d. Pauli locum, immo potius eo juvatur. Nam ut jus eſt Uſucapio, ideoque ſcientia rei alienae ſuperveniente non impeditur, ita jus quoque ſit neceſſe eſt, ut fati a bonae fidei poſſeſſore fructus adhuc poſt ſcientiam ejus fiant. Nam ſi factum eſſet, ut in caſu, quem Paullus proponit, de eo, qui ſciens alienum, hoc eſt cum jam non eſſet bonae fidei poſſeſſor, fructus, quos ita ſevit, aut alioqui natos ſuos vult facere: non fierent ejus, quoniam *Verendum, ne non ſit bonae fidei Poſſeſſor.* Sed nos ſimilitudinem duntaxat rationis, non vim aliquam argumenti ſpectavimus, ſecuti Gajum in l. 18. & 20. ff. de R. V. qui fruuctum poſt judicium acceptum reſtituendorum, & rei uſucaptae reddendae tractatum conjunxit. Quare pati poſſumus, ut haec de uſucapione mentio, quam alio loco exactius inquirendam ſervavimus, hic deleatur. De Lite autem conteſtata, quae dicitur in mala fide conſtituere poſſeſſorem, ut verum dicam, non probaſti mihi opinionem tuam. tametſi hunc quoque locum attigi tantum, ut objectionem removerem, quae hinc moveri poterat, non ut quaeſtionem, de mala fide, in qua poſſeſſor per judicium conſtituitur, exacte diſcuterem. Quod enim perpetuum hoc eſſe non vis, ut lite conteſtata in mala fide quis conſtituatur, ad caſus fortuiti

interea

interea ſupervenientis excuſationem ſi reſpicias, dici forte poterit. Sed quoad fructus interea perceptos & percipiendos, & alia omnia, in quibus factum & culpa poſſeſſoris deprehendi poteſt, omnino certum eſt: cur enim in l. *ſed etſi* §. *ſi ante litem.* de pet. her. omnes poſſeſſores pares fieri dicerentur, poſt motam controverſiam, ſi adhuc excuſatio bonae fidei cuiquam condemnato reſtaret? nam quod eam interpretationem admittendam ais, quae delictum excludit: recte quidem in dubiis, ſed dubium eſſe quî poteſt, quod jus certum facit? hoc autem bonae fidei poſſeſſorem poſt litem conteſtatam in m. f. conſtituit. neque ſolum poſt litem conteſtatam. ne putes hoc contractum facere, qui tunc quaſi initur, ſed poſt motam controverſiam d. l. *ſed etſi* §. *ſi ante litem*, l. 20. §. *petita* eod. tit. unde apparet id non tam ex contractu, quam ob malam fidem fieri, in qua per litem motam conſtituitur. Alio enim ſpectat, quod dicitur judicio accepto quaſi contrahi, quod nunc non eſt operae, ut attingam. Interea magnopere delectatus ſum judicio tuo, quo noſtram ſententiam ita approbas, ut omnium etiam celeberrimorum hominum conatibus in hac quaeſtione praeponas. quod tamen abſit, ut mihi ſumere auſim. Tracto enim haec talia per otium, aliud agens, aut certe ab eo opere, quod mihi muneris mei ratio imponit, laxamentum quaerens. Quare noli me in eam inſaniam propellere, ut unquam carceres effringere haec mea patiar. non ea vis animi, nec tanta nobis ſuperbia. cum ab iis praeſertim rebus deſtituar, quae commendare vel infelix inventum poſſint. Certum enim eſt, non faſtidio aliquo, vel optimarum mentium contemptu, quae nobis hanc ſtudiorum lucem excitarunt, & adhuc excitant, etiam publicis negotiis occupati; ſed quod conſcius ſum imbecillitatis meae, intra privatos parietes me coërcere, & quantum ipſe proficiam hunc ſtudiorum meorum habere ſummum finem. Sic enim optime meo me modulo metiar, nec committam facile ut aliis riſum praebeam. Interea cum amiculis garrire, & illis, dummodo hac communicatione augeri poſſim, vel intima mea committere jucundum erit. tantum abeſt, ut alieni laboris judex eſſe, & nullius ipſe judicium ſubire cupiam. Nunc redeo ad poſteriorem epiſtolam tuam, & gratias primum ago de munere Snellīano, magna ex parte librum perlegi; & quae intellexi bona viſa ſunt, credo & quae nondum intellexi. Rudis enim mathematicarum artium, nihil aliud de doctiſſimo

ca-

earum profeſſore judicare poſſum. De libello famoſo doleo noſtram vicem, quod editus non eſt. nihil enim gratius accidere mihi poteſt Remonſtrantium odio, qui ipſi odio generis humani, (utinam non Dei ipſius) laborant. Deinde id quoque gratum eſſet, amicitiae cauſa hac quoque in parte tecum conjungi. cum autem nihil praeter ſtulta maledicta, & inania convitia effutiviſſent (neque enim mihi ullius ſceleris conſcius ſum,) quid praeter ſuum morbum & noſtram publicè notam innocentiam decantaſſent. itaque neſcio an me propter hoc indicium *Barlaeo*, etiam poſt factiones amico, debitorem profitear: tametſi ille optimum ſuum erga nos animum prodidit. Si quid in cauſa Middelburgenſi pro te potero, ne dubita quin acerrimum dignitatis tuae promotorem habiturus ſis, & forte non erit deſiderium tuum irritum. Tametſi melioribus rebus te natum intelligo, neque ſemper erunt tempora in viros doctos, & bene de litteraria repub. meritos ingrata. Sed videlicet parere tibi in omnibus animum induxi. Interea ſi curatores de honeſtiore tecum conditione egerint, quod facturos *Honerdius* ſpopondit, ſuadeo ne propter ſpem pretium dimittas, quo praeſertim ea ipſa ſpes non modo non minuetur, ſed confirmabitur. Utinam mihi vacuum fuiſſet voluntati tuae parere, & te per haſce nundinas Leydenſes domi tuae convenire. Sed cum alter fratrum deſtrictus judicio perduellionum: alter Synodi reliquus: ipſe quoque variis ob inſtantes ferias occupationibus tenear. id in praeſens nobis non licuit. Interea te; Mi Cunaee, cum uxore lectiſſima & ſuaviſſimis liberis D. O. M. commendo. IV. Id. Maji. 1619.

EPISTOLA XXVII.

APOLLONIUS SCOTTUS

Petro Cunaeo S. P.

Leidam.

MUnuſculum illud meum, amiciſſime Cunaee, propter tenuitatem effluxerat: itaque commode aurem vellicaſti mihi. Sed quid hoc ſibi vult, quod tali hoſtimento illud compenſas? an aliter putaſti non potuiſſe impetrari? vere tu auro contra libellum viliſſimum aeſtimaſti. accipio tamen quod offers, ſed ea conditione, ut depoſiti loco apud me ſit, & ſi quando animus tibi erit ad haec propen-

penſior, repetenti cedat. Interea, licet mihi non ſumam judicium de Theologicis, quod hodie video nimis periculoſum eſſe, lecta tamen praefatione, dolui auctoris vicem, qui mihi nequaquam commeruiſſe videtur tantam Theologici fori ſeveritatem. Sed id ferrum nunc cuditur. *Honerdius* noſter cum reliquis Curatoribus hodie ad excutiendos doctores quoſdam Lugdunum proficiſcitur. Scio non ſua ſponte hoc illum * Theologorum ſtomacho dare, ſed

* Reſpicit hîc exauctorationem Profeſſorum, quos ſuſpectos Arminianiſmi remotos volebant Deputati utriusque Synodi Hollandiae & Weſtfriſiae. quae hoc anno peracta fuit, per Mauritium Principem Arauſionenſem, Curatores, Conſules Leidenſes, D. a Swieten, & Harlemenſes, Delphenſes & Alcmarienſes delegatos. cujus totius negotii ſeriem legere nunc licet in Epiſtolis Eccleſiaſticis & Theologicis, quae praemiſſae ſunt in renovata editione A. 1702. p. 8. unde diritas illorum temporum, & odii Theologici acerbitas apparet: ea vero acerbitate ex Deputatorum Synodi (qui hic ſibi auctoritatem in Academiam & Profeſſores acquirere conabantur, & jam praejudicaverant de *Voſſio*, *Bertio* & *Barlaeo*, inaudito & temerario incepto), conſilio actum, ut non modo magnus ille *Voſſius*, & *Caſpar Barlaeus*, qui Collegium Ordinum moderabantur, ejecti fuerint, ſed ipſe Oeconomus, qui paſcere alumnos ſolebat e publico, cedere loco juſſus fuerit, ne ſcilicet venenaret illos cibo ſuo. *Bertius* exauctoratus, *Coddaeo* & *Jacchaeo* interdictum ad tempus publicis in Academia & privatis domi Scholis. *Meurſius*, quod maxime poſteritati pudendum videbitur, quia multos libros ſcribendo ſtudia ejus inhibebantur, admonitus, ut libros edere ſuperſedeat, & niſi melius ſe gerat, poſt ſex menſes illi alium Profeſſorem ſurrogandum fore denunciatum, & ſimul aditus ad Senatum Academicum intercluſus. cui decreto ſi paruiſſet, caruiſſemus doctiſſimis ejus libris, quibus nemo hodie eruditior privatum ſe eſſe vellet; *Corn. Sylvio* Juris Profeſſori, miſſionem petenti, data, addito interdicto ne privatim doceret jus. tandem novo modo & legibus ordinatis Academia & Collegio, cautum tamen eſt ab Ordinibus, ne Deputatis Synodorum poſthac liceret ſe immiſcere Academicis rebus, & reſciſſa acta nuperae Synodi Hollandiae Auſtralis. Mirandum vero nihil de tota hac converſione & καταστροφῇ actis Academicis notatum: tantum video Kal. Febr. A. 1620. decretum, ut abdicatis nihil ex pecunia, quam Rector Mag. ab illis, qui nomen Academico Albo inſcribunt, accepit, impertiretur, ſed illa tota cederet *Walaeo* & *Thyſio* nuper creatis Profeſſoribus. ſuſpenſis, vero, ut vocant, id eſt *Coddaeo Meurſio* & *Jacchaeo* dimidium daretur. quod iniquitatis nota non caret.

ſed faciemdum eſt. Hac ego occaſione uſus exolvo me pollicitis. addidiſſem & alterum, ut ad invitationem tuam non ſane invitus hunc diem tibi impendiſſem, niſi me negotium illud *Diertii* impediſſet. Hic enim dies creditoribus ſtatutus eſt conſilii capiendi quid facto opus ſit. Videbo num ſequentium aliquo magis ſit vacuum futurum. Vale cum uxore ſuaviſſima liberiſque, nos valemus. 26. Auguſti 1619.

EPISTOLA XXVIII.

PETRUS CUNAEUS S.D.

Viro D. Apollonio Scotto.

Hagam.

L*Erium* de rebus Americanis, & litteras tuas acccepi, Ampliſſime Senator. Sed non veniſſe te tota ſeptimana, cum maxime ſpem nobis feciſſes, dolui. Quid a Curatoribus noſtris actum ſit, quos ſignificabas Leydam veniſſe, ut Profeſſores quoſdam excuterent, nondum intellexi. Adeo ſum ſecurus earum rerum, quae aguntur, ut nec inquiſiverim. Cupiebam Syndicum *Pawium* ſalutare, quem nunquam antea, niſi ſemel, compellaveram, ſed inquirenti defuit occaſio. Et rurſus, cum Ampliſſimum *Honertium*, quem mei amantiſſimum feciſti, viſere volebam, jam diſceſſerat: Adeo difficulter officia iſthaec Curatoribus, dum hîc ſunt, praeſtantur, & capeſcenda ejus rei opportunitas Hagae eſt. Porro quid nudiustertius contigerit, narrabo tibi breviter, Patrone optime, ſed rogatione addita, ne ejus mentio apud alios fiat, quorum non intereſt haec ſcire. Venit ad me è concionatoribus quidam, qui ſibi, & tribus inſuper aliis, collegis ſuis, id negotii datum ajebat, ut nomine Provincialis Synodi mecum loquerentur. Ajebam gratum id fore. Et cum diceret una omnes non gravatè ad me venturos, atque hanc moleſtiam ſumpturos, reſpondi, quoniam delegati a ſolenni conſeſſu eſſent, velle me id honori eorum dare, & ad hoſpitium, ubi eſſent, venire. Cum acceſſiſſem, amica praefatione uſi, ſignificaverunt, vehementer gaviſam fuiſſe totam Synodum, cum ex Leydenſium, atque aliorum relatu accepiſſent; me ſacris rectae, intemerataeque religionis deditum eſſe, & praeclaros conatus adjuviſſe eorum, qui tot, tantaque pericula pro afflictis Eccleſiae rebus ſubiiſſent. Caeterum, quoniam coenae Dominicae nuper particeps factus

eſſem

eſſem, & in eorum ſocietatem allectus eſſem, qui religionis reformatae ſtudium profitentur, velle Synodum intelligere, quo animo conſilioque monumenta quaedam edita a me eſſent, quae ante plures annos prodierunt; Ac primo quidem non probare ſe, quod in Libris de Rep.Hebr. pag. 518. dixiſſem, *potuiſſe plebem Hebraeam in veteri Eccleſia perduci ad ſalutem propter fidem Patriarcharum*; contra enim ſe in ipſa illa plebe etiam fidem requirere. Nec rurſus illud rectum videri, quod mox pag. 525. quaedam recenſuiſſem, quae in univerſum credere ante omnia neceſſe habebant Iſraëlitae, quae poſtea negaſſem definitione comprehendi poſſe, quodque eos reprehendiſſem ibidem, qui omnia in formulas, & definitiones includunt pag. 526. Nam eo dicto videri confeſſiones, ab Eccleſiis editas, & formulas Catecheticas improbari. Mox ad Satyram ventum eſt, quam variis interpretationibus in fraudem Eccleſiaſticorum abreptam ajebant, excuſſeruntque ea loca, qui ſermonibus hominum materiem praebuerant. Tandem, cum & pro libris rerum Judaicarum, & pro jocis ſatyricis dixiſſem, quae in rem forent, honorifica, & perhumana utrimque oratione, dextris junctis, placuit, ut quiſpiam ex ipſis ad me familiariter, & amice ſcriberet epiſtolam, reſponſioniſque occaſionem mihi offerret, qua teſtatum facerem, me nec in Libris de Rep. Hebr. convellere voluiſſe ſententiam noſtrae Eccleſiae, nec Satyrae editione ſtuduiſſe cauſſam religionis, dignitatemque Eccleſiae deridere, atque ut deinceps eae litterae, ſic junctae in lucem emitterentur ab eo, qui reſponſum a me accepiſſet. Verba fecit caeterorum nomine *Balthaſar Lydius*, Eccleſiaſtes Dordracenſis. Ita diſceſſimus. Audio delegatos ab Eccleſia Leydenſi reſtitiſſe, nequid horum a Synodo fieret; ſuam enim propriam agi cauſſam exiſtimabant. Etenim, cum ipſi, nulla petitione mea, juſſu Conſiſtorii Eccleſiaſtici ante tres menſes me ad communionem coenae ſollicitaſſent, ſententiamque meam de capitibus religionis per duos delegatos, *Feſtum Hommium*, & *Everardum Vorſtium* abunde exquiſiviſſent, non debere nunc mihi objici ea, quae & ante annos multos publice edita eſſent, & ipſi nunc poſtremo, tamquam ſupervacua, praeteriiſſent. Et hercle, miratus ego ſum, quo jure, quave aequitate Synodus hoc vellet. Sed puto haec Dordracenſibus ſuggeſſiſſe eum*, qui temulentum Bacchi hymnum unà cum hymno Chriſti conjunxit, qui quotannis Flandriam, Bra-

* *Danielem Heinſium* intelligit.

Brabantiamque viſere ſolebat, ut cum Jeſuitis, aliiſque Pontificis ſatellitibus ſermonem ſereret, epiſtolarumque commercium cum illis habuit; qui in noviſſima Poëmatum editione delevit, mutavitque, quicquid in Papam, & Lojolitas patres ſcripſerat ante; qui tot ſpectatiſſimorum, clariſſimorumque virorum amicitias Hagae affectavit, & omnes mox ſprevit, abjecitque, unius *Muſii* affinitate inflatus, & quia in Synodo actuarius fuerit, quo tempore fractae, attritaeque Remonſtrantium res erant, & nullum ab illis malum formidaret. Is nunc ſcilicet in me incurſabit, qui tempore periculoſiſſimo, magna animi libertate, identidem offenſionem in me conciverit eorum, penes quos tunc ſumma rei ſtabat. ſed haec omittam. Utique, ſi ii, qui a Synodo delegati ſunt, ita ad me ſcripſerint, ut promittere viſi ſint, reſponſum a me honorificum, ac lucnlentum accipient, quod bonis omnibus animum expleat. Sin, dictorum immemores, durius me, aut inhumanius compellaverint, centies excommunicari, & quidvis exſpectare malo, quam aemulis quibuſdam, invidiſque aliquid largiri. Interim ſaepe, dum iſthaec cerno, mecum ita tacitus cogito,

Io Quirites, libertatem perdimus.

Dum enim publicis malis remedium adhibetur, in contrarium vitium incurritur, &, quod ille ait,

Excedit Medicina modum.

Ex effreni Remonſtrantium Theologorum licentia in ſervitutem quandam detrudit nos pars altera, & finem ſaeviendi non faciet, niſi vos, & veſtrum ſimiles feceritis, qui legibus, jurique, & Reipublicae praeëſtis. In fine te rogabo, Patrone Optime, ut ſi D. Conſul, frater tuus, Middelburgo ad te venerit, id mihi ſignificare velis. Brevi enim adfuturum ſe dixit, ut in conſeſſu Ordinum Generalium quaedam nomine Zelandorum exequatur, addiditque, ſeſe bona occaſione tunc effecturum, ne in verſione tot ſententiarum, quas Senatus Ordinum Foederatorum ad me miſit, vanum laborem ſumpſerim, cum *Arſenio*, *Sommelsdijkii* Domino, pro Gallica verſione amplum praemium ſit datum. Vale, Patrone Optime, meque, ut ſoles, ama, &, ut Ampliſſimus D. *Honertius* eodem in me animo ſit, operam, obſecro, da, cum apud eum omnia poſſis. Lugd. Bat. prid. Cal. Septemb. 1619.

BALTHASARIS LYDII, Deputati Synodi Auſtralis Hollandiae, omniumque nomine ad *Petrum Cunaeum* Epiſtola.

Clariſſimo, Doctiſſimoque Viro *D. Petro Cunaeo*, Profeſſori in celeberrima Academia Lugduno-Batava. S.

Noſti, Vir Clariſſime, illud Juvenalis

Fallit nos vitium ſpecie virtutis, & umbra:
Cum ſit triſte habitu, vultuque, & veſte ſeverum.

Imprimis hoc evenire ſolet iis, qui in alios dicere parati ſunt; apud quos, (ut quidam recte obſervavit) zelus facile degenerat in ſcelus. Simile quid tibi quoque contigiſſe in Satyra tua Menippea, & aliis quibusdam tuis ſcriptis, judicant non tantum Theologi in Belgio, quos perſtrinxiſti, arridentibus, & in ſinu hoc nomine gaudentibus Jeſuitis, verum etiam alii viri docti in Europa, quos aliquid hac de re monuiſſe ſuſpicamur: ingemuiſſe autem quam plurimos nulli dubitamus, quos ſtricturae ingenii, paſſim in ſcriptis tuis relucentes, non tanto gaudio affecerunt, quantos gemitus expreſſerunt aculeata tua, & in religionem ipſam vibrata tela. Nos quaedam non ſtudio obtrectandi enumerabimus tibi, ſed eo tantum fine, ut ſcripta tua, in quibus ſplendet ſcientia, poſthac omnium bonorum probet conſcientia. Tuum erit, ut ſacerdotis Juſtitiae (hoc enim titulo non nemo veſtrum inſignivit ordinem) ea, quae excuſare non potes, ingenua erroris confeſſione obliterare, cum nullus pudor ſit, ad meliora tranſire, &, ut Minutius Faelix ſcripſit, *confeſſae imperitiae ſumma ſit prudentia.*

Non enumerabimus ſingula, neqne Α'γυρταμοιβικῶς in ſingula inquirere decrevimus, ut, quod pag. 1. Satyrae tuae dicis, *Totum hoc admodum leve, & venia dignum eſſe mentiri.* Certe hoc non decet Chriſtianum, qui Deum novit eſſe veritatem, & ſibi dictum eſſe a Deo, *Sancti eſtote, ſicut ego Sanctus ſum.* Perſae profecto ſuum Oramagden corpore luci, anima veritati ſimilem eſſe putabant. Si inutilis verbi nobis reddenda erit ratio, quanto magis mendacii? An ergo jocari vetatur? Non hoc dicimus, ſed jocos innocuos eſſe oportere, nllique noxios omnes pii judicabunt.

Non hoc exaggerabimus, quod pag. 17. indicas, *Certum tibi ſtare, fines ſcientiae paullo longius, quam natura voluit, proferre.* Quae mera vanitas eſt, non enim aberrandum à linea ὑπὲρ ἐσκαμμένα.

Neque

Neque etiam illud examinabimus, quod ibidem dicis, *non omnes ad Tartari ſedes, & Ditis ad regnum mitti, ſed fatum quoddam ſingulare eorum eſſe, qui in terris dum eſſent, doctrinae ſtudia ſecuti fuerunt*: nos tertium locum prorſus ignoramus, &, quod amplius eſt, nullum talem locum eſſe, ex ſcripturis novimus.

Praeteribimus etiam illud, quod nulla ratione conciliari haec duo poſſe putamus, quod in praefatione in Satyram fatearis, *quoſdam degeneres, & pravos leviter te notaſſe*, poſtea in praeſcriptione tua ad Lectores, quaſi oblitus tui, dicas, *neminem te ſcientem laeſiſſe.*

Vel ſola pag. 28; ubi *de pallore invidiae* agis, & iis, *qui dolebant alium à pluribus adoleſcentulis audiri*, ſatis docet, bile interdum tuum detumuiſſe jecur, neque à te ſervatum moderamen inculpatae tutelae. Optime Auguſtinus in Epiſt. ad Galatas: *Quicquid lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic, quod voles.*

Amando, (ait idem, de verbis Domini, Sermone 16.) *debemus corripere, non nocendi aviditate, ſed ſtudio corrigendi: ſi peccaverit in te frater tuus, quare illum corripis? quia doles, quod peccavit in te: ſi amore tui illud facis, nihil facis: ſi amore illius, optime facis.*

Haec, inquam, & ſimilia, omittemus in praeſentiarum; quaedam majoris momenti notabimus. Lemma Libri tui eſt, *Sardi Venales.* Noſti originem proverbii, & mentem, uſum illius eſſe, cum indicare volumus, *Alium alio nequiorem.* In hoc libro, Theologi utramque tibi faciunt paginam, illos, tamquam omnium peſſimos, orbi exſibilandos, & deridendos propinaſti.

Juvenile vitium eſt, regere non poſſe impetus.
Speramus te jam agnoſcere, calorem. & fervorem juventutis, temporibus illis te abripuiſſe transverſum. Nos aliud Lemma praefigendum putamus iis, quae de Theologis dixiſti, videlicet hoc, *Sabini ſomniant, quod volunt.* Tantumne, o Cunaee, tibi otii fuit a re tua, aliena ut curares, eaque, quae nihil ad te attinent?

Oblitus hîc fuiſti praecepti, quod pag. 99. & 101. tibi a Sophroſyne datum eſſe finxiſti, nimirum, ut *nihil ipſe molireris, omnium ſpectator eſſes.* Nam illa aetatula, tamquam tertius ex coelo Cato, ex tripode (ridentes, non irati haec ſcribimus) neſcio quae oracula, lauro devorata, fudiſti, & ſummum tibi de Theologorum doctrina, & moribus arro-

gaſti judicium, ut Catonis Cenſorii titulum videaris ambiiſſe.

Hactenus eminus, tunc cominus. Pag. 10. & 11. dicis, *contentionem inter Theologos ortam de fato, re anili, & plena ſuperſtitionis.* De fato Stoico recte hoc pronuntiatur. Nemo reformatorum illud adſerit, ſed nomen, & rem deſpuit. De praedeſtinatione Divina, & cohaerentibus quibuſdam articulis, orta proh dolor! in Batavia controverſia eſt. Hanc vero fatum Stoicum nominari, in Deum contumelioſum eſt: quinimmo haec Doctrina fatum Stoicum refutat ſolidiſſime. Neque enim Deum cauſſis ſecundis, tamquam catena quadam, alligat, aut complexum fingit cauſſarum ſecundarum, cui ipſe Deus irretiatur, ſed illum ſuperiorem omnibus cauſſis, & cauſſam omnium rerum bonarum, gubernatorem autem malarum ſtatuit.

Quod ſutores, ac fabros, ut quereris, *ea controverſia tenuit*, iis imputandum, qui Theſes de hac materia in Academia diſputatas in linguam verterunt Belgicam, ut malum extra Academiam ſerperet longius, neque ullis repagulis, aut carceribus contineretur. Si quidam, qui capere iſta nequeunt, *in furias, & deſperationem*, ut dicis, *aguntur*, id non fit genio illius doctrinae, ſed abuſu. Neque hoc nomine culpandi Theologi, ſi qui illa doctrina abutantur. *Non* enim, (ut Auguſtinus recte judicavit) *propter eos, qui capere non poſſunt, haec doctrina iis reticenda eſt, qui capere poſſunt.* Nam alias futurum eſſet, ut tales capiantur contraria falſitate. Doctrina praedeſtinationis etiam a priori, (ut in ſcholis loquuntur) tradita, ſolidam praebet in maximis tentationibus conſolationem. Exempli gratia. ſi quis effecta fidei in ſe ſentiat eſſe tenuia, non adigitur hac doctrina ad laqueum, ſed monetur, Electionem ſuam non niti fide, aut fidei effectis, ſed gratuita Dei miſeratione, qua Deus immerentem complexus eſt, & foedere perpetuo ſibi deſponſavit, cujus deſponſationis infallibilia ſunt ſigilla; fidei etiam infirmae, modo ſit ſincera, indicia. Nihil in hac doctrina eſt, quod non erigat labeſcentem, tantum abeſt, ut eum praecipitet in deſperationem. Minus ergo, Doctiſſime Vir, peccaſſes, ſi ſatyrico ſale defricuiſſes, qui haereſin Semipelagianam de paxillo in Batavia ſuſpenderunt.

Pag. 80. & 81. non in hos, aut illos Theologos, ſed in ordinem ipſum abuteris facundia tua, cum eos vocas, *majorum gentium ſapientes, gentem ſacroſanctam, & omni majorem exceptione, inter quorum familias Divam Sophiam nuſ-*

nuſquam reperiri, *ſed falſam tantum eius imaginem*, *&* *quandam umbram.* Pag. 83. liberrime judicas, quae poſtea pag. 86. tamquam intercalarem verſum cum exaggeratione quadam repetis.

Norunt profectò, Clariſſime Domine, Theologi *ex parte ſe cognoſcere*, *ex parte prophetare*, & ſibi ſubinde illud ſuccinunt, *quanta neſcimus!* Utinam, qui in illos tam ſunt diſerti, ſatis expenderent illud,

Metiri ſe quemque ſuo modulo, *&* *pede verum eſt.*

Abſit omen, quod in nulla familia illorum, qui ſoli veram ſapientiam docent, ejusque Myſtae, & praecones ſunt, *ulla ſapientiae vola*, *aut veſtigium* reperiatur. *Magna crimina*, (ait Bernardus in Cantic.) *tarde credenda ſunt*; *cum audiuntur*, *&* *citius punienda*, *cum vera agnoſcuntur.* Utinam haec expendiſſes, Vir Doctiſſime, non tam graviter impegiſſes, neque in ordinem Theologicum tam fuiſſes injurius, hoc illis derogando, in quo ſolo occupantur ex officio ſibi a Deo impoſito.

Pag. 90. dicis, *Horreſcere tibi animum*, *cum cogitas*, *magiſtros rudes*, *&* *indoctos ea*, *quae nondum ſatis exploratè percepta ſint*, *&* *cognita*, *veluti certa affirmare.* Magnum peccatum Theologorum, ſi ab iis ſit admiſſum. Indignum facinus tuum, ſi praeter fas, & meritum, tam graviter a te accuſentur. Scimus, nihil audacius eſſe ignorantia. Sed ex altera parte multis nimium arridere Scepticam Theologiam, cum ſummo dolore experimur, quaſi nihil fere ſit definitum, verum, pauciſſimis tantum dogmatibus exceptis, veritas demerſa ſit in Abderitae puteo, ac numeris Platonicis omnia ſint obſcuriora. Huc multi trahunt illud, *Sanctius*, *&* *reverentius eſſe*, *divinas res credere*, *quam ſcire.* Certe, *ſi vides*, *non eſt fides.* Quod ſi argumentis, cum corrupta ratione congruentibus, in cauſſa fidei niti volumus, atque hac ratione *ſcire*, nondum ſcimus, ut oportet: nam etiam intellectum captivari oportet in obſequium Chriſti. Quod ſi praetextu reverentiae erga ſacra, ſcientiam, & certitudinem Dogmatum tollimus, nae in altero extremo peccamus.

Ambiguum quoque illud eſt, quod eadem, & ſequenti pagina ſcribis, *Pauca duntaxat oracula adflatu Dei*, *inſtinctuque fudiſſe viros ſanctos*, *quae ſi aperta*, *&* *clara forent*, *melius*, *atque tranquillius ſeſe res mortalium habituras.* Exiſtimamus bona pace tua, haec verba non decere Orthodoxum, ſed lucifugas ſcripturarum. Hi enim (ut verbis I-

renaei utamur lib. 3. cap. 2.) *cum ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum ſcripturarum, quaſi non recte habeant, neque ſint ex Auctoritate, & quia variae ſint dictae, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant traditionem.* Contra, Chriſtianus adorat Scripturae plenitudinem, quae ei factorem, & facta plene revelat; Lactantioque adſipulatur, qui de falſa religione lib. 1. cap. 1. *Scripturam*, vocat, *doctrinae uberrimum, ac pleniſſimum fontem, cujus hauſtu, atque potu, ſedent lectores conceptam viſceribus ſitim.* Additque, *Eſſe illis omnia facilia, prona, manifeſta, modo ne pigeat, ad percipiendam ſapientiae diſciplinam, legendi, vel audiendi patientiam accommodare.* De obſcurioribus autem nonnullis, quae ſunt in Sacris Scripturis, pii uſurpant illud Proſperi in Epigrammatibus:

Exercent animum dona morata tuum.
Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit,
Ultra oblatorum vilius eſt pretium.
Exercent adoperta etiam myſteria mentem.
Qui dedit ut quaeras, addet, ut invenias.

Abſit etiam a Theologis (agnoſce verba tua) *ut ad quamcunque ſunt ſententiam delati, ad eam, tamquam ad ſaxum adhaereſcant*: nam non deferuntur tamquam tempeſtate ad hanc, vel illam ſententiam, ſed diu deliberant, quid de Religione tandem ſtatuant, & filum ſcripturae ſequentes, ex omnibus Labyrinthis ſe expediunt, & *ad ſtationes credendi*, (ut cum Tertulliano loquamur,) *perveniunt.*

Neque etiam, ut pag. 92. ſcribis, *tam ſunt pertinaces, ut nunquam aliquid perperam didiciſſe, aut docuiſſe velint videri.* Sed ea nolunt ſibi extorqueri, de quibus ex verbo Dei ſunt edocti, optantque, ut qui haec, & ſimilia ipſis objiciunt, ſibi dictum putent:

Parcius iſta viris poſt objicienda memento:

aut dent probanda.

Clamores etiam eorum, qui vociferantur, nolle illos

Quae juvenes didicere, ſenes perdenda fateri:

tamquam calumnias negligunt, conſcii apud animum ſuum, in ſe immerentes haec dici.

Abſit etiam (quod ibidem illis impingis) *ut ſibi regnum vi, ac factionibus muniant.* Didicerunt a Servatore ſuo, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, miniſtros ſe eſſe Jeſu Chriſti, & membrorum ipſius. Si ſtatum mundi pervertere putentur, concitare populum, perturbare Iſraël, ter-

terram non poſſe ferre ipſorum conciones, hoc teſtimonio conſcientiae ſuae freti, ſusque deque ferunt. Sciunt, *ſervo debere ſufficere, ut ſimilis ſit domino.* Conſolantur ſe exemplo Eliae, Amos, Apoſtolorum. Orare norunt, flere, & obſecrare. Aliis armis uti nec volunt, nec poſſunt, quicquid aliis de ipſis dictet ſplendida ſua bilis, cujus ſuo tempore Deo reddent graviſſimas rationes, *cum Deus tarditatem ſupplicii gravitate compenſabit.*

Diſplicet quoque illud, quod pag. 98. Sophiam pingis, ac fingis dicentem : *Cives quidem meos in poſterum nullos, niſi eos agnoſcam, qui & libera eſſe judicia patiuntur, neque unquam ultra id, quod veriſimile occurrerit, procedunt.* An putas, Vir Clariſſime, Theologos eſſe ſervum pecus, & judicia hominnm authoritati adſtringere? Falleris: ſoli Verbo Dei ſe alligant : hujus, non hominum, ſunt ſervi, in qua ſervitute vera eſt libertas. Hoc fundamento Verbi Dei nixi procedunt ultra veriſimile, & certi ſunt de iis, quae credunt, certi, inquam, ex teſtimonio Spiritus Sancti, teſtantis in verbo ſuo, *Spiritum eſſe Veritatem* 1 Joh. 5. 6. Multoque de hoc ſunt certiores, quam Philoſophi de iis, quae demonſtrantur a priori, aut quae naturâ nota ſunt.

Proficiunt nihilominus pii judices, ſed in eadem, non in alia doctrina, ſicut eadem, non alia membra ad juſtam paullatim magnitudinem perveniunt, ut optime demonſtrat Vincentius Lirinenſis. Quare in Theologia explodendos judicamus illos homines, quos Sophia pag. 100. *Maxime ingenuos judicat, quorum pulcherrima ſcientia ſit, nihil admodum ſcire.* Nos illos ad agnatos amandandos, & ex Eccleſia Chriſti relegandos eſſe putamus, & in Academicorum album referendos.

Reliqua a pag. 106. usque ad finem ferè, quid ſunt, niſi atrae bilis vomitus? ut, quod pag. 108. Theologos dicis, *omnibus vitiis plenos.* pag. 110. *propriam illius ordinis virtutem eſſe, animo feroci eſſe, in omnes incurſare.* pag. 114. *quod ſemidocti cruda adhuc ſtudia propellunt in templa*: pag. 115. *Quod tollant liberos in ſpem eſuritionis.* Omnibus his convitiis, & toti Satyrae, verbis pene ſingulis ex Satyra tua deſcriptis, pag. 130. hoc modo reſpondemus : *Inter ipſos litteratos, qui nobilitare induſtriam ſuam hodie vult, Satyram ſcripſit in Theologos, perinde quaſi ordinem iſtum traducere, id demum eſſet ingenio uti.* Vide, ne aliquando mirmillo aliquis exoriatur, qui tibi, quod Deus avertat, retiario exemplo condigno os verberet. Nos te ruſticatim Theologos adorientem, urbanatim excepimus.

Haec. ad Satyram, per ſaturam.

In praefatione in Julianum, (quem ingenuè apud nos fatebaris improvidè à te Satyrae Menippeae ſubjectum) diſplicet multis, quod *pietati patrum defuiſſe Candorem* ſcribis; neque eo contentus, *laudatiſſimum eum* voces *principem, qui maximis heroibus accenſeri debeat*; quod *Patres tranquilliſſimo pectori extorſerint patientiam. Debuiſſe illos imperia mitigare obſequio.* Quod Julianus *magno ſtudio innocentiam concupiverit, & aſſecutus fuerit.* Quod itidem conquereris, *eum fatorum iniquitate, cum prima ſpatia firmioris aetatis ingrederetur, extinctum.*

Noſti illud, quod ex Varrone quidam laudant veterum, *In multis contra omnes ſapere, eſt deſipere.* Tota de Juliano aliud ſenſit antiquitas. De Mari, Epiſcopo Chalcedonenſi refert Socrates lib. 3. cap. 12. quod cum Julianus ei acerbe objiceret vitium oculorum, (quod virum bonum non decebat) dicens, *Num curabit te Galilaeus ille Deus tuus?* reſponderit, *Gratias ago Deo meo, qui coecum me reddidit, ne hominis tam impii vultum videam.*

Sozomenes Lib. 5. cap. 4. & 5. diligenter in illo varia notavit vitia, inter alia dicens, quod exilio ſub imperio Conſtantii condemnatos Sacerdotes revocaverit, non miſericordia illorum tactus, ſed ut Eccleſiam illi per mutuam contentionem, inteſtina digladiatione oppugnarent, & a conſtitutionibus deficerent, vel ipſe Conſtantium traduceret.

Judicium Nazianzeni, & Athanaſii de vita, & morte ipſius praeteribimus, quibus putamus vel te judice ea, quae juvenanti animo à te ſcripta ſunt, & illa aetatula tibi exciderunt, componi ad aequilibrium non debere, tantum abeſt, ut putemus praeferenda.

Recte de Juliano judicarunt, qui eum *Victimarium*, & *Graecanicum literionem* vocarunt. Sed fuerint ſanè in illo quaedam virtutes politicae: Noſti illud Auguſtini, tractatu 25. in Johannem: *Et ſunt opera, quae videntur bona, ſine fide Chriſti, & non ſunt bona, quia non referuntur ad illum finem, ex quo ſunt bona.* Item illud Epiſt. 99. *Quadam indole animi delectant illae Ethnicorum virtutes, ut non libenter illas damnemus; Sed quid coram judicio Dei ſit peccatum, non aliunde, niſi ex ejus verbo diſcendum eſſe.*

Interim non negamus, ſed cum eodem Auguſtino dicimus Epiſt. 130. & contra Julianum Lib. 4. cap. 3. *has virtutes* (liceat nunc ita vocare) *in Ethnicis fuiſſe dona Dei,*

cum non ipſi, ſed Deus in ipſis iſta ſit operatus: ſed cum Chriſto adjungimus, *Tuliſſe illos mercedem ſuam.*

Addimus denique, haec talia non eſſe, tam Hyperbolicè extollenda, ſed cogitandum, gentes multis ſuis actionibus obfuſcaſſe ſplendorem Politicae probitatis; ut, quae ſplendebant quadam claritate, eae evanuerint poſtea naturali vanitate. Veniemus ad libros tuos de Rep. Hebraeorum, qui publici ſaporis non ſunt; in quibus grati ſuſpicimus cognitionem linguarum, & antiquitatis Judaicae. Tria praecipue in illis obſervavimus, quibus non putamus adſcribendum, *Bonum factum.*

I. Eſt de Melchiſedeco. Lib. 3. cap. 3.

II. Quod de fide vulgi Iſraëlitarum aſſeris. pag. 525.

III. Quod pag. ſequenti de formulis fidei ſcribis.

Quod primum illud attinet de Melchiſedeco, quem ſtatuiſti fuiſſe filium Dei, qui pro tempore humanam formam aſſumpſit: Utinam toto illo capite expendiſſes, quod pag. 398. dicis, *non eſſe convellendum temere, quod a pluribus conſtanter ſtatutum eſt, quippe, ubi hoc fit, periculum eſſe, ne omnia pervertat innovandi libido*, non ſic in ronchos abiiſſes, & toti Antiquitati, addo & Eccleſiis omnibus, inſultaſſes, ſcribens Athanaſium, hunc locum enarrantem, impleviſſe omnes futilitatis numeros, & neminem aegrotum ſomniaſſe quicquam tam infandum, quod non aliquis affirmet ſapiens. Quid hîc regeremus? Illud. Non ſic pugnare decebat te juvenem veterano. Decuiſſet ſanè aetatem illam tuam, qua iſta ſcripſiſti, aliter venerari canos, & conſenſum veteris Eccleſiae. Fatemur tecum, *cum receptae opinioni adverſatur ipſa ratio, valentiorem eſſe debere omni authoritate veritatem*: Sed ut hoc tam de opinionibus proprie ſic dictis, quam de Axiomatibus in Eccleſia Catholica receptis, libenter conceditnr, ita putamus non permittendum eſſe, ut quiſquam hac in re ſibi ſit Suffenus, & ſibi ipſi plaudat, antequam rationes, quae adferuntur contra receptam ſententiam, ad obruſſam verbi divini rigidè ſint exactae.

Joachimus Camerarius in vita Philippi Melanchthonis pag. 359. editionis Anni M. D. LXVI. contra iſtud ſcribendi cacoëthes, & pruriginem animorum quaedam ſcripſit; quae, ſi annis aliquot praeteritis, in Batavia obſervata fuiſſent, minus laboraſſemus. Verba ipſa ſubjiciemus; *In Aegypto*, inquit, *olim, quemadmodum fertur, quod quisque in aliqua arte excogitaſſet, id in conventu peritorum conſideratum, &*

dijudicatum ſic demum, ſi approbatum eſſet, curabatur tanquam verum in columnis perſcribendum, quae in ſacris quibusdam locis ſervabantur. Tales conventus nunc quoque agi erat optandum, & expediret, ut de iis ſcriptis, quae proferenda aliquis in lucem, & edenda exiſtimaſſet, docti, & ſapientes conſulerentur, deque illorum ſententia, utilia, ac bona publicè reponerentur, mala, atque pernicioſa obliterarentur delendo. In quo melius eſſet, ne nomen quidem ſcriptoris conſervari; id quod in Aegypto quondam factum accepimus. Hoc ſane pacto obviam iretur cupiditati immodice ambitioſorum, & gloriae appetitio reprimeretur, & non complerentur animi hominum, opinionum mirabilium abſurdarumque varietate. At nunc, quoniam ſcribendi facultas conceditur cunctis, & judicandi poteſtas datur cuilibet, qui ſunt audaciſſimi, ii vulgò in pretio, honoreque habentur, & omnia ubique pernicioſis, & turbulentis contentionibus perſonant. Verum apponantur, & iſta ad miſeriarum noſtri temporis acervum, & fatalium poenarum gravitatem. Hactenus Camerarius.

Faelices (dicebat ille) forent artes, ſi de iis ſoli artifices judicarent, nec ſinat poſthac magnus Deus, ut ii, qui in Petronio Arbitro, Apulejo, Triumviris amorum, Martiale, & ſimilibus, magis, quam in ſacris litteris ſunt verſati, ut vel ſtylus ipſorum arguit, qui colorem ex propudiis iſtis ſcriptorum duxit, ſummum ſibi de controverſiis Religionis ſumant judicium. Sed ad lineam. Rationes illae, quas pro ſententia tua de Melchiſedeco adfers, non ſunt demonſtrationes, neque difficile fuiſſet ſingulas refutare, & quantum in iis ſubaerati eſſet, oſtendere, ſed ne nimium excreſceret haec Epiſtola, ſufficere putamus, haec tibi inſtillare: Melchiſedicianorum errorem à te quodammodo recoctum eſſe, & argumenta illa tua in commentariis in Geneſin, & Epiſt. ad Hebraeos, cùm à noſtris, tùm à Pontificiis ſcriptis, ſolidè eſſe refutata.

Ad ſecundum veniemus. pag. 525. Libri tui de Rep. Hebraeorum haec ſcripſiſti, quae cum ſummo animi dolore legimus, *quae in univerſum plebs Iſraëlitarum credere neceſſe habuit, ea ferme iſtiusmodi ſunt, Dei virtute res poſſe maximas, & admirandas perfici: certa eſſe illius promiſſa: colendum illum non vultu, & fronte, quibus ſimulatio facillime ſuſtinetur, ſed animi obſequio: eam gloriam, eas opes eſſe pulcherrimas.*

Haec ne *Caſſandro* quidem, aut *Acontio* placuiſſent. Nos iſti ſententiae tuae opponimus haec loca, Ef. 53. 11. *In*

ſcien-

ſcientia ſua juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos. Actor. 15. 11. *Per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, credimus ſalvari, quemadmodum & illi.* Rom. 3. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quae eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit propitiationem PER FIDEM IN SANGUINE IPSIUS.*

Ad tertium de formulis fidei haec obſervavimus: quod pag. 525. cum Theologia Venatoriana (cui tamen cum gaudio intelleximus, te fuiſſe adverſatum, cum doctoratus Medici lauream apud vos ambiret) in praecipua quadam parte pulchre tibi convenit. Opponis enim ibi te acriter formulis, & ſymbolis Eccleſiarum, ſcribens; *Ridiculam ſuperſtitionem eſſe, de definitionibus ſemper ſollicitum eſſe. Quaedam enim non recte limitari, ita rerum indolem ferre. Doctores umbraticos, qui omnia in formulas includant, ſaepe in arctum deſilire, unde pedem referre non ſinat pudor, & incepti lex. Hinc diſcordias, iraſque, & nullam modeſtiam contentionum.* Pag. 537. & ſeq. dicis; *non eſſe cujusquam ſani hominis, de ſingulis operoſè diſputare, atque argutias ſerere. Non debere coeleſtem ſapientiam in has anguſtias ex ſua majeſtate detrahi, neque eos ipſos, quibus hoc facere curae eſt, quicquam magnopere proficere: nihil enim, niſi flexus, diſponere, quos cum magna moleſtia debeant relegere.* Haec plauſum merentur apud illos tantum, qui magnas potius quaerunt Eccleſias, quàm caſtas, & non expendunt, quantam paleam levent contra pauca grana: neque limites a Deo poſitos, à peſſulis humanis, aut licentiam à libertate diſtinguunt, ideoque invehuntur perpetuo in Confeſſiones, & Catecheſes Eccleſiarum, à quibus ſuam prophetandi libertatem ſentiunt conſtringi, exiſtimantes, rectius ſe humanas res habituras, ſi Religio accommodetur ad Rempublicam, ideoque recipiatur fides, veteri, & novo teſtamento comprehenſa: quaenam verò illa ſit, non definiatur, niſi quoad pauciſſima, & catholica quaedam dogmata, qualia fere Catecheſi Gaudana exprimuntur.

Huic judicio opponimus praxin veteris Eccleſiae, in qua ſemper fuit ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων. 2 Timoth. 1. tmem. 3. & λόγος τῆς ἀρχῆς, καὶ τελειότητος. Hebr. 6 tmem. 1. His poſtea ſucceſſerunt Symbola varia, videlicet Apoſtolorum, Synodi Nicenae, Symbolum Athanaſii; Determinationes Synodi Epheſinae, & confeſſio fidei in Chalcedonenſi concilio edita, in quibus contra errores fidei ſuboleſcentes, nonnulla inſerta ſunt, quae iis refutandis face-

facerent; tantum abeſt, ut pacis cauſſa, vela confeſſionum ſuarum (ut nùnc fieri amat) contrahenda putarent.

Vides, Vir Clariſſime, non umbraticos doctores, ſed maxime practicos, & in iſto ſtadio exercitatos, Symbolorum, & formularum uſum inveniſſe, & urſiſſe.

Quaerunt quidam, quo fructu? Reſpondemus, ut quicquid per univerſum divinorum voluminum corpus, immenſa diffunditur copia, totum illud in talium ſymbolorum colligatur brevitate perfecta.

Recte Auguſtinus Lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. *Iſta verba, quae audiſtis, per divinas ſcripturas ſparſa ſunt, ſed inde collecta, & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo poſſet dicere, poſſet tenere.* Idem nos dicimus de Confeſſione, & Catecheſi noſtra. Compendia judicamns eſſe ſcripturarum, & ſcripturas ibi per ſcripturas, ſecundum Analogiam fidei, explicatas eſſe: neque tamen, ut Patres hyperbolice locuti ſunt, ſymbola illa vocamus *Regulas fidei*, *Catholicae fidei fundamentum*, *Normas fidei*, ſed pro normatis haberi debere judicamus, donec contrarium ex verbo Dei fuerit demonſtratum: neque licere putamus cuiquam privata authoritate formulas illas arrodere, aut traducere, quod ſummo periculo pacis Eccleſiaſticae, & Politicae fieri, praxis ipſa, ſtultorum quoque magiſtra, nos docuit.

Haec ſunt, Doctiſſime Vir, praecipua, quae in tuis ſcriptis multi viri boni obſervarunt, quibusque a te ipſo nigrum Θῆτα praefigi debere exiſtimant, & ingenua confeſſione purganda eſſe judicant. Speramus te exiguo aliquo ſcripto, ſeorſim edito, & nobiſcum prius communicato, haec, & ſimilia retractaturum. Ita fiet, ut non tantum Eccleſiam, quam contriſtaſti, rurſum exhilares, & aedifices, ſed, quod praecipuum, & palmarium eſt, hac in foetus tuos ſeveritate, manus tuas Domino ſanctifices. Vale, vir clariſſime.

Tardius haec ad te mittimus, quia is, cui ſcribendi provincia impoſita fuit, obrutus mole negotiorum, ſcriptis tuis evolvendis, prius vacare non potuit. Rogamus autem, ut nobis adhaec reſpondere non graveris, idque prima occaſione, propter inſtantem Synodum, in qua nobis actorum reddenda erit ratio. Speramus autem reſponſum fore tale, quod ſatisfaciat Synodo noſtrae; in quo voto haec finiemus,

mus, tibi omnia fauſta precati a Domino. Hagae Comitis in conventu noſtro VI. Julii, Ao. 1620.

Tui ſtudioſiſſimi

Deputati Synodi Auſtralis Hollandiae, omniumque nomine

Balthazar Lydius. M. F.

PETRI CUNAEI ad praecedentem *Balthaſaris Lydii* Epiſtolam reſponſio.

Viris Reverendis, Spectatiſſimis, Delegatis Synodi Auſtralis Hollandiae S. D. *Petrus Cunaeus.*

CUm nuper apud vos eſſem, Viri Reverendi, ſumma fuit veſtra erga me humanitas, comitasque, quae totum me in admirationem veſtri, & ſingularem quandam obſervantiam pertraxit. Quare qui omnibus bonis viris, & praeſertim piis, libenter ſemper rationem reddidi eorum, quae facta a me, ſcriptave eſſent, non recuſavi vobis, tam amico colloquio de Satyra mea Menippaea, deque commentationibus rerum Judaicarum ſententiam meam exquirentibus, animum penitus explere. Quae quidem facilitas mea adeo probata vobis fuit, ut multis ſpectatiſſimis, integerrimisque viris ſignificaveritis, effectum id omnino eſſe, quod deſiderabatis. Utique, ſi inſtituta adverſus me accuſatio fuiſſet, petiviſſem per gradus quosdam, & ordine ad illud perveniri, ut primo cauſſam mihi dicere liceret apud Senatum Eceleſiaſticum Leydenſem, qui ſuperiore aeſtate poſt finitam Nationalem Synodum, edita ante multos annos Satyra, ac vulgatis pridem rerum Judaicarum libris, in ſacra Religionis Reformatae me ſuſceperat. Mox, ſi obſequium ſpectatiſſimo illi coetui non praeſtitiſſem, aut ſatis ei non feciſſem, conſequens erat, ut res ad Synodum devolveretur: ſed nihil me abs re mea facturum exiſtimavi, ſi & verbis apertis in conſeſſu veſtro coram, ac deinde Epiſtola quadam teſtatum facerem, me nec in Libris de Rep. Hebraeorum convellere voluiſſe ſententiam Orthodoxorum, nec Satyrae editione ſtuduiſſe cauſſam Religionis, dignitatemque Eccleſiae laedere. Ac nunc igitur, cum praeter exſpectationem meam litteris veſtris me reum poſtulari, & omnia ad accuſationem, eamque ſeveriſſimam, compoſita eſſe video, jure illud, meritoque petere poſſem, ut Eccleſia haec Lugdunenſis, in cujus

cujus leges, & imperia me ſubmiſi, dicentem me audiret; ac mox de ea re, ſi opus eſſet, relationem in veſtro conſeſſu faceret. Quod ſi ſolennia haec omittere, & recta via vobis reſpondere ad ſingula paratus eſſem, facerem equidem pro ea obſervantia, quam praeclaro muneri veſtro, & Provinciali Synodo debeo: ſed rogo vos etiam, atque etiam, Viri Reverendi, ut pro prudentia veſtra apud animum veſtrum cogitetis, an id fieri publice expediat. Dixi in praefatione Satyrae, *Ita me egiſſe de Theologis, ut paucos quoſdam, eoſque degeneres, & pravos leviter notarem. De caeteris autem ſanctiſſimis integerrimiſque viris, quorum eſt innumerabilis multitudo, omnia magna me ſentire, iiſque ut decus ſuum, & honos conſtet, è Republica eſſe humani generis, & credidiſſe me ſemper, & in poſterum non obſcuris monumentis teſtaturum.* Et mox in praeſcriptione ad Lectorem, *quoſdam eſſe, qui Divini illius ordinis vibices, ac maculae ſint.* Tum & *lepores hos innoxios eſſe, & Romanos, qui in eruditorum duntaxat manibus verſarentur, nec a proletaria multitudine legi de plano poſſent.* Item, *quae in controverſiis poſita ſunt, de induſtria me praeteriviſſe, quia non erat ei rei in Satyra locus.* Addo etiam ibidem, quod caput rei eſt, *ad mores tantum, & ad vitam quorundam pertinere, neque obſcura eſſe, ſed in oculos incurrere.* Tum & pag. 133. ne ipſa religio violetur, illa monitio apponitur, *providete diligenter, ne erroribus noſtris vindicandis, Divini juris aliquid immixtum violetis.* Etiam paullo ante pag. 86. Sophia pſeudotheologos a veris, probiſque diſtinguit: *hi* (ſpurii, & pravi nempe) *ubi veros ſacerdotes meos, ceremoniarumque antiſtites eſſe in magno honore cernunt, (nam aſſurgit iis populus, increpantes metuit, dicto cuncti audientes ſunt) rati ſcilicet id, quod res eſt, longe hoc pulcherrimum eſſe, ad ſimilem dominatum maxima ope nituntur: non ſane vigilantia, labore, indefeſſo doctrinae ſtudio: ſed breviore via, aſtu, iiſque, artibus, quae promittant magnam ſapientiam.* Utique Satyra nihil, niſi purum putum poëma eſt, & fabulam refert, plane, ut hic introducere fictas perſonas, eaſque diverſiſſima, & contraria loquentes, fas ſit. Quare quae in hac ſcena ab hoc, aut illo dicuntur, ea ſic accipere, quaſi ab Auctore omnia probarentur, id vero eſſet injuriam facere poëtae. Quippe is haec recitat, ut mox bona occaſione deſtruantur, quae perperam jactata ſunt. Quicquid igitur pag. 106. & deinceps, paullo aſperius diſſeritur, cuidam homini novo, Theologo Bata-

Batavo, tribuitur, ut in eo ſtudium reprehendendi notetur. Itaque verba ejus retuli cum hac cautione, quae praemittitur pag. 105. & 106. *Inter hos è Batavis unus, ab eadem diſciplina homo, etſi recens in Senatum lectus, tamen praeloqui occupat. Saepe ego puer admodum ſermonibus ejus interfueram, cum ingenua ſuorum vernilia, & putida inſectaretur. Qui enim querulus eſſet, & cenſor, caſtigatorque praeſentium, vitio humanae mentis haud facile collegas ſuos iiſdem ſacris operantes tolerabat. Is ſermone nimium acri ita ait*, &c. ſequitur hunc deinde alius, cujus fuiſſe *procaciſſimum ſermonem* additur pag. 121. Caeterum hos ambos tandem retundit graviſſimis verbis, non aliquis ſimulata bonitate, *ſed unus inter primos honeſtus, in quo vera indoles virtutis, & modeſtiae.* Is non jocularia, ſed quae ſeria, & in rem eſſent, effatur, ac ſummam totius negotii, ita ut decet, conficit, finitque. Inter caetera de Batavo iſto novitio, deque eo, qui ſecutus ipſum erat, ait pag. 127. & *ſeq. Indigne, & à quibus minime decuit, circumventi ſumus. Surrexere duo de noſtris, ut manus ſuas in nos, hoc eſt, in viſcera ſua, verterent. Qui, quando tales ſunt, audeant tandem, hortamur, rerumque ſacrarum odium, & quicquid diu male diſſimulatum eſt, palam fateantur. Sunt in hoc ordine noſtro quidam, quibus religionem omnem ex vita tollere libido eſt. eam pulcram victoriam putant. Hoc ut faciant, vitia noſtra apud plebem culpant. Mox, ubi pietatis fidem ſibi praeſtruxerunt, cum magna mercede fallunt. Et haec quidem a noſtris patimur, praeter jus, faſque. Nam quod caeteri, qui ad haec ſacra admiſſi non ſunt, noſtra, noſque inſectantur, id nunc haud primo fit. Vetus ille morbus eſt, furere in virtutis magiſtros, & hanc mercedem rependere ſanctiſſimis viris. Publicè malignum ſemper in optime meritos mortale genus fuit. Omnes umbram rectae indolis perdiderunt*

Qua terra patet, fera regnat Erinnys.
In facinus juraſſe putes.

Et mox: *Neque nos propterea defetiſcimur tamen, aut opem ferre aegris mentibus ceſſamus. Nam & Deos, quos imitari par eſt, ſaepe ignorantibus, imò invitis meminimus prodeſſe: & nobis recte factorum ſemper maximus fructus fuit, feciſſe. Hoc illud eſt, quod ſeculo, & orbi praeſtamus. Totius humanae gentis paedagogi ſumus, & defenſorem mali ſui populum, quantum nos deſperata perverſitas ejus tardat, ad rectum iter admovemus.* Hanc orationem tandem is exitus ſequitur, *ut duo illi, qui ſententiam antea dixerant, ſuomet indicio, quaſi ſorices, perierint, & noluerint*

riut huc exitum. Omnium enim oculis notabantur. Hic actus ultimus eſt, & tractatum claudit. Atque haec igitur etſi ſatis oſtendunt, minime voluiſſe me traducere bonos fideleſque Eccleſiae paſtores, quos in hoc mundi ſenio plurimos adhuc reliquit nobis Dei benignitas; tamen quaecunque in malos quoſdam dicta ſunt, ea ſic reprehenditis, Viri Reverendi, quaſi falſa omnia eſſent. Quod ego crimen in me non agnoſco. Homo ſum, fateor, & ex communi lege mortalitatis obnoxium me imprudentiae, & incogitantiae, ac plurimis etiam peccatis ſentio. ſed tamen nunquam me ſtuduiſſe calumniis certus ſum. Quare Epiſtolae veſtrae adjungenda defenſio mea eſſet: atque oporteret haec omnia, quae de vita, moribuſque relata ſunt, ad vivum ſecari, & exemplis ſingularibus, ac veris argumentis oſtendi, quid, aut quatenus vere, aut falſo dictum eſſet. Ea autem deduci per ſpecies, atque excuti nec utile Eccleſiae eſſet, neque triſtiſſimis temporibus his conveniret. Quocirca mirum in modum ab aequanimitate veſtra efflagito, ne ea neceſſitas mihi imponatur. Enimvero cum nuper in Collegio veſtro adeſſem, Reverendi Domini, diceremque me, ita ut teſtatione publica in limine Satyrae profeſſus ſum, de pravis tantum moribus, deque vita illorum retuliſſe, qui penitus indigni ſunt honore, & praeſtantia nominis veſtri; memoria probe teneo, reſpondiſſe vos, ingentem ſane multitudinem eorum eſſe, atque in hos non defuiſſe animadverſionis veſtrae ſeveritatem, cum Synodus Hollandiae Auſtralis, quae ab hinc biennio habita Delphis fuit, quibuſdam e conſeſſu ſuo delegatis id negotii dedit, ut hos ordine moveret, non utique ob diſſenſionem ſuper quinque religionis controverſis Capitibus, quorum judicatio adhuc apud Synodum Nationalem Dordraci pendebat, ſed quod facta, dictaque eorum, & mores, atque vitam approbare Eccleſia haud poſſet. Puto me recte atque ordine facturum eſſe, ſi teſtimonium ejus viri recitavero, cujus ſummam eruditionem, & ſincerum in Reformatam Religionem affectum mirifice & aetas haec coluit, & dignis proſecutus honoribus fuit ſereniſſimus Magnae Britanniae Rex. *Iſaaci Caſauboni*, inquam: qui in Epiſtola, quam IX. Kal. Mart. 1613. ad me dedit, ita ſcribit: *Gaviſus ſum perditiſſimos mores nunc hominum excitaſſe ingenium tuum, ad illud ſcribendi genus capeſſendum, quod adverſus vitia jam diu fuit inventum. Non poteras illam eximiam tuam Latini ſermonis facultatem alia in re utilius,*

lius, ut arbitror, occupare. Omnino enim ita hodie vivitur, ut, quemadmodum ſcribis, difficile ſit, Satyram non ſcribere. Non dubito fore multos, qui iniquo animo ferant, Theologos eſſe à te perſtrictos: atque ego redemptum magno vellem minus juſtam occaſionem te habere ea ludendi, quae in illos ludis. Nunc ſibi ipſi imputent, & , ſi ſapiant, admoniti proficiant in melius. De illis loquor, quibus tua deſcriptio convenit: quos nimio plures eſſe, quam par eſt, boni non diffitebuntur.

Sed jam cupio, Viri Reverendi, aliquam viam capeſcere, qua veſtro, & Provincialis Synodi deſiderio ſatisfiat. Faciam itaque libens, volensque, quod petitis: &, ut pie admonuiſtis, *ſi quae ejusmodi ſint, quae excuſare non poſſim, ea ingenua confeſſione obliterabo, cum nullus pudor ſit ad meliora tranſire, & , ut Minutius Foelix ſcripſit, confeſſae imperitiae ſumma ſit prudentia.*

Sane, quod pag. 10. & 11. exſtat, *contentionem de fato, re anili, & plane ſuperſtitionis*: merito notaviſtis. Id enim per errorem, perque imprudentiam in poëmate ita eſt à me ſcriptum, ut ipſe ego mox illud improbaverim in ſerio opere. Cujus quidem rei manifeſtam fidem faciunt libri mei de Rep. Hebræa, ubi dixi Lib. 3. cap. 1. & 2. & 4. *Eccleſiam ineffabili Dei judicio fuiſſe velut unius familiae haereditatem, & paucorum hominum. Diſplicuiſſe Deo indiſcretam multitudinem: & in minorem numerum identidem factam eſſe contractionem. Delectos fuiſſe quoſdam, a quibus ſolis religionem, ſacraque, & ceremonias ſuas ſuſcipi voluit.* Et rurſus pag. 428. *Cum ex Rebecca gemelli, Eſavus, & Jacobus, nati eſſent, ſingulare fatum Jacobi fuiſſe, cui ſuam addixit benevolentiam ſummus rerum arbiter. idque multo ante ex oraculo intellexiſſe matrem gravidam.* Item alia ejus generis plura.

Itaque locum illum in Satyra pag. 10. & 11. ſic emendari cupio; *Nuper, ecce, contentio inter illos orta eſt de fato, re obſcuriſſima ſane, cujus arcanum, & ineffabiles cauſſas ſoli ſibi ſummus Deus reſervat.* Vox quidem *fati* placuit, propterea quod Romani ſermonis rectum uſum amabam. Quod ſi *praedeſtinationis* nomen aptius ſit, nulla res vetat id ſubſtitui.

Pag. 90. & 91. quod ſcripſi, *ſi divina oracula aperta, & clara forent, melius, atque tranquillius ſe res mortalium habituras*: periculoſe dici, & calumniae obnoxium eſſe, admonitus etiam ſum antea à viris clariſſimis. Sunt ſane in Sacra Scriptura multa obſcura: neque id negari poteſt, ſed ne-

neceſſaria ad ſalùtem non ſuapte natura ſunt obſcura, verum per hominum malitiam ſunt obſcurata. Recte igitur is locus hoc modo conſtituetur: *Utique oracula quædam adflatu ejus, inſtinctuque fuderunt viri ſancti: quorum cognitio cum ſit interdum quibuſdam obſtructa difficultatibus, ſaepe tamen, quam quisque minimum intelligit, tam maxime fidens eſt.*

Etiam pag. 98. cum Sophia ait, *Cives meos in poſterum nullos, niſi eos agnoſcam, qui & libera eſſe judicia patiuntur, neque unquam ultra id, quod veroſimile occurrerit, procedunt:* non ſatis in ſcripto poëtico conſideravi, quam grave momentum haec traherent. Ita enim accipi poſſent, quaſi Doctrina Chriſtiana coërcenda ſit intra fines τοῦ πιθανοῦ, id eſt, ejus, quod veriſimile eſt. Quod utique de capitibus ad ſalutem neceſſariis, deque aliis plurimis non ſentio; & omnino admittendum non eſſe praeclare, & vos monuiſtis, Reverendi Domini, & antea quoque mihi ſignificarunt Viri Clariſſimi. Quare non tantum ea verba deleri volo, ſed etiam ſimilem locum pag. 100. & 103. & 104. eradere totum cupio. Eraſiſſem autem antea, & mutaviſſem & haec, & alia ejus generis: ſed quoniam multas moleſtias mihi attulerat hac ſcriptio, tanta me animi impatientia cepit, ut Typographis, iteratam editionem ſubinde parantibus, atque ut eam nova acceſſione augerem petentibus, reſponderim, plane me apud animum meum conſtituiſſe, nunquam eas juveniles nugas, & luxuriantis ingenii foetum vel leviter attingere. Quod ſi recudere vellent, haud male eos facturos, ſi Eraſmi Moriam, & Lipſii Somnium adjungerent, ne primus ego hoc ſeculo uſurpaviſſe viderer id ſcripti genus, quod jam olim fuit à Graecis, Romanisque non inutiliter repertum, ut fictis nominibus publica temporum vitia tangerentur ſine cujusquam noxa. Notiſſima ſunt illa veterum, quae tamen recitare pretium operae eſt. Ait Phaedrus,

Suſpicione ſi quis errabit ſua,
Et rapiet ad ſe, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conſcientiam.
Huic excuſatum me velim nihilominus.
Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi,
Verum ipſam vitam, & mores hominum oſtendere.

Item Querulus Prologo;

In ludis autem, ac dictis antiquam nobis veniam expoſcimus.

Nemo

Nemo ſibimet arbitretur dici, quod nos populo dicimus:
Neque propriam ſibimet cauſſam conſtituat communi ex joco.

Eſt & Perſii illud de Horatio;

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Dicit, & admiſſus circum praecordia ludit.

Ac poſtremo alius ait,

Hunc ſervare modum noſtri didicêre libelli,
Parcere perſonis, dicere de vitiis.

Et *Lipſius* quidem in Criticos duntaxat jocatus eſt. Caeterum *Eraſmus*, quem imitari cupiebam; cum omnes Eruditorum familias pervaderet, ordinem etiam Theologicum, quem apprime eruditio honeſtat, non praeteriit. Nuperrime autem inter ipſos Theologiae Profeſſores *Eilhardus Lubinus* Roſtochii, in Theologos Satyram ſcripſit, ut alios non referam, qui verſati in eodem genere fuerunt. Illud ſane haud jucundum mihi eſt, quod, cum libri mei de Republica Hebraea, Deo propitio, ſatis cupidum, & gratum Lectorem ubique habuerint, tamen haec jocularia noſtra multo magis in omnium manibus verſentur, etiam foris, atque apud exteros. Quoniam autem ſcripta haec ſemel jam publici juris facta ſunt, & in manu mea poſitum non eſt, ne vel apud noſtros, vel apud Romanos, Galloſque recudantur, optimum fortaſſe eſſet, ea à me recognoſci, & emendari, ut non tantum mutarentur ea loca, quae ſupra retractavi, ſed etiam ut multa alia delerentur, quae calor ſtyli, ac juventutis impetus, &, quod praecipuum eſt, poëtarum licentia dictaverunt. Video autem caetera, quae adnotata a vobis ſunt, Reverendi Viri, ad duo capita poſſe referri. Quaedam enim ejuſmodi ſunt, ut in totum ordinem veſtrum, & in ipſam Theologiam dicta exiſtimentur. Reliqua aperte quidem ad degeneres, & pravos pertinent, ſed aſperiora ſunt. Quae prioris generis ſunt, reſtringere, ac arctis repagulis limitare: poſteriora delere ubertim, & obliterare, atque, ut Epiſtola veſtra ſuadet, *hanc ſeveritatem in proprios foetus exercere* paratus ſum. Sed nec recuſo, adlocutionem novam adjicere ad Lectorem, eumque de his, & aliis id genus, quae omiſimus, aut mutavimus, monere; atque ſic deinde omnia Eccleſiae, & iis, quibus convenit, communicata in lucem hominum edere. Quod ſi verò fuerit inſuper adhuc quiſpiam, cujus ex animo nondum ſublatus omnis ſcrupulus ſit, is ad me privatim adeat, ac fraterne me compellet.

Dabo operam etiam, atque etiam, ut non ante a me abeat, quam abunde ſatis ſibi factum eſſe dixerit. Ad hæc ego libenter procedam, etſi ſunt ſane multa, quae me excuſent. Nam & Satyra ante annos octo, commentatio autem Rerum Judaicarum prodiit ante tres annos, cum nondum admiſſus ad Eccleſiae ſacra eſſem. Admiſſus deinde ſum rite per legitimos tramites, & quidem poſt Nationalem Synodum, atque in ea urbe, ubi publico munere per novem annos functus ſum. Deliberatum de tota re fuit in Senatu Eccleſiaſtico, ejusque nomine duo delegati Viri Reverendi, & Spectatiſſimi ad me venerunt, quibus ego ſatisfeci. Poſtquam ſatisfactum eſſet, leges Eccleſiae ſuſcepi, ſed in futurum nempe, non retro. Praeclaram juris conſtitutionem nobis reliquerunt Imperatores Theodoſius, & Valentinianus, quam ex ipſa aequitate, & natura profectam omnia tribunalia receperunt, Leg. 7. Cod. de Legib. & Conſtit. *Leges, & conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari: niſi nominatim & de praeterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum ſit.* Poſſum & illud vere dicere, fuiſſe me in eorum numero, qui conſilia ſua conferre ad Eccleſiæ, & Reipublicae ſtabilitatem ſtuduerunt. Equidem oneris aliquid vobis imponere, Viri Reverendi, nec poſſum, nec debeo. Sed tamen, quod ſine moleſtia veſtra fiat, inſpicere vos cuperem praefationem meam librorum de Rep. Hebraea, qua ante tres annos allocutus ſum Bataviae ordines. Dixi illic, *Rempublicam noſtram ad ſummum evectam eſſe iisdem cauſſis, quibus aucta, & ſtabilita eſt Hebraea Reſpublica, cujus omne praeſidium fuit in Sancti populi virtute bellica, inque mutua concordia, & in communibus ſacris.* Addidi, *fractas eſſe vehementer illius Reipublicae vires, cum Hieroboamus, homo improba dominandi flagitia edoctus, decem tribus in partes ſuas abduxit, &, ne concordia rediret, veterem, rectamque religionem novitate quadam, & futili commento interpolavit.* Idem autem ordinibus eſſe providendum moneo, *ne per eam, quae ſuper religione nuper erat recens excitata, diſſenſionem labefactaretur Reſpublica haec, quae Dei benignitate, atque invictiſſimi Principis auſpiciis, & virtute Ordinum adeo nunc potens eſſet, ut nihil hoſtes niſi de magnitudine ejus quererentur.* Mox in ipſo opere, in Lib. 1. cap. 15. perniciosas illas Hieroboami artes diligenter executus ſum; & in lemmate ipſius capitis aperta admodum ſunt verba hæc: *Religionum, ſacrorumque mutatio, quoddam flagitioſae dominationis arcanum.* De

De Juliani luſu in Caeſares Romanos poſſum dicere, ut antea coram reſpondi, Viri Reverendi, eſſe id ſcriptum ideo a me primae editioni adjunctum, propterea quod jocoſi argumenti erat, neque me per imprudentiam cogitaſſe, id reprehendi a quoquam poſſe. Itaque mox ſtatim, cum recudi Satyram intellexiſſem, auctor fui, ut Caeſares illos omitterent Typographi, atque ut *Eraſmi* Moriam, & *Lipſii* Somnium ſubjicerent. Caeterum ad rem ipſam quod attinet, teſtor veſtram æquanimitatem, nihil in praefatione ejus libri me dixiſſe, quod pietatem laederet, multisque cautionibus, quae illic appoſitae ſunt, proviſum a me eſſe, ne quis id agi exiſtimaret. Equidem ego, cum de integro vertiſſem Juliani libellum, a clariſſimo Senatore *Carolo Cantoclaro* olim editum verſumque, in quo Imperator ille vitia Romanorum principum, hominum Gentilium, perſtrinxerat: quaedam ea occaſione dixi de virtutibus ejus civilibus, ſed nempe eadem omnia, quae *Petrus Martinius Navarrus*, & *Johannes Leunclavius*, Viri Eruditiſſimi, & pii, ante me dixerant, prolixa uterque diſſertatione. Et quidem illi viri non ita ſollicite operam dederunt, quemadmodum ego, ut impietatem ejus damnarent. Pag. 10. dico, *in omni negotio apprime pulcrum eſſe, res natura ſua diſſociatas ſecernere, & ſingula, uti per ſe ſunt, intueri.* Res diſſociatae ſunt virtutes civiles, quae in Ethnicis, & Paganis quoque ſunt poſitae, & pietas Chriſtiana, quae in illos non cadit. Dein pag. 8. *Non committam equidem, ut, quod omnes merito reprehenſione dignum cenſent, id probare ullo pacto videar. Scio enim, & doleo, fuiſſe illum religionis noſtrae, cui ſemel ſeſe addixerat, deſertorem; & hoſtem. Turpe omnino facinus, & furiarum ultricibus poenis mulctandum.* Sequitur alia cautio pag. 9. *ſed ea res, etſi illum è ſanctiſſima Chriſtianorum gente expungit, interque prophanos locat paganosque, tamen non efficit, ut propterea maximis Principibus, qui ſacra noſtra contempſerunt, adjungi non poſſit.* Quare non dico, eum cum Chriſtianis, neque cum Conſtantino, ſed *cum caeteris Ethnicis comparari poſſe, qui religionis noſtrae hoſtes fuerunt.* Et evidentius pag. 23. *Id modo agimus, ut eum cum caeteris Principibus, hominibus paganis, & Gentilibus, componamus.* In toto Juliani libello nihil eſt, quod ad Chriſtianos pertineat. Uno tamen loco, cum tria, aut quatuor verba ad opprobrium religionis noſtrae facere videbantur, ſtatim in margine pag. 108. illud annotavi, *verba abominandae impietatis plena, & pagano-*

digna homine. Tum & in ipſa praefatione manifeſtum eſt illud, quod dixi, *Enimvero ille univerſi conditor, & rector Deus, cum ex tanta mortalium, qui ubique per orbem tunc erant, multitudine perpauci quidam ſalutarem illam lucem, quae a Chriſti vultu nobis aſſulget, ſequerentur, tamen multa exſtare voluit illuſtria documenta, ex quibus diſceremus omni loco naſci poſſe virtutem.* Jam, quae in virtutibus ejus numeravi, iſta ſunt: contemptio imperii, ad quod invitus, ac dolens acceſſit. fortitudo bellica, qua Germanos, Perſasque, invictos antea, devicit. Eruditio, quae rara in bellatore. Caſtitas, & continentia, paucorum Regum virtus. tum moderatio animi, qua Antiochenſibus, à quibus erat laceſſitus, pepercit, cum perdere eos poterat. De his politicis virtutibus certiſſima illa ſunt, & omnino firmiter credi oportet, quae praeclare relata à vobis ſunt, Reverendi Viri, ex Auguſtini ſcriptis, *eſſe haec opera, quae videntur bona, ſine fide Chriſti, & non eſſe bona, quia non referuntur ad eum finem; ex quo ſunt bona.* Item, *quadam indole animi delectare illas Ethnicorum virtutes, ut non libenter illas damnemus: ſed quid coram judicio Dei ſit peccatum, non aliunde, niſi ex ejus verbo diſcendum eſſe. In Ethnicis fuiſſe dona Dei, cum non ipſi, ſed Deus in ipſis iſta ſit operatus.* Trajanus, ac Diocletianus perſecutores, atque acerrimi hoſtes Chriſtianorum fuerunt. ſed tamen optimos Principes, & ſummis virtutibus politicis praeditos certum eſt. quare & in codice Juſtiniani nullas fere leges ita aequitate, & juſtitia inſigni temperatas videmus, ut illae ſunt, quae auctorem habent Diocletianum. Id quod a multis Juris interpretibus obſervatum eſt. Porro id candor jubet, ut in Gentilibus, quorum vitia odimus, haec dona Dei amemus. *Virtutis ea vis eſt*, inquit ille, *ut etiam in hoſte poſita nos delectet.* Et eadem mente D. Hieronymus: *Nec bonis*, inquit, *adverſariorum, ſi honeſtum quid habuerint, detrahendum eſt, nec amicorum laudanda ſunt vitia: unumquodque non perſonarum, ſed rerum pondere judicandum eſt.* Et rurſus, *contentioſum inter ſe funem ducunt amatores quorundam, obtrectatoresque, ita ut nihil medium appetant, nec ſervent modum, ſed totum hominem aut probent, aut improbent. Ego libentius piam ruſticitatem, quam doctam blaſphemiam eligam.* Atque hoc illud eſt, quod de Graecis patribus retuli. Cum enim Conſtantinus, Princeps alioqui numquam ſatis laudandus, vitia quaedam habuerit, quæ boni Principis famam deturparent,

illi

illi penitus haec cernere non potuerunt. Neque vero primus ego id dixi, ſed verborum meorum teſtem luculentum, & omni exceptione majorem adducere poſſum D. *Theodorum Bezam*, qui hoc ipſum in Græcis patribus, & eodem modo culpavit. Illud autem negari non poteſt, me eosdem illos Patres ornaviſſe debita laude, pag. 4. *Ego plurimis maximisque argumentis eſſe illos excellenti, & divina virtute viros judico.*

Caeterum non diffiteor, me in toto illo argumento tractando nimis operoſum fuiſſe, & grandiore oratione exuberaſſe. Itaque verè ſcribitis, Viri Reverendi, *non fuiſſe haec talia tam Hyberbolicè extollenda, ſed cogitandum, gentes multis ſuis actionibus obfuſcaſſe ſplendorem politicae probitatis: ut, quae ſplendebant quadam claritate, eae evanuerint poſtea naturali vanitate.* Sed hoc vitium in me, & in pleriſque litteratoribus agnoſco. Quoties aliquid, quod placuit, aſſerere incipimus, non ante finem facimus, quam omnes dicendi vires, atque omnia Rhetorum loca exhauſerimus.

Judicium veſtrum, Reverendi Domini, de Libris meis de Republica Hebraea; *quos publici ſaporis non eſſe, & in quibus gratos vos ſuſpicere cognitionem linguarum, & Antiquitatis Judaicae*, ſignificatis, mirè jucundum mihi, & honorificum eſt. Ac pro ea re ingentes vobis gratias habeo. In ſententia mea de Melchiſedeco probanda rurſus agnoſco ſolenne vitium litteratorum, quod nimis fortaſſe magnifice, & animoſe me extulerim, ac paullo acrius quaedam dixerim adverſus tot clariſſimos, eruditiſſimosque viros, quibus diverſa placuit opinio. Itaque ea omnia, quae ejusmodi ſunt, ut modeſtiae temperamentum abſit, in iterata editione delebo. Athanaſium, cujus eſt inter Patres illuſtris ſanctitas, & eruditio, veneror, aeſtimoque. Sed ſententia ejus. quam retuli, non tantum ab omni SS. Scripturae auctoritate, ſed etiam a recta ratione abhorret. Etenim, ut pag. 416. notavi, *Melchiſedecum quendam fingit, cujus imprecationibus effectum ſit, ut terra ima debiſceret, patremque illius, & cunctos abſorberet conſanguineos. Atque hanc cauſſam eſſe ait, cur eum Apoſtolus fuiſſe ſine parentibus, & ſine genere dicat.* Haec & fabuloſa eſſe, & ſine injuria reprehendi poſſe exiſtimavi. Quod ad ipſam quaeſtionem, & ad ſententiam meam pertinet, non puto, in ea quidquam reperiri, quod ſit contrà Analogiam fidei, contraque pietatem. Quin & argumenta omnia, quibus

 uſus

uſus ſum, epiſtolam ad Hebraeos juvant, roborantque; atque inſuper aeternam Domini noſtri, Servatoriſque Jeſu Chriſti Deitatem adferunt. Tum & quaeſtio haec penitus eſt Hiſtorica, neque ad capita fidei, aut religionis Chriſtianae referri poteſt. In his autem, & ſimilibus libera ſemper eruditorum judicia fuerunt. Eaque res comprobari exemplis poteſt plurimorum, qui de Religione Reformata bene praeclareque meriti fuerunt. Et poteſt haec videri privata quaedam, & ſingularis opinio. Itaque pag. 425. addidi, *Quae de Melchiſedeco diximus, ſi non omnino certa, at veriſimilia tamen ſunt. neque aliter quaeſtionem hanc, quae mere Hiſtorica eſt, decidimus.* Quod ſi tamen Eccleſia ferendam non eſſe hanc ſententiam, ſed SS. Scripturae, & doctrinae Chriſtianae contrariam ſtatuerit, ſanctioribus, & melioribus ſuffragiis cedam.

Quod pag. 525. ſcripſi, *Quae in univerſum plebs Iſraëlitarum credere neceſſe habuit, ea ferme iſtiusmodi ſunt, Dei virtute res poſſe maximas, & admirandas perfici: certa eſſe illius promiſſa: colendum illum non vultu, & fronte, quibus ſimulatio facillime ſuſtinetur, ſed animi obſequio: eam gloriam, eas opes eſſe pulcherrimas.* non eo pertinent, ut doceam, hac fide Iſraëlitas perduci potuiſſe ad aeternam beatitudinem. Omnino enim Chriſti virtute, & meritis id eos obtinuiſſe ſignificavi pag. 517. ſed cum ſummum hoc bonum nemo quiſquam acquirat, niſi per fidem in Chriſtum, diſputavi eo capite ultimo, utrum populus Judaicus, (qui ad Galat. cap. 4. vs. 1. 2. 3. *infans fuiſſe, & ſub elementis vixiſſe* dicitur) ſervatus ſit per ſuam in Chriſtum fidem, an vero per fidem Patriarcharum, quia *infans*, & *νήπιος* dicitur ab Apoſtolo. pag. 518. *quia Patriarchae Meſſiam mente intuiti ſunt, & hanc foederis promiſſionem acceperunt, Ero Deus veſter, & poſteritatis veſtrae. ejus autem foederis ſponſorem fuiſſe Meſſiam, qui propterea dicitur Angelus foederis.* pag. 519. Atque id ſimilitudine ab infantibus noſtris ducta explicui, qui, ſi moriantur, ſalutis aeternae participes ſunt, quia in foedere ſunt, & per fidem, non ſuam, ſed parentum. Unde & pag. 519. & 520. *certum eſſe addo, liberos, qui nati ex altero parente impio ſunt, ſanctos tamen eſſe propter alterius fidem.* Poſtquam diſputandi cauſſa haec propoſui, adjicio non neceſſe eſſe ad iſta confugere. populum enim Iſraëliticum credidiſſe. Dico autem fidem in eo fuiſſe duplicem. Primò generalem quandam, *qua crederet Dei virtute res maximas poſſe effici: certa eſſe*

eſſe ejus promiſſa &c. pag. 525. Hanc autem fidem *non poſſe certa definitione comprehendi, quoniam latiſſime patet: & male eos facere, qui ſemper & ubique definitionibus ſolliciti ſunt.* pag. 525. quas *definitiones* mox *formulas* appello, ad imitationem M. Tullii pag. 526. Hanc autem fidem *improprie fidem* eſſe, & potius *fiduciam*, atque *obſequium* fuiſſe, cui contraria *ſit contumacia*, & *inobſequens affectus.* pag. 527. & 528. Tum & de hac re agere Apoſtolum in Epiſt. ad Hebr. cap. 3. v 9. & 10. & 18. &. cap. 4. vs. 2.

Porro quoniam hac fide generali, quae in univerſum virtuti, & potentiae divinae adhibetur, non potuit populus Iſraëliticus pervenire ad coeleſtem, & aeternam vitam, tandem pag. 532. & 533. & ſeq. addo, *plebem piorum Iſraëlitarum olim etiam in Chriſtum crediḍiſſe, atque hac ipſa via ſalutem ei obtigiſſe: idque paucis quidem, ſed tamen certiſſimis teſtimoniis poſſe demonſtrari.* In quam rem loca illuſtria recitavi ex cap. 4. Johann. ubi de muliere Samaritana agitur, atque ex cap. 11. Epiſt. ad Hebr. itemque ex 1 Epiſt. ad Cor. cap. 10. v. 3. & 4. Haec pag. 533. uſque ad finem libri. Quoniam autem difficultas moveri poterat ex 2 Epiſt. ad Cor. cap. 3. v. 13. ubi dicitur, *Moſen impoſuiſſe velamen faciei ſuae, ne intuerentur filii Iſraël finem ejus, quod aboletur, id eſt, legis*: ex quo conſequi videbatur, populum Iſraëliticum nihil cognitum, aut perceptum habuiſſe de Chriſto, qui cap. 10. ad Rom. vſ. 4. appellatur *finis legis*: dico tandem pag. 537. *Hanc de Chriſto cognitionem, fidemque in merita ejus, contigiſſe populo Iſraelitico, non ex lege, cujus finem ignorabat, ſed ex vaticiniis Prophetarum.* Haec eſt ſimpliciſſima ſumma eorum, quae in illo capite dixi. &, ſi quid non ſatis explicatum apertè eſt, efficiam in ſecunda editione, ut nemo mentem meam ignorare poſſit. Quae cum ita ſunt, verba illa pag. 525. *quae in univerſum plebs Iſraëlitarum credere neceſſe habuit, ea ferme iſtiusmodi ſunt, Dei virtute res poſſe maximas perfici: certa eſſe illius promiſſa: colendum illum animi obſequio*: ſcrupulum non habent. Sed tamen ut magis ſatisfiat omnibus, cupio in fine ejus loci illud addi cautionis cauſſa pag. 532. *Satis diximus de fide, quam in univerſum Dei verbis commodare vetus Hebraeorum debuit populus. Quae quidem fides eſt ejusmodi, ut obtineri per eam aeterna beatitudo nequiverit. Nunc tandem, quod caput rei erat, etiam illud dicimus, plebem &c.*

Quod autem pag. 526. de *formulis* dixi, intelligi volui de

definitionibus non omnium rerum, ſed earum, quae certis limitibus claudi poſſunt. Ajo enim, *Quaedam haud recte limitantur, quia ita rerum indoles fert.* pag. 525. & rurſus, *doctores umbraticos ſaepe in arctum deſilire*, non qui quaedam, ſed *qui omnia in formulas*, hoc eſt, definitiones Logicas, *includunt.* At de formulis catecheticis, & aliis, quae ritè ab Eccleſia receptae ſunt, nunquam id ſenſi. Atque omnino vera eſſe agnoſco, & profiteor, quae de confeſſione Eccleſiarum, & Catechiſmo, deque ſolennibus, & publico conſenſu, approbatis fidei formulis a vobis, Viri Reverendi, rectiſſime, & eruditiſſime ex antiquae Eccleſiae hiſtoria, atque ex ſanctis Patribus annotata ſunt. Etſi enim non aliam licet agnoſcere regulam veritatis, quam ſacras litteras, divinitus inſpiratas, tamen cum ex iisdem fontibus haeretici perperam detortis, perniciosarum opinionum rivos hauriant; ut arctioribus repagulis noxia curioſitas compeſcatur, magna ratio ſuadet, ne cui fas ſit ab his Eccleſiae formulis recedere, priusquam correctio earum facta ab illis fuerit, quibus commiſſa ſacrorum cura eſt.

Puto me ſatis explicuiſſe, quo animo haec, de formulis quae ſcripſi, accipienda ſint. Quod ſi adhuc aliquem offendere is locus poteſt, libens eum totum omittam in iterata editione.

Sed haec, quae attigi, video fuiſſe longiora, quam fortaſſis occupationes veſtrae, Viri Reverendi, ferant. Quare finem facio, Deumque optimum maximum rogo, uti incolumes vos ſervet, veſtrisque conatibus Eccleſiam, & pios omnes benignè tueatur. Valete, Viri Reverendi. Lugd. Bat. pridie Kal. Aug. 1620.

EPISTOLA XXIX.

PETRUS CUNAEUS

D. Apollonio Scotto

S. D.

Hagam.

QUi antea lentum nomen ſemper fui, nunc id vitii, emendandum cenſeo, Senator Ampliſſime. Itaque *Weſenbecium* tuum, qua fieri potuit celeritate luſtratum perlectumque reddo tibi, & gratias, uti decet, ago maximas. Cupiebam inſpicere eum autorem, propterea, quod plurimi

ſimi, a me efflagitaverant, ut * . . . . . Ita cum Demea Terentii Plebem paulatim primatum facio meam. Et bene procedit. Exiſtimo poſſe te apud D. *Honertium* pro ea, qua vales, autoritate, illud efficere, ut ad vacuam hanc juris profeſſionem vocetur quiſpiam, qui & muneri iſti, & Academiae conciliet dignitatem. Incredibile dictu eſt, quanti interſit, aliquem in ea quoque parte antecesſorem eſſe moribus, fama, annis, & gravitate ſpectabilem, qui juvenes, prima elementorum ſpatia ingredientes, ita ducat, atque ita eorum animos eruditionis amore inflammet, ne plerique, antequam ad digeſta, & ad codicem pervenerint, ſtudiorum deſertores fiant. Non ſatis eſt ingenium, magnarumque rerum promiſſio, aut oſtentatoriae cujusdum eruditiunculae laus, quae in juvene ſaepe intra unum aut alterum annum, velut in herba vel flore praecepta, ad nullam certam aut ſolidam pervenit frugem. Fidemque, autoritatem & reverentiam facit aetas, & teſtata publicis monumentis indoles induſtriae, atque inſuper quaedam a rebus externis commendatio. Obſecro itaque te, Senator ampliſſime, da hoc Academiae, ſeculoque & bono publico, ut interceſſione tua conſilioque Jurisprudentia noſtra, cujus tu primarium decus & lumen es, ornetur, & ſtabiliatur, quae hac labe temporum, ita ſtrata atque perculſa jacet, praedicetur ut ab omnibus, oſtentandi, credo, gratia, a paucis intelligatur. Vale, Vir Ampliſſime, & me ama. Lugd. Bat. 21. Januarii. 1620.

* Hic quidam verſus inducti erant, ita ut vix legi poſſent. Sed ex quibusdam verbis collegi, egiſſe eum de explicanda extra ordinem juris aliqua materia, ut ita conciliaret auditorum animos.

EPISTOLA XXX.

PETRUS CUNAEUS

D. Apollonio Scotto

S. D.

Hagam.

Etſi exiſtimo, Vir Ampliſſime, nondum ex animo tuo excidiſſe, quae te noviſſime rogabam, tamen quia ordinem noſtrum ornari apprime cupio, iterum a te etiam atque etiam petendum cenſui, ut de *Catſio* D. *Honertium* commonefacias. Non videor de re tanta nimium eſſe ſolicitus,

licitus, & ſi id effectum fuerit, habebit profecto quod tibi imputet Academia. Excitavit me iterum D. *Honertius*, ut commentationes meas de Cauſis juris & facti evulgarem, in quo paria tecum fecit. Quare capeſſenda ea cura erit, praeſertim nunc, poſtquam conſediſſe intelligo indignationem ordinis ſacri. Ex quo enim Leydam redii, relatum mihi eſt, bene honeſteque in Synodo judicatum de me eſſe, neque opus videri, ut dedita opera ſcriptum aliquod concinnetur, ſed ſatis id fore, ſi tunc, cum res feret, & cum criticum aliquid aut literarium a me edetur, bona occaſione & in tranſitu aliquantulum lenivero invidiam, ex juvenilibus jocis natam. Id quod ſane facturum me, ita ut opus videbitur, promiſi. Sed ſi mihi credis, Vir ampliſſime, proximis his ſeptem annis nihil literarium a me prodibit. Quoniam enim ſemel jam totum hoc negotium arbitrio judicioque meo relictum eſt, nimis promptum erit aliquid identidem cauſari, quod me, velut magis neceſſarium, occupet, & impediat. Interim iras omnes tempus franget, & omnino, ut in ipſa Satyra multo ante divinavi,

Hi motus animorum, atque haec certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.

Vale, vir ampliſſime, & me, ut ſemper feciſti, porro ama. Lugd. Bat. 5. Auguſt. 1621.

EPISTOLA XXXI.

APOLLONIUS SCOTTUS S. D.

D. Petro Cunaeo.

Leidam.

NAE tu feſtivus homo es, Doctiſſime Cunaee, qui cum unis in litteris neſcio quod commiſſum, vel potius omiſſum purgas, beaſti me binis. Nihil enim jucundius mihi accidere poteſt litterario hoc tuo alloquio. Sed ſcin quam craſſe a te peccatum ſit? ita quidem, ut meos tui Rhadamanti oculos fefellerit, niſi monuiſſes. Dum enim manum amiciſſimam illam tuam etiam ex inſcriptione noſco, ſecurus nomen adſcriptum nec ne ſit, in avidiſſimam lectionem totus effuſus ſum. Sed ſcio quid te in fraudem egerit. Belgicum morem ac ſtylum, Romana, qua polles, Eloquentia abſolviſti. itaque quod ex illo ſubſcribi ſolet, in fronte adſcriptum nomen facile exiſtimaſti. quae

ſane

ſane negligentia non eſt, ſed paratiſſimi potius ingenii indicium, cujus fiducia ne relegere quidem ſcripta ſoles.

Ergo ita ne rurſum pecces, Doctiſſime rerum,
Dragma tuis pennis ponderis adde mei.

Adjunxiſti elegantiſſimam graviſſimamque * orationem, in qua quod nihil meo dignum judicio autumas, rem dixiſſes, ſi eam ſupra captum meum hominis ſemipagani judicaſſes. Non modo non offendor, ſed etiam gaudeo & delector deliciis tuis, qui amore mei betam ſapere vis ſine vino, & pipere: ipſe autem ex tuo captu, qui nunquam te ipſum non ſoles vincere, me putaſti judicaturum. Sed meae quidem res eo ſunt loco, ut veſtram limatiſſimam dicendi copiam vix ſatis admirari poſſim. Sed ſatis nugarum eſt. Quod ſupereſt de quaeſtore ſtationis Lugdunenſis habeo gratiam, & in negotiis tuis, ubi potero, referam. D. *Honerdium* aliquoties de eo, quod voluiſti conveni, etiam cum nuper iter Lugdunum pararet. Itaque miror quid in cauſa fuerit, quo minus dicta facta dederit. Is nunc febri tertiana laborat. Quare morbo inſuper & funere natarum maximae occupatum ſemel tantum, ex quo domum rediit, inviſere datum eſt, & quidem non ſine arbitris. Alioqui non praetermiſiſſem, quid de te actum eſſet percunctari. Neque committam quin hoc etiam die, vel occaſione prima cum eo loquar. profecto ut ejus viri erga te animum perſpectum habeo, recipere auſim, quemadmodum mea in te commendando diligentia nunquam langueſcet, ita ejus auctoritatem nunquam in te augendo tibi defuturam. Bene vale, vir clariſſime, cum lectiſſima uxore tua. Haga-Comitis 24. Febr. 1625.

* Intelligit orationem habitam VIII. Febr. hujus anni, cum Rectoris munere abiret. Quae hodie ſecundum inter ejus Orationes locum habet.

EPISTOLA XXXII.

PETRUS CUNAEUS
D. Apollonio Scotto.

Hagam.

Vir ampliſſime, venit ad te *Conradus Merckinius*, Emmerikanae nuper paſtor, dum illic Euangelium ex melioris noſtrae doctrinae praeceptis, paſſus eſt praedicari Elector Brandeburgicus. Nunc munere vacat, ſed Ordinum Foede-

Foederatorum ſtipendiis, ut ante, fruitur. Is, cum agebatur his diebus de miniſtro quodam verbi divini in Eccleſiam Hagienſem adſciſcendo, nominatus eſt cum paucis aliis, quorum nomina offerentur Societati Hagienſi, quam ſic appellant, cujus pars eſt ſupremus veſter Senatus Juridicus. Vir eſt integerrimus fidiſſimusque, Graece & Hebraice eruditus, omnique iis inſtructus artibus, quas Eccleſiae ſalus & utilitas requirunt. Confidit autem tua commendatione multum te adjuvari poſſe, ut munus publicum in ea Eccleſia conſequatur. Ad eam rem, ut operam tuam, Vir Ampliſſime, flagitarem, effecit & virtus ejus, & amicitia atque conſuetudo, quae parentibus meis cum optima ejus uxore & cum ejusdem patre fuit. Equidem fore illud ſpondeo, ut quidquid in hac re ei commodaveris, id homini optime merenti & eccleſiae ac reip. ſtudioſiſſimo tribuiſſe videaris. Vale, vir ampliſſime. Lugd. Bat. 16. Febr. 1626.

EPISTOLA XXXIII.

PETRUS CUNAEUS. S. D.

Ampliſſimo Apollonio Scotto.

Vir ampliſſime. Cum *Gronovius* veſter coram ſaepe verbis ac poſtremo etiam literis me ſuis obnixe rogaverit, ut ſi quas haberem *Caſauboni* ad me literas, eas ad ſe transmitterem, ad editionem omnium, quas conquirere ab amicis poſſit, inſtruendam. Ego, etſi nuſquam ejus inſtituti aliis autor fuerim, ac contra nunc etiam exiſtimem amicorum familiares literas premi, quam evulgari, ſatius eſſe; tamen quoniam inceptum ille ſuum urget, ac pene perfecit, facile paſſus ſum, me inter eos quoque conſpici, qui in notitiam pervenerint viri incomparabilis. Caeterum cum unam ejuſdem epiſtolam, in qua inerant multa τ̃ μακαρίτυ erga me amoris documenta, nunquam a patritio quodam Hamburgenſi, cui eam dederem, receperim, alteram autem neſcio quis caſus mihi abſtulerit, hanc, quae ſola mihi ſupereſt, tibi mitto, ut eam a te *Gronovius* accipiat, atque tibi reddat. Rogo te etiam atque etiam, ſumme Senator, ut iſtud, quidquid eſt officii, mihi impertias, neve id tibi moleſtum ſit. Scis non deeſſe, neque defuturum tibi unquam, cui mandes, atque etiam imperes, ſi quid ſit, quod fieri a me poſſe credideris; Reſpondi etiam ci-

eidem *Gronovio* ad quaeſtionem, quam ex l. *contractus*, 23. ff. de reg. jur. mihi propoſuerat; hortatusque eundem ſum, ut indolem praeclaram ac literis abunde excultam, ad leges noſtras & ad juris cognitionem transferret, eique curae totum ſeſe impenderet ſerio ac bona fide. non verebor iterum a te petere, ut ejus rei cauſa eum ad te voces, atque ut haec quae mitto, a te accipiat. Vale, vir ampliſſime, cum lectiſſima matrona, uxore tua, ac cum liberis, meque, ut ſoles, porro ama. Lugduni Batavorum, 21. Julii 1638.

EPISTOLA XXXIV.
PETRUS CUNAEUS
D. Simoni Scotto. S. D.

CUm dubitarem, vir praeſtantiſſime, utrum in Batavia nunc, an in Zelandia eſſes, binas dedi literas, ſed eodem fere exemplo, alteras ad fratrem tuum Senatorem, has vero ad te. Non enim praetermittere poteram, quin ſtatim ad te perſcriberem, quae te ſcire permagni referebat. *Gomari* mentem coram tibi nuper expoſui. Quippe (quod meminiſti) ſignificaverat ille mihi, quoniam huc uſque fruſtra cum luctuoſo Academiae fato conflictatus eſſet, tandem ſe manum tollere & cedere velle. Haec ille mihi candide, ut ſolet, & aperte. Nunc illud addendum eſt, quod maxime huc ſpectat . . . . Sc interim nihilo minus omnia clam habiturum, neque metuendum, ne res vulgetur. Haec tibi ſcribenda, vir ſumme, exiſtimavi, ut quod in re meſt, & facto opus videbitur, prudenter & ſedulo facias. Equidem certus ſum, initia iſta veſtra non aliunde majus incrementum capere poſſe, quam ab illo viro, cujus & nomen diu huic ſcholae ſalutare fuit, & eruditio apud omnes clara eſt & illuſtris. Quod ſi ea occaſio, cujus magnum momentum neſcio quo pacto in celeritate poſitum nunc eſt, praetereat, fruſtra poſtea quaeretur. Vale. Lugd. Bat. xv. Januarii CIƆIƆCXI.

Agit haec epiſtola, lacunis quibusdam abrupta, de migratione *Gomari* in Medioburgenſem Scholam & Eccleſiam, quo hoc anno conceſſit, & manſit ad annum CIƆIƆCXIV. *Simon* vero *Schottus* fuit Medioburgenſi civitati ab actis, & ad Synodum Dordracenam poſtea legatus, vide Acta Synodi pag. 7. in fol. & *Haleſii* Epiſtol. 11. nuper a Cl. *Moshemio* editam pag. 294.

EPISTOLA XXXV.
ELANDUS SANTENUS
Petro Cunaeo S. P. D.

Leidam.

Καὶ σὺ φίλων ἄριστε ubi es? vel quis es? ubi reliqui, ni fallor, & qui ſoles. En me, quem latere fortaſſis exiſtimas, erumpo, &, quod debui, ultro te appello. Impulit animus, qui, qualis erga te ſit, jamdudum noſti. Nihil amori noſtro vel abſentia, vel taciturnitas detraxerit, confido. Solidus enim ille & firmus eſt, in nobis praeſertim, qui liberaliora illa litterarum ſtudia ὁμοθυμαδὸν exercemus, & ſupra communem partem proculdubio hac in re ſapimus, ἕνα θυμὸν ἔχοντε. Habe, aliquid mei. Aureliis ſum, cum *Fabiano* noſtro vivo. Ego quamplurimum diſceſſurus, ille haerere aliquantum ſtatuit. Et *Vitellius* hic, & *Beinhem* & *Donenborch*, aliique multi. Dicam libere quod ſentio. Diſplicent mihi & vita & mores noſtrorum, quibuſcum (non bonos, non modeſtos tango) niſi compotes, colludas &, ut parum ſani ſolent, diſcurras, nullus, id eſt nihili es. Diſcedo, inquam, & cum ratione inſanienti turbae me ſubduco. Burdegalam tendo. Scio quid dicas, inter mercatores? & inſtabiles fortunae rota? Audi, mi vir, Divae meae ibi, imo dimidium mei, ne mirare: vocant me illae, & ad viam, ex qua exorbitavi nimium diu, revocant. hiberna ibi ponam, interim de certa ſtatione apud me diſponam. Scis quomodo ſtatueram vivere, Tholoſae videlicet. Autor mihi mutandae ſententiae Doctiſſimus *Caſaubonus*. Barbara ibi gens, & in religionem noſtram vehemens, parum abeſt quin dicam crudelis, jam revera abhorreo. Aliquam enim εὐσεβείας rationem habendam mihi eſſe cenſeo, quod ſi quiſquam mecum non ſenſit, nihil ſentit. Habes, ut intelligo, fratrem Burdegalis, tu ſi ad me quid dare velis, quod mihi gratiſſimum erit, fratri mitte, ego me amicitiae & familiaritati ipſius inſinuabo. πρωθύστερον aliquid addo, de morbo tuo ex Fabiano intellexi, profecto moerorem mihi incuſſit ille non mediocrem. attamen bene nunc ſpero, ſi tu ſpiras. Ego ὑγιείαν tibi ab AEſculapio precatus ſum. Vive & vale, mi Cunaee, ne in morte tua detrimentum aliquod ſentiat Reſpub. noſtra litteraria, quae enim non promittit iſta ingenii tui facilitas; iſtud in re difficili judicium? quod in viris ſi requiras, vix invenies. non in gratiam loquor, nec quod paraſiti

ſolent

ſolent coram blandior. Dico quod res eſt, & ut eſt auguror τὰ τ' ἐσσόμενα. τὰ σά, ſi Deus det vitam, teſtabuntur. Ego tibi eadem quae mihi precor. ἔρρωσο φίλη κεφαλή. & has ut animi mei teſtes infallibiles tecum depono. —— —— —— ἐμέθεν μεμνημένος ἤματα πάντα.

Ama me VI. Id. Decemb. CIϽ IϽCV.

Fabianus te quam officioſiſſime ſalutari per me voluit.

EPISTOLA XXXVI.

ELANDUS SANTENUS

Petro Cunaeo S. P. D.

Leidam.

Litteras tuas & ſincerum inillis erga me affectum videre, bone Deus quam fuit mihi volupe! Non fallis, mi Cunaee, ut quidam ibi apud vos. Primis meis reſpondes, quid illi, quibus ego toties? ſilent & contemnunt, ni fallor, eſto, eſto. Majoris ego poſthac meas aeſtimabo, quam ut ad illos mittam, qui ſic ſentiunt: τηλοῦ φίλους ναίοντας οὐκ εἶναι φίλους. Ite ceſſatores, & venerabile illud amicitiae nomen ne temere ita uſurpate, quibus nihil minus in animo, quam amare. Ite inquam, nam defeciſtis, vel coram ſimulaſtis: οὐδεὶς γὰρ ἐραστής, ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ. Diſpariſſimus tu ab his, amice, quos noto. Litterae teſtantur dulce illud, quod adjungis, μελιήδεον abunde confirmat, quod adeo me profecto affecit, ut etiam interiora tetigerit. Sic tua omnia, pura puta philtra, ut ita dicam, quibus vel ipſam invidiam in tui amorem trahas. Quod de valetudine parum firma ſcribis: nolim amplius. vulnus vulneri addis. Plus enim nimio Ampliſſimi *Lipſii* morte laeſus ſum: tibi ſi quid humanitus contingat, vereor ne mihi praeter humanitatem, hoc eſt hominem, aliquid. Habe hic carmen morti illius inſcriptum. jejunum fateor, ſterile, ſiccum. Longe intra tuos ſpiritus. Quid tum? mitto tamen. In maerore effuſum, imo inter ipſas lachrymas, cum divinitatis illud lumen, quod in nobis maxime obſcurum, corporis & animi vires maxime occluſae. Si legis, quod ſpero facies, conatum proba: mihi ſufficiet, qui de effectu contra me ipſum judico. Tibi ſcriptum ſcito. quem ego *Lipſii* amantiſſimum jam ante cognovi. Placet? excitabor ad majora: diſplicet? poſthac cautius. Tibi bene ſit. Frater tuus deſeruit. Poteris

ris tuas per Delphenſes meos mittere. Vale. & me ama. Burdigalis x. Kalend. Maji, ∞. ɪↄc. vi. Eſt quod addam: Primum ut ceſſatores illos admoneas. Secundo, quod etiam per alios monui, hic tamen repeto, *Stochium* noſtrum falli, qui per me litteras Aureliam mitti vult, cum nos in extremis oris Galliae ſimus, ubi vix ulla oportunitas eſt mittendi. potuiſſet commodius per nuntios ordinarios. apud nos nulli. Litterae apud me haerent. ſi ſerium quid in illis, mea culpa non eſt quo minus deferantur, qui omnes occaſiones capto, ſed fruſtra. mone illum quaeſo ne tale quid amplius: ne ego in ſuſpicionem falſi incidam. Illi, *Campio*, *Heinſio* (cujus amatorem, admiratoremque me noſti) & *Foreſtio*. S.P. offeras velim. Adde *Baudium*, ſi placet in occaſione: illi enim hoc debeo, & agnoſco, quod *Lipſio* innotuerim.

Πέτρῳ τῷ Κυναίῳ.

Ὦ ἑτάρων τελπόθατε, φίλον τρέφος Ἀθηναίας,
Εὖ μὲν ἔχων χαίρειν εὖ τῷ ἔχοντι φέρω·
Εὖ τῷ ἔχοντι φέρω χαίρειν πολὺ, ὄνομα ῥητῷ,
Κυνεάδῃ περιπόλῳ Σάνθενος διαρέτων·
Σάνθενος ἀμέτροις εἰλιοσομένος στενάχοισι,
Λιψιάδου ξυγερὸν πότμον ὀδυρόμενος.
Λιψιάδου τῷ θυμὸς ἐμὸς ζωάγρι᾽ ὀφέλλει
Τὸν δὲ γὰρ ἐκ σκοτέων λαμπρὸν ἐς ἦγε φάος.
Λιψιάδου τῷ τοῦτο μελύδριον ἄπνοος ἦκα
Πένθιμον, εὔδηλον σῆμα τ' ἐμῶν δὲ γόων.
Οὐδὲ μόνον μεο Λιψιάδου τόδ' ἐς αἶνον ἔγραψα,
Ἀλλὰ καὶ εἰς ἐρατὸν δῶρον ἐμῶν ἑτάρων·
Ὧν σὺ μὲν ὦ πανάριστε μένεις ἀρχηγὸς ἐσαιεὶ,
Μοῦνος ὅτε πόλλων μακρὰν ἀπόντα φιλεῖς.
Χαῖρέ μοι· εὐθύμως τὸ φίλον λαβὲ δῶρον ἑταίρου,
Σμικρὸν ἐμᾶς μεγάλας μαρτύριον φιλίας.

Elandus Santenus.

EPISTOLA XXXVII.

FRANCISCUS JUNIUS

Petro Cunaeo.

Leovardiam.

S. Nihil mihi gratius accidet, mi Cuneae, quam ſi amicitiam hactenus inter nos contractam omnibus modis proſequamur & foveamus. Inſido enim hoc ſeculo quid magis optabile, quam verae & ſincerae amicitiae inter bonos

nos cultus? Hanc igitur ut bonis avibus inter nos jam ante aliquod tempus coepimus, ita per me ſpero non fiet ut intercumpatur. Idem de te quoque mihi ſpondeo. Quae de me praedicas in litteris tuis, omitto: τυφλοῦται γὰρ ἀεὶ τὸ φιλούμενον τὸ φιλοῦν. De quaeſtionibus, de quibus mecum diſputas, nonnihil tecum ago, & quidem paucis pro anguſtiâ temporis. Omiſſis autem iis, quae diſputationi tuae interſeris tanquam extra controverſiam poſita, prima ſic habet: An Adamus toto illo centum & triginta annorum ſpatio, (quo demum Geneſ. IV. dicitur genuiſſe Schethum) nullam aliam praeter Hebelum & Kajinum prolem ſuſceperit? Ut omittam vanas illas Judaeorum, quas recenſes, fabulas, variae ſunt hac de re magnorum virorum ſententiae, quorum alii affirmant Adamum interea temporis etiam alios liberos genuiſſe, alii negant. Tu à priorum partibus ſtas. Et ego quoque veriorem illorum, quam horum ſententiam ſtatuo, non ſolum quia tantam primis illis parentibus foecunditatem a Deo non fruſtra infuſam fuiſſe credo, verum etiam quia veritati divinae magis conſentaneam puto. Quum enim Kajin Geneſ. IV. 17. dicatur uxorem habuiſſe, ex qua amplam progenuerit ſobolem, eam certe uxorem aut Hebeli, aut Adami, aut alius alicujus ex Adami liberis filiam fuiſſe neceſſe eſt. Hebeli non fuiſſe, ſtatuunt omnes, quotquot me legiſſe memini, qui omnes uno ore aſſerunt Hebelum in coelibatu ſuo a fratre interfectum. Ergo aut Adami, aut alicujus ex aliis Adami liberis filia fuit. Horum utrumvis dicatur, evincitur, Adamum intra illud tempus alios praeter Hebelum & Kajinum habuiſſe liberos. Horum autem cur nulla in S. litteris mentio fiat rationem adfers non quidem ἄδοξον, ſed quae tamen ſola conjectura nititur. Ego vero hanc ſubeſſe cauſam arbitror, quia Spiritui Sancto minime fuit propoſitum omnia familiae Adami aut aliorum capita recenſere, ſed ea potiſſimum, ex quibus ſancti V. T. patres originem ſuam ducunt. Hinc enim fit, ut in hac ipſa Genealogia, etiamſi dicatur, Adamum poſt natum Schethum genuiſſe alios filios & filias, ſolius tamen Schethi nominatim, neglectis illis, fiat mentio, quia nempe ex ſolo Schetho oriundus erat Sanctus ille Noach, ad cujus hiſtoriam properat Spiritus Sanctus. In altera quaeſtione ſtatuo cum ſanioribus interpretibus, imaginem Adami, ad quam dicitur genitus fuiſſe Schethus, à Spiritu Sancto opponi imagini Dei, in qua conditus fuerat Adam, ut oſtendat Adamum poſt lapſum ſuum non ge-

genuiſſe liberos ſuos ad puram illam imaginem, ad quam creatus ipſe fuerat, ſed tantum ad impuram illam & conſpurcatam, quam ipſe ultro ſibi & poſteris ſuis juſto Dei judicio acquiſiverat. Haec ſententia mihi, ut ſimpliciſſima & S. litteris optime conſentire videtur, quare & in ea facile acquieſco. Si qua in re à me diſſentias, gratum feceris, ſi amplius mecum agas. Biblia mea cum diſcedes aut ad me remitti velim, aut *D. Sibrando* tradi, qui plures habet à me libros, cum quibus & illa remittere ad me non dedignabitur. Dono tibi darem, ſi alia ſcirem mihi venalia. Sed nunc ſervare cogor mihi. Vale, mi Cunaee, in Domino, qui ſecundet iter tuum ex animi tui & mei ſententia. Leidae, ſi placet, ſalutabis plurimum *D. Gomarum* & *Trelcatium*; Leovardiae materteram tuam cum Sorore illius. Ex ruderibus arcis Groninganae 13. Auguſti 1607. ſt. v.

Frankeram ſi revertaris, *D. Sibrandum* meo nomine ſalutes rogo, & indices, non opus eſſe, ut de Eccleſia Anloënſi amplius ſit ſollicitus. Salutabis, ſi placet, & notos omnes, praeſertim vero *D. Jacobum ad Portum.*

Hic eſt *Franciſcus Junius, Johannis Caſimiri* filius, *Franciſci* Theologi nepos, Juris Profeſſor & deinde Senator Groninganus. vide ejus vitam inter Profeſſores Groninganos. pag. 224.

EPISTOLA XXXVIII.

JOHANNES DRUSIUS

Petri Cunaeo

שלומך, יסגא לחדא.

Leovardiam.

LEctis literis tuis, juvenum ornatiſſime, animum affectus mei flumine aeſtuantem cohibere non potui, quin quamprimum tibi reſponderem. Animadverto enim me à te nimium in illis extolli: & hoc quid ſi velit, non plane perſpicio. Credamne εἰρωνικῶς te ועל דרך סגי נהור eſſe locutum, & me indigniſſimum tantis laudibus irriſiſſe? Iſtud credere benevolentia tua, quam ſaepe mihi declaraſti, cum hîc praeſens adeſſes, non patitur. Quin omnia benigniſſime interpretanda, & in optimam partem rapienda docet. Igitur non tantum quicquid ſcripſiſti, boni conſulo: ſed gratias etiam quam poſſum maximas ago, quod χεύσεια

χαλ-

χαλκέων commutaveris, hoc eſt, eruditam epiſtolam pro inerudita repoſueris. Parentes mei hodierno die Sabbathi in Hollandiam profecti ſunt, ut ibi interſint nuptiis. Lugduno huc ſex ſtudioſi advenerunt: quinque nim. Galli, & unus Hiſpanus. Vale, & commenda me iterum atque iterum avunculo tuo, ſcripſit celerrime,

Joh. Druſius Junior,

האוהב אותך בלב של[illegible] ותמים ובוחר
באהבתך באמת ולא בערמה

EPISTOLA XXXIX.

JOHANNES DRUSIUS J. FIL.

Petro Cunaeo.

Leidam.

Literae tuae, amicorum intime, *Lugduno* ad me Franekeram perlatae ſunt xxx. Martii, ſtylo veteri: & non minus gratae fuerunt, quam quae xxvii. ejuſdem menſis ab *Ambroſio Regemortero*, juvene erudito & honeſto, mihi tradebantur. Quin ideo gratiores tuas fuiſſe ſcito, quia in calce earum, nonnulla proponuntur fori mei; quibus, quam potero breviſſime, reſpondebo.

Verba, quae habentur p. 159. in R. Salomone ab הַשֹּׁאֲגִ אַרְיֵה uſque ad אִם יִתָּקַע בְּשׁוֹפָר referri debent ad verſ. 4. & 5. cap. 6. Prophetae Amos. Forte ſcribenti in hos verſus illa exciderant, quae poſt ſubjungit: ſicut ſolent viri docti omiſſa ſequentibus annectere. In magnis Bibliis Venetianis idem verborum ordo ſervatur, ut nemo ſuſpicari poſſit typographorum incuria ſede ſua mota. Typographis erga minime imputandum, ſed autori πολυγράφῳ: quanquam אין ארם שלא יתעא במלאכת הרבים.

Pag. 162. retinendam prorſum cenſeo ſcripturam, nulloque modo mutandam. Facit autem חזוקי in ſtatu abſoluto חִזּוּק confirmatio, corroboratio: quod eſt formae שִׁלּוּם retributio, קִדּוּשׁ ſanctificatio p. SS. Gram. Chald. Merceri, & 57. Reverendi patris mei. Vau igitur non debet deleri, nec ſcribi חזקי. Nam ſi legeretur חִזְקִי haberet utique ſtatum abſolutum חֵזֶק, aut חֹזֶק quod utrumque Ebraicum eſt, non Rabbinicum. Unde Pſ. 18. 2. יהוה חִזְקִי DNS. fortitudo mea. Quod neſcire ais te, quid

 ſit

ſit חזוקו; in eo non imperitiam, ſed ingenuitatem prodis tuam. Etenim hanc vocem & Munſterus in Lexico ſuo praetermiſit, neque Elias Levita in Thisbi poſuit. Quàm infinita porrò ſunt vocabula, quorum ſignificatus viri linguarum Orientalium callentiſſimi adhuc ignorant. Nemo omnium mihi indicare poterit, quid תורא in Oncelo Exod. 39. 22. in Jonatha ברזין. vſ. 28. ejuſdem capitis Aben-ezram p. 180. ita interpretor ſecundum R. Haij piae memoriae מִדִּיאֲכֶם habet ſignificatum, qualem in Deuteroſi H. e. ſignificat animal, cujus adeps vetitus eſt. (Legi debet חֵלֶב non חָלָב: quo ſignificatur lac, ut illo adeps, ſeu pinguedo.) Et non eſt ſpecies per ſe, ſicut ſcribit Saadias Caon (nomen dignitatis olim apud Judaeos, ut videre eſt in Cabbala R. Abrahami Davidis filii, quam nos in Latinum ſermonem vertimus) R. Saadias, memoria ejus in benedictionem; qui dicit adipem ejus eſſe licitum (אָסוּר & מוּתָּר antitheta duo ſunt,) & interpretatur in linguâ Iſmaëlitica id eſt Arabice Camus. Et non eſt in locis iſtis, ac eſt major bove, eique ſimilis.

Belgae noſtri nomen huic animali (quod reperiri ajunt in Italia, & odiſſe rubrum colorem) indiderunt, vocaruntque *eenen Buffel*, *wilden Os*. Nam & a Latinis nominatur Bubalus, quem Julius Scaliger contra Cardanum p. 662. bubalin vocat, niſi fallor, & diſtinguit a bufalo Italorum. Vide illum & Geſnerum, itemque Mercerum, & Lectiones Rev. Patris mei. His paucis contentus eſto: alias prolixius, ſi expetas, tuis propoſitionibus reſpondere conabor. Certè non ſegnis ero in reſpondendo להיות תמיד ברית כרותה בּיני ובינך ופן אתנו יתערב זר. Academiae veſtrae gratulor כי נתחרש ובאו מלמדים אליה וחכימיא דעסיקן באוריתא דריחיחון נדיף הי כקטורת בוסמיא Tibi vero non gratulari etiam non poſſum, quod excelſo & illuſtri loco ſita ſit laus tua in plurimorum & ſtudioſorum & civium conſpectu. Academia noſtra multum damni pertulit, quo die ἰατρὸς ille אשר שמעו הולך בכל המדינות, literarum illud ſingulare ac celeberrimum decus, morte ſublatus nobisque ereptus eſt. Ad haec ſemel ac iterum ille cum hydrope laborat graviſſime, & in privigni ſinu atque complexu, animam paene agens eſſet. Non queo plura de illo ſcribere: impedit maeror. Epitaphia duo: unum Latinum a *Tiomero Fabro*, Juriſconſulto; alterum Graecum a *Sixto Arcerio* conſcriptum tibi mit-

mitto, qui de utroque optimè judicare potes. Tyrannus ille λίθος me non multis abhinc diebus peſſimè afflixit, & affixit humo divinae particulam aurae. Nunc (Deo laus) meliuſculè valeo: & per tuas, ut & Ambroſii literas, nonnihil ſum recreatus, quoniam illis משכתם עלי חוט חסד ואהבה Si frequentes ad me dederitis, rem longe gratiſſimam & ſpem recuperandae aliquando priſtinae valetudinis facietis. Vidèmini enim non ſolum favere mihi, id quod & mea & ſtudiorum cauſſa prius feciſtis, ſed etiam gravem curam ſuſcepiſſe, vehementerque eſſe de me ſoliciti. Deus Opt. Max. te nobis incolumem & ſalvum conſervet, ויזכה אותך להגדיל את שמו הגדול ולשתות מי באר מים אשר לא יכזבו מימיו.

Scriptum ὡς τάχιστα x. Aprilis.

Incluſam epiſtolam, ſi placet tradas Cl. viro *Franciſco Gomaro.*

Haec epiſtola, etſi annum adſcriptum non habeat ſcripta videtur inter annum 1607. & ante 1609. quo *Druſius* hic mortuus fuit. nam natus anno 1588. obiit ex calculo in Anglia anno aetatis primo & vigeſimo, ut teſtatur *Abel Curiander* in vita Patris *Druſii*, qui & Patrem de filio hoc ſuo egiſſe in praefatione ad Annotationes in N. Teſtamentum narrat. quam qui legerit, praecocis hujus juvenis ſtupendos in prima aetate progreſſus numquam admirari deſinet, ideoque cum nulla fere tanti juvenis momenta exſtent, hanc epiſtolam praetermittere religio fuit.

EPISTOLA XL.

SIBRANDUS LUBBERTUS

Petro Cunaeo.

S. D. D.

Leidam.

GRata eſt mihi epiſtola tua, eſt enim eleganter ſcripta, & plane oſtendit ſtudia tua ad poſteritatem ſpectare. Verumtamen ubi ſe dat in laudes meas, prorſus νεανιεύει. Mi Cunaee, ego ſcio me metiri meo pede. Poſthac igitur cum ad me ſcribis, (ut autem ſaepe ad me ſcribas, peto) abſtine ab illis. Quod ad quaeſtionem attinet. An Deus daturus fuiſſet Adae ſecundum legem operanti mercedem ex debito? Uno verbo reſpondeo, quod non. Nihil tale exſtat in tota Scriptura, neque ulla conſequentia inde deduci poteſt. Sed neque memini

me tale quippiam apud ullum ex antiquis & probatis patribus legiſſe. Poſſem ego contrariam ſententiam ſolidis argumentis debellare, ſed tu non deſideras. Theologiam iſtic non *κατ' ἐνιαυτὸν, ἀλλὰ καθ' ἡμέραν* nova parere, doleo; quanquam id non theologiae; ſed irrequietis hominum ingeniis tribui doleat. Vale, mi amiciſſime ſimul & doctiſſime Cunaee. Volebam *Heinſio* gratias agere de munuſculo ad *Arcerium* transmiſſo; ſed ille mihi tamdiu reſponſum debuit, ut aegre ſcribam. Nam ſi tam diligens eſt in ſtudiis, ut ad amicum ſcribere non poſſit, non debet interturbare; ſi vero veteres amicos non tanti facit, non debet obtundi. Tu tamen, ſalutabis eum meis verbis. Iterum vale. VI. Cal. Maji. Ao. 1608.

EPISTOLA XLI.

SIBRANDUS LUBBERTUS

Petro Cunaeo.

S. D. P.

Leidam.

DUm iſtic eſſem, dicebam me refutationem Socini abſolviſſe; nunc ſum in deſcribendo, & niſi quid ineluctabile accidat, dabo illam futura hyeme. Dubito an velim Socini librum una edere, ut Lector ipſius rationes, & noſtras ad eas reſponſiones inter ſe conferre, & ex utriusque partis collatione judicare poſſit, quid verum ſit, quid falſum. Mitto tibi replicationem meam ad defenſionem *Gretzeri*. Si potes intelligere, quid viri docti de ea ſentiant, fac me certiorem. Vale. Fran. Ao. 1608. 27. Julii.

Adjunctum exemplum B. *Scriverio* tradito, eumque meis verbis officioſe ſalutato.

De hoc *Lubberto* & libro ejus adverſus Socinum vide quae nuper adnotavit ad *Jo. Haleſii* Epiſtolam VIII. pag. 265. *Cl. Moshemius*, qui ex Arn. Poelenburgio quaedam verba refert, quibus docet, *parum accurata refutatione plures ad Socinianiſmum adductos, quam omnibus Socinianorum libris, qui multis retro annis eſſent editi.* Plura de eo vide apud Baylium Diction. T. II, pag. 1790.

EPISTOLA XLII.

SIBRANDUS LUBBERTUS

Petro Cunaeo

S. P. D.

Leidam.

MItto tibi ſecundum Antigretzerum meum. Homo iſte quaerit laudem ex aliorum inſectatione. Exiſtimavi igitur me recte facturum eſſe, ſi aliquid reſponderem; ut oſtenderem, quam ſit vanus obtrectator ille & quam faeda ſit doctrina Jeſuitarum, qui ut ſunt omnium hominum ineptiſſimi indoctiſſimique, ita omnium ſcientificentiſſimi, magiſtratiſſimique videri volunt. Tu lege & judica, non dubito quin inter legendum aliquando riſurus, imo ſubſannaturus ſis monachi craſſam inſcitiam & ſupinam ignaviam. Vale. Franek. Ann. 1609. 18. Octob.

EPISTOLA XLIII.

PETRUS CUNAEUS

Sibrando Lubberto.

Franekeram.

VIr clariſſime, etſi oneris tibi imponere nec audeo quidquam, nec debeo, tamen, quod ſine moleſtia tua fieri poſſit, vehementer te rogo, ut libellum hunc, quem tibi mitto, perlegere ac ſententiam de eo tuam ferre digneris. Plane enim ſic exiſtimo, ac mihi perſuadeo, maximum me hujus operis fructum retuliſſe, ſi tibi viro ſummo, τὴν περὶ πᾶσαν παιδείαν ἠκριβωμένῳ aliquid laude dignum praeſtitiſſe videar. Equidem ut primum Franequeram ante annos aliquot veneram, ſedulo id unum ſpectavi ſemper, ut tibi me quam maxime meaque omnia probarem, quo quidem ex tempore deinceps memoria teneo, neque meam tibi obſervantiam, neque mihi tuam ſummam benevolentiam ac ſtudium defuiſſe. Caeterum benevolentiam illam aliquantisper nunc, me libente, depones, ut libere, quanti haec facienda ſint ex re & veritate judices, non ex amore. certe enim, quoniam poſthac ad majoris rei commentationes in Graecorum & Judaeorum diſciplina me parare conſtitui, nihil aeque aut incitare me aut retrahere poterit, quam doctorum hominum rigida cenſura de pri-

primo iſto & joculari conatu. Ego, vir clariſſime, quicquid pronunciaveris, te mihi amicum; ſive (id quod opto) aliquid ſeverè, etiam amiciſſimum eſſe judicabo. Vale. Lugd. Bat. XXII. Junii CIↃIↃCX.

EPISTOLA XLIV.
SIBRANDUS LUBBERTUS
Petro Cunaeo
S. D. P.

Leidam.

Nonnus ubique tumet, miraris? turgida magni
Materies libri, quam canit, illa tumet.
Omne tulit punctum, qui ſic ſua condit, ut aptae
Carmina materiae convenienter eant.
Ergo quem tua caſtigat cenſura tumorem,
Hunc Nonnus laudi cur ſibi ducat, erit.
Nolo tamen (teſtis mihi magnus Apollo) negare,
Plurima quin ſcriptis pulchra notata tuis.
Nec dubito, quin illa tibi, doctiſſime Petre,
Aeternam laudem conciliare queant.

XII. Cal. Aug. Ann. 1610. Franicae.

EPISTOLA XLV.
SIBRANDUS LUBBERTUS
Petro Cunaeo
S. D. P.

Leidam.

Meum judicium de tuis notis in Nonnum tibi non omnino diſplicere laetor. Imprimis autem laetor, mi Cunaee, quod polliceris te numquam tale quid in Theologia tentaturum eſſe. Ego etiam a libidine innovandi ſerio abhorreo. In hujus rei teſtimonium ſcripſi nunc librum, quem tibi dono mitto, & peto ut eum in bonam partem accipere, ſevereque legere, & tuum de eo judicium ſine ſimulatione ad me perſcribere velis. Vale. Fran. Ann. 1611. Calend. Maji.

EPI-

EPISTOLA XLVI.
PETRUS CUNAEUS
Sibrando Lubberto.

Franequeram.

TAnta fuit jam pridem tua in me benevolentia, Vir Cl. ut merito te ſemper inter primos amicorum numeraverim. Quare cum hos de Rep. Hebraeorum libros ederem, omnino eos ad te mittendos exiſtimavi. Equidem ego etſi in hac Academia Profeſſione Juris & Politices fungor, tamen incredibili quodam ſtudio teneor Hebraiſmi: neque omittere potui, quia horis ſubſecivis haec ſcriberem, quae ſi non plane improbaveris, gaudebo. Judicium quidem tuum, ut mihi ſignifices, atque etiam ea annotes, quae culpanda exiſtimas, etiam atque etiam peto. Non ſum enim qui ferre aliorum reprehenſionem neſciam: In primis in id cenſorem & imploro & expoſco, cujus eſt eruditio pene incomparabilis. Videbis interdum admixta Theologica quaedam, ſed ea duntaxat, quae hiſtoriis affinia ſunt, cujuſmodi eſt quaeſtio de Melchiſedeco, quam nos paulo aliter, quam interpretes ſolent, explicuimus; propterea quod exiſtimabamus hanc libertatem in Hiſtoricis controverſiis poſſe ferri ſine cujusquam offenſione. Vale, Vir Cl. & munuſculum noſtrum boni conſule, atque ita exiſtima, eſſe me tui obſervantiſſimum. Lugd. Bat. IX Maji. CIↃ IↃCXVII.

EPISTOLA XLVII.
PETRUS CUNAEUS
D. Rumoldo Hogerbetſio S. D.

Hagam.

CUm decreviſſem initio Hagam venire, Ampl. Vir, ut tibi pro ſummis tuis in me meritis gratias coram agerem, tandem a mente illa & ſuſcepto conſilio deſtiti. Immenſum enim quiddam, quod tibi debeo, & infinitum videbatur, ac longe majus, quam ut tibi verbis pateretur res ipſa ſatisfieri. Quod igitur ſupererat, hanc epiſtolam ad te mittere placuit, qua tibi jam nunc totum me ſic obſtringo, ut ſi me aliquando parum conſtantem eſſe contigerit, tabulis obſignatis mecum agere quilibet, ac in jus me vocare

re poſſit. Ego profecto diem illum, quo nuper abſenti mihi, neque unquam viſo, graviſſimum judicii tui teſtimonium dediſti, ita pulcrum & illuſtrem duxi, ut tunc ſpeciem aliquam viderer animo cernere ſurgentis gloriae meae. Quum enim omnes ſic exiſtiment, quaſi lumen aliquod in ſanctiſſima curia veſtra elucere, & religionem tuam & doctrinam, cogitabam te neque gratiae cauſſa iſtud mihi tribuiſſe, qui religioſiſſimus eſſes, neque judicio temere potuiſſe falli, quod a certo eruditionis tuae ſenſu proficiſceretur. Non ſum equidem tam ineptus, ut propterea ingenio meo fidam (ſcio enim quam exiguum hoc ſit) ſed tamen poſtquam tua unius opera factum eſt, ut jam ſperem in hac luce hominum, in urbe celebri & liberaliſſimis ſtudiis affluente, locum mihi aliquem futurum, ſentio fieri non poſſe, quin animum meum cogitatione virorum excellentium, qui hîc vixerunt, in dies conformem. Quod ſi vero deinde ex hac contentione quiddam neſcio praeclarum & ſingulare exiſtat, ejus omnem fructum merito, vir ampliſſ. in primis tibi refundam. Meum enim erit efficere, ut maximo praeſidio te omnibus eruditis eſſe, & nunc intelligant homines, & in poſterum memoria teneant. Ad hanc ergo rem tibi mea ſtudia, curas & cogitationes polliceor, idemque facient omnes, qui iſto nomine tibi obſtricti ſunt: quorum eſt ſane ingens multitudo. Quare etſi plurimos habebo ſive ſocios, ſive aemulos, tamen cupiam hîc, ſi quid valebo, primas tenere. Caeterum nihil faciam inſolenter, neque te tali natura praeditum hortabor, ut reliquis meis rebus omnibus pari animo erga me, & eadem voluntate ſis. Scio enim te in hoc, quod ſemel coepiſti, non ſolum humanitatis, ſed etiam conſtantiae tuae cauſſa perſtiturum. Certe magna ſpe futurorum erigit ſe animus meus, & fatum ipſe ſuum miratur. Habeo enim te & acerrimum defenſorem, & quod optandum fuit, ſummae auctoritatis. Cum igitur ea, quae perficienda poſthac reſtant; diligentem adhuc operam & curam tuam deſiderant, facile omnia per te obtinere me poſſe confido, quo intercedente jam ſemel vincere didici. Vale, vir Ampliſſime. Lugd. Bat. xv. Septemb. CIↃ IↃCX.

EPI-

EPISTOLA XLVIII.
PETRUS CUNAEUS
Rumoldo Hogerbetſio.

Hagam.

VIR Ampliſſime. Ante dies aliquot rogatu Magnifici Rectoris & Senatus Academici Laudavi *Bonaventuram Vulcanium* oratione, in qua reprehendi quaedam audio ab imperitis, & jam perlatus Hagam rumor eſt. Ego non decrevi Orationem publicare, neque enim tanti eſt. Sed tamen animi cauſa ſcripſi brevem Diſſertatiunculam, quam legi a vobis cupio, uti intelligatis, quam frigida & febriculoſa ſint, quae illi culpavere. Praecipue illud exagitatum eſt de *Lipſio* & *Eraſmo*. De *Lipſio* crimen dilui ſatis ſolide. *Eraſmum* autem ita defendi, ut ſub illius perſona cauſſam ipſe meam egerim. Etiam illud culpavere, quod de Chriſti meritis locutus non ſum. Sed multae cauſſae fuere, cur haec & alia multa omiſerim. Novimus nos, novere caeteri *Vulcanium*, qui familiariter cum illo vixerunt. Sane quoties aliquis hominem extrema ſenectute ad mortis meditationem hortaretur, vehementer iraſcebatur ille. Sermones vero de Chriſto aut de pietate, adeo nunquam ex ſene audivimus, ut ſaepe mirati ſimus, quibus ille cogitationibus feſſam aetatem ſolatus fuerit. Itaque laudo in funere ea, quae cunctis eruditis literatisque communia. Caetera omiſi, ne viderer ſcenae inſervire. Sermones de Chriſto non ſunt gladii Delphici, qui omnibus aptari poſſunt. Et profecto qui haec indignantur, relgandi ſunt ad *D. Heinſii* orationes, quibus Nobiliſſ. *Douzam* & *Scaligerum* laudavit. Eadem enim illi objici poſſunt, atque etiam objecta fuerunt. Vale, Ampliſſime Senator. Lugd. Bat. Kal. Nov. CIↃ IↃCXIV.

Hanc Epiſtolam publicae luci expoſuit *Baylius* in Lexico Hiſtorico Critico in *Vulcanio* tom. IV. pag. 2861. & ſimilis argumenti aliam dabimus ad Mylium, qua cauſſam ſuam ampliori Oratione agit. Ceterum intercidiſſe ipſam Orationem doleo, quam cur edere noluerit Cunaeus, cauſſam non reperio.

EPISTOLA XLIX.

PETRUS CUNAEUS

Hugoni Grotio.

AMpliſſime Vir. Quod me coram tecum agere puderet, id ſine rubore exponam abſens audacius. Conſtitui publicis lectionibus Satyras Horatianas interpretari. Cujus rei ab Ampliſſimis Academiae Curatoribus jam ante facta mihi poteſtas fuit. Quare a te maximo opere pro tua ſingulari humanitate etiam atque etiam peto, & quaeſo, ut, ſi te res nulla impedit, ad prima auſpicia mea venire digneris. non quod aliquid auditurus ſis, quod eruditiſſimis tuis auribus ſit dignum. ſed quia permagni intereſſe intelligo ad honoris mei fructum te, virum doctum & dignitate excellentem, benevolentiam erga me tuam hoc tempore ſic publice teſtari. Ego Orationi ex more habendae diem Sabbati & horam ejus diei decimam elegi. idque adeo ob hanc cauſſam, ut caeteri Profeſſores omnes ſine lectionum impedimento me audirent. quod ſi tuum quoque vultum mihi tunc indulgebis, ſummi illud beneficii loco, ut debeo; ducam. Vale, Vir ampliſſime, Lugd. Bat. XIV. Octob. CIↃ IↃCX.

Eſt ea Oratio XI. in editione Cellarii pag. 202.

EPISTOLA L.

PETRUS CUNAEUS

Hugoni Grotio

S. D.

Roterodamum.

VAlde gaviſus ſum munere tuo, Vir Ampliſſime, quo nuper me donaviſti. Facile enim ex eo conjectabam conſtantem eſſe te in ſuſcepto ſemel mei amore, atque id ſerio triumpho. Gratias tibi agerem, niſi hoc, quod tibi debeo, longe majus quiddam eſſet, quam ut tibi verbis pateretur res ipſa ſatisfieri. Librum quidem tuum, ingenii tui divinum monumentum, laudare velle, inepti ſit. Defendis enim cauſſam Ampliſſimi Senatus Batavi, quem integer populus, fautor & cultor bonorum, non haec zelotarum factio probat. Juſtiſſimam habuiſti cauſſam ea

ſcri-

ſcribendi, quae in Theologos quoſdam ſcribis. Itaque ipſi ſibi imputent. Et, ſi ſapiant, admoniti proficiant in melius. Enimvero, & hîc ob eam rem, vir maxime, admiranda quaedam tui nominis caritas, amorque in te ſingularis omnium civium tuorum. Quippe te aeſtimant, te ſuſpiciunt, primarium in Rep. noſtra virum. Inter hos ſemper nomen ego profitebor meum, omnique ope enitar, ut obſervantiae in te meae exſtent olim quaedam documenta. etſi autem hujus ſtudii plurimos habeo aemulos, tamen cupio, ſi quid valebo, primas tenere. Lugd. Bat. VII. Decembr. 1613.

EPISTOLA LI.

PETRUS CUNAEUS

D. Hugoni Grotio

S. D.

Roterodamum.

VIR Ampliſſime. Lucanum tuum, luculentum hercle ſcriptorem, quem vehementer ego ſemper amavi, nuper mihi attulit frater tuus: gratiſſimum id mihi munus fuit, & gratias tibi ago, uti decet, maximas. Sane perſaepe cogitaveram integrum commentarium conficere, in quo de rebus pulcherrimis, quarum ille amplam dat materiam, liberrime diſſererem, & me efferrem magnifice: Nunc conſilium muto, & me contineo. Notae enim tuae, breves illae quidem, ſed ſupra modum eruditae, ita mihi animum explevere, nihil ut ſit praeterea requirendum. Felicem te, vir Divine, qui paucis chartis & aliud agens, ea conficis, ob quae caeteri multo conatu magnas convectant moles. Saepe iraſcor laborioſis tuis occupationibus, quas Reip. impendis: intelligo enim quidquid illi das, id omne auferri nobis. rurſum, cum video non aliter ſalvam fore patriam, niſi eam tu & tui ſimiles regant, conſolor memetipſum, & jam hac mercede placet iſtud damnum. Simul cogito apprime illud noſtro ordini eſſe glorioſum, cum tu, qui omnis doctrinae & ingenii princeps es, ſummum quoque in Republica locum teneas. Rarum enim eſt, ut injuſtus virtutum aeſtimator populus ſua bona intelligat, & magnis viris debitum rependat praemium. Itaque in hac re ſingulare eſt tuum fatum: atque id gratulor ſeculo noſtro. Caeterum pro humanitate tua, qua jam non ſemel uſus es in me, quantum tibi debeam,

beam, clariſſime Syndice, alio tempore teſtabor, neque deeſſe nobis occaſio poterit. Jampridem de Rep. Judaeorum quaedam collegi, quae ego cum cura iterum luſtrabo, & cum opportunum erit, edam. Multum juvit nos Hebraiſmus, a quo fuit imparatus *Sigonius*. Interim te rogo, vir ampliſſime, uti, quo animo hactenus in me fuiſti, eodem eſſe pergas, meque ames. Lugd. Bat. 29. Maji 1614.

EPISTOLA LII.
PETRUS CUNAEUS
Hugoni Grotio S.

Roterodamum.

VIr ampliſſime. Tuas ad *Langeracquium* & *Thuanum* literas, in queis erat mei commendatio, haud potui, uti decreveram, Pariſios perferre. Cum enim in Zelandia primulum per paucos dies, privati negotii cauſa, ſubſtitiſſem, plane tandem iter meum tardavit exſpectatio rerum Gallicanarum. Adeo triſtes rumores quotidie illinc afferebantur de principum diſcordiis, quas, uti ego opinor, nulla alia res, niſi ferrum & vis, judicabit. Jam *Condaeum*, & qui cum illo ſunt, aditu urbium prohiberi, ac vagari hinc inde ingentem militum manum, non vanis auctoribus, acceperamus; & adhuc fama eſt. Quare imprudenter facturus mihi videbar, ſi tali tempore turbatam viſerem rempublicam. Ad hoc ingenia gentis noveram immoderata, & lanienas in regina urbium Lutetia editas. Hoc tibi ſignificandum duxi, vir ampliſſime, uti ſcires haud ſine gravi cauſa iter iſtud in aliud tempus me diſtuliſſe. ὄπτω μῆνας ἄγων ἕκαμ' οὐρανὸς οὐδ' ἐνιαυτὸς. plures recurrent feriae, per quas exſpatiari nobis, & vicinos adire Gallos licebit. Interim permultum ſane humanitati tuae debeo, quod dederis abeunti aliquod vocis tuae teſtimonium. Ego vero nihil glorioſius mihi fore exiſtimabam, quam ita te commendarer, qui & omnium, quos novi, es eruditiſſimus, & pretium habes eruditionis, quod eſt in rep. noſtra rariſſimum, uti gratia, auctoritate, gloria floreas. Dum hic ſum, intelligo in lucem brevi exituros *Antonii Walaei* commentationes, adverſus *Utenbogardii* librum, in quo ille rerum eccleſiaſticarum poteſtatem dominatumque principibus & magiſtratibus adſcripſerat. Eadem opera confutavit quo-

quoque cuncta argumenta, quae pro opinione iſta exſtant in *Pietate* tua, etſi per modeſtiam nunquam te auctorem nominavit: quid ille, aut quam benè dixerit, mox videbimus. Equidem ego, cum Eccleſiam veterem Graecam Romanamque intueor, nihil magnopere reperio, quod judicium meum moretur. At de populo Hebraeo, quanto ſaepius cuncta rerum excuſſi momenta, tanto ſum factus incertior. Erat in libris noſtris de republ. integrum caput huic diſſertationi dictum. Sed dicam liberè, jam bis terque illud mutavimus, delevimus, interpolavimus. Nunc vero tandem plane viſum nobis eſt illud omittere. Neutri enim parti diſſentientium accedo: ac potius medium quiddam ſequor, & quod ille ait:

Factus ſum veſpertilio, neque
Jam in muribus plane aut in volucribus ſum.

Mea ſic eſt ſententia, religiones, ceremoniasque non acceſſionem aut ſtabilimentum, ſed animam atque ſpiritum fuiſſe reipubl., plane uti regnum illud totum fuerit ſacerdotale, cujus cum pars quaedam, ſed ignobilior, in civicis bellicisque eſſet poſita negotiis, ſelecti e populo quidam fuere moderatores, qui hanc regerent. De ipſo Rege nunquam animum meum inducere potui, uti cum vulgo ſentirem. Datum enim illi a numine eſt, non uti ſummam reip. modo, ſed, quod erat praecipuum, Eccleſiae teneret. Fuit enim perſona ἱερωμένη, cui Dei vox & Prophetae denunciatio auctoritatem, decus atque imperium dedit. Ipſa unctio, quae per vatem fiebat, μεῖζόν τι ἢ κατὰ πολιτικὴν πραγματείαν erat, & ſacram tuitionem ac cuſtodiam notavit. Ego vero Judaeorum Reges usque adeo cum Levitis ſacrificulisque componere non dubito, uti etiam fuiſſe eos Sacerdotes autumem. Ad Davidem hercle, qui de tribu erat non Levitica, ſed Judaea, illud diſertis verbis dictum eſt, *filii tui erunt Sacerdotes.* Id Sacerdotium nihil aliud, niſi religionum ceremoniarumque praefectura & ſumma poteſtas fuit, quarum curatio tamen & miniſterium Levitarum tribui, hoc eſt, Pontifici & Sacrificulis, atque horum adjutoribus relinquebatur. Id enim eorum erat, victimas caedere, expiationes facerè, item alia munia in templo obire. Enimvero quod Regibus ea tempeſtate jus fasque fuit ſacra ceremoniasque inſtaurare, mutare; ſacriculos ordine movere, errata eorum corrigere, non illud ab hac cauſa eſt, quia vates fuerunt (nimis febriculoſum hoc quorundam commentum eſt) ſed quod unctione erant initiati,

tiati, & Sacerdotes conſtituebantur; ac regnum illis committebatur, quod ipſa nominis vox in biblico codice *Sacerdotale* appellavit. Atque hoc proprium fuit & ſingulare Judaicae genti. Cum in omnem partem bene me verſavi, tandem huc evadere neceſſe fuit: ſed haec attingere pretium operae non foret. Haud ſane quod magnis obſtructa difficultatibus ſint, ſed quod tractata decus nullum aut nitorem ſint habitura, nos popularia quaedam perſecuti ſumus. Illa aſpera & inculta magiſtris quibusdam relinquimus, qui hodie, cum nondum didicerunt quid ſit ſcire, ac nunquam theologum pictum, ut dicitur, viderunt, nullam tamen rem conſtanti vultu definire, nihil aſſerere parcunt. Tu, Groti divine, inter paucos es, queis rectiores ſenſus indidit excellens natura atque eruditio. Quare jure te admiramur colimusque, magnum labentis in peſſima ſaeculi praeſidium atque columen. Vale. Middelb. Zelandorum, 25. Auguſti 1615.

EPISTOLA LIII.

HUGO GROTIUS

Petro Cunaeo.

Leidam.

PRimum omnium, Vir Clariſſime, Deum veneror ſacri conjugii auctorem, ut hoc matrimonium, tibi, novaeque nuptae, noſtriſque omnibus ſoſpitet. Ego vero has tibi nuptias non ut unus e vulgo, neque hercule dicis cauſa gratulor, ſed pro ea reverentia, qua praeclaros in gerenda rep. aut in literis viros ſemper ſum proſecutus, partem aliquam meae felicitatis arbitror, quod prudentiſſimo Socero doctiſſimus gener obtigiſſi, ita ut & tua ſtudia auctoritati ipſius ornamento, & tuis ſtudiis ipſius auctoritas praeſidio eſſe poſſit. Sicut autem magnae mihi voluptati fuit, quod ex benigna tua invitatione me in claſſe prima amicorum tuorum poni intelligo, ita ſane dolet, quod hoc tuo beneficio uti mihi non licet. Cum tua mihi epiſtola traderetur, veniebam tum recens Dordraco, cujus urbis Magiſtratui, ad peragenda quae reſtabant negotia inter nos communia, id ipſum tempus condixeramus, quod auſpicatiſſimis tuis nuptiis conſtitutum video. Quanquam autem omnia mihi negotia vilia ſunt prae conſpectu tuo, Socerique tui, & tot ſummorum virorum, quorum ego amicitiam

tiam praecipuum vitae meae fructum judico, tamen quae mea eſt ſervitus, non video, quomodo aut dictus dies diffindi poſſit, aut ego eximi negotiis meo miniſterio inchoatis. Accedit quod uxor (quae ipſa quoque pro vocatione immenſas agit gratias, fauſtaque omnia pactae tuae apprecatur) ea eſt valetudine, quae medici ope quotidie indigeat: quo nomine ſocrum quoque, jamdudum abiturientem, vix hîc aſſiduis precibus retineo. Eadem cauſa nos coëgit cognato noſtro, Senatoris *Vosbergii* fratri, multum nos roganti operam ſimilem denegare. Opus forte eſſet operoſiore excuſatione, niſi apud aequiſſimum judicem cauſam hanc agerem Unum ergo rogo, ne haec mea neceſſitas aliqua ex parte amicitiam noſtram imminuat, quae a me plurimi facta ſemper, a te vero officiis plurimis & hoc inſuper recenti conteſſerata eſt. Vale, Vir Clariſſime, & me ampliſſimo viro ſocero tuo, ſi placet, commenda. Rotterodami XXII. Maji. CIƆIƆCXVI.

EPISTOLA LIV.

PETRUS CUNAEUS

D. Hugoni Grotio

S. D.

BIBLIOT. ROM. VITTORIO EMANUELE

GRatias tibi ago, vir ampliſſ. pro inſigni munere tuo, quod nobis attulit *Voſſius*. Jam a multo tempore nullum ſcriptum in manus meas pervenit, quod magis animum mihi expleverit. Ita ubique argumentorum vi atque gravitate lectorem percellit. Utique crucem omnibus fixiſti, qui plauſibilem haereſin commenti, late jam ſeculum veneno ſuo afflaverant. Quare, ni aliud praeſidium ad cauſſam deploratam adferant, actum de illis eſt. Hoc tibi orbis Chriſtianus, hoc omnes boni acceptum ferunt. neque profecto aliud majus debere tibi poſſumus. Vale. Lugd. Bat. 25. Septemb. 1617.

Munus illud fuit Grotii liber de *Satisfactione Chriſti*, *contra Fauſtum Socinum*, qui hoc anno prodiit, & cujus exemplaria Leidenſibus Profeſſoribus & amicis diſtribuenda mandavit *Voſſio*, Epiſtola, quae eſt CIV. inter editas. de hoc libro & qui ei reſcripſerunt, vide *Colomeſii* Biblioth. ſelect. pag. 167.

EPISTOLA LV.
HUGO GROTIUS
Petro Cunaeo.

Leidam.

VIr Clariſſime. Benignius de opere noſtro ſentis, quam accuratiſſimum tuum judicium decet. Sed hoc amplius tibi debeo, quem decipere nihil potuit, praeter noſtri amorem. Rogo pergas ita velle falli. Sed magis etiam me obligaveris, ſi quae in legendo libro deprehenderis minus recte aut commodè dicta, eorum me moneas ea libertate, qua uti inter ſe amicos convenit. Paratur nova editio, quae utinam te adjuvante in melius procedat. Obitum viri ſummarum virtutum Soceri tui graviſſime fero. Scio quibus temporibus quantum ſubſidium non urbs modo iſta, ſed & patria amiſerit. Certe in noſtro conventu nulla liberior, nulla prudentior vox erat. Quanquam autem publicis malis fideliter indoleo, movet tamen etiam privatae jacturae ſenſus. Diligebat enim me, quanquam tot annis minorem, fraterne: nec quoquam ferme noſtri ordinis familiarius ûtebatur. Et quemadmodum ego illius ſequi gaudebam veſtigia, ita noſtri viciſſim labores ipſi probabantur. Si quid unquam euenerit, in quo teſtari poſſim quanti ipſum fecerim, & quantopere glorier ipſi amicum fuiſſe, avide arripiam. Tibi vero, vir inter literatos eminentiſſime, hac commendatione opus non eſt, quod viri optimè & de patria praeclare meriti es gener: tibi ipſe, imo aliis quoque commendandis ſufficis, apud illos certe, qui doctrinae ac virtuti pretium norunt ponere. Quare in eo, de quo ſcribis, unice tibi faveo: neque unquam deero eximiis ingenii tui dotibus id praebere teſtimonium, quod amicitia exigit, & ut amicus eſſem veritas imperaret. Rogaveram nuper *Voſſium*, deinde *Corvinum*, ut chartas quasdam partim Latinas, partim Belgicas, quas Socero tuo legendas dederim, quarumque uſum res praeſentes exigunt, mihi tradi curaret. Idem tibi commendo. Illae chartae ſunt literae utriusque juridici Senatus ad Ordines, cum libello uno atque altero ejuſdem argumenti. Vale, vir laudatiſſime. XXVIII. Sept. CIƆIƆCXVII.

EPI-

EPISTOLA LVI.

PETRUS CUNAEUS

Hugoni Grotio

S. D.

VIR Ampliſſime. Quo die litteras tuas acceperam, intellexi ex *Juſto Swaneburgio*, qui Senatui noſtro urbano a ſecretis eſt, miſſas jam ad te eſſe chartas eas Belgicas, in quîs de cauſa utriusque Senatus Juridici agitur. mox, cum Hagae eſſem, & te convenire cuperem, dictum mihi eſt Roterodamum te abiiſſe. Scripta Latina de Magiſtratuum auctoritate in rebus ſacris diu quaeſivi, ac vix tandem reperi. Tradet ea tibi D. *Corvinus*, qui illis pauliſper ſibi opus eſſe dixit ad editionem inſtruendam. Si quid praeterea Socero meo legendum dederis, quod nondum redditum tibi ſit, peto ut id D. *Corvino*, qui ad te veniet, ſignifices. Dabitur enim ſedulo a me opera, ne quid deſideres. Magno mihi ſolatio & gaudio fuit in ſummo luctu meo tuum de Socero meo judicium, non minus honorificum profecto, quam candidum. Ille vero, quod tibi neutiquam eſſe obſcurum poteſt, pariter unum te fecit pluriumi, atque ita ſaepe mihi ſignificavit, neminem ſeſe poſt * Neſtorem noſtrum, τὸν θεῖον γέροντα, noviſſe, in quo plus ſpei atque praeſidii Reſpublica noſtra jam haberet, quam in te: quod quidem ille profecto haud difficulter nobis perſuaſit. Jam enim dudum antea ego, caetera fortaſſis haud admodum oculatus, in perſpiciendis tamen maximis tuis virtutibus haud caecutire viſus ſum. Quare jam anni ferme octo ſunt, cum ego non repentina voluntate, ſed certo conſilio te meis officiis amplexus ſim. Quo quidem ex tempore memoria teneo, neque meam tibi obſervantiam, neque mihi tuam ſummam benevolentiam defuiſſe. In his vero triſtiſſimis animorum diſſidiis, quae firmiſſimis pectoribus conſtantiam excutiunt, tanto te impenſius enixiuſque colo, quod, quaſi avem albam, videar civem bene de Republ. ſentientem videre. Peto a te, ut quo animo ſemper erga me fuiſti, eodem eſſe pergas, coeptiſque meis & naſcenti ſpei faveas. Meum viciſſim erit videre, ne te unquam ejus rei poeniteat. Vale, vir maxime. Lugd. Bat. 8. Octobr. 1617.

* *Joh. Oldenbarneveldium.*

EPISTOLA LVII.

PETRUS CUNAEUS

Hugeni Grotio

S. D.

Hamburgum.

VIR Ampliſſime. De *Hartzwigio* JCto ante plures menſes judicium animi mei ad quoſdam Hamburgenſium proceres ita perſcripſeram, ut ejus virtutibus & doctrinae teſtimonium dare non potuerim luculentius. Nunc vero, cum etiam literis tuis, quas nuper ad me ſcripſiſti, omnia eadem praedicari video, credere coepi haud potuiſſe me decipi in laudatione ejus, quem tu quoque, vir incomparabilis, & ingenii omnis doctrinaeque princeps, tantopere commendaſti. Utique ſi bona ſua aeſtimare Hamburgenſes didicerunt, facile intelligent reipublicae intereſſe, ut indoli ejus decus ſuum pretiumque ſtatuatur. Ego quacunque in re aliquid praeſtare potero, quod ei gratum & jucundum erit, non patiar ei deeſſe operam meam, ſtudiumque & promtiſſimam benevolentiam. Id vero cum ſoleam nulla prece rogatus ſponte facere, peto a te, ne credas ex eo aeſtimandum fore, an in aliqua parte haereas memoriae Lugdunenſium. Majora enim quaedam eſſe cupio, quae tibi, tanquam certiſſima documenta, teſtatam faciant noſtram obſervantiam. Utinam vero, quemadmodum divinas animi tui dotes mundus univerſus admiratur, ita iis uti Batavia tua poſſit. Sed haec noſtra & temporum infelicitas eſt. Verbo dicam: obſtat tibi non optimorum civium adfectus, ſed publica ſeculi calamitas, & temporum diuturnior παροξυσμός. Eſt apud vos praeſtans nobilitate juvenis, ex primaria inter Saxones familia, *Henricus de Friſen*, in quo, praeter alia plurima animi bona, excellit inſignis quaedam eruditio, ob quam amo eum mirifice aeſtimoque. Is mihi ſcripſit, ſe quotidie tecum una eſſe, ac colloquia tua tanti facere, ut nihil in vita habeat carius. Equidem invidere nullius fortunae poſſum. Sed tamen dolet mihi, quod in ejus felicitatis partem non admittar. Nihil inſolenter faciam, neque te rogabo, ut hujus virtutibus faveas, qui virtutum maximarum non fautor modo, ſed etiam exemplum es. *Claudius Salmaſius* ante menſem ad nos tandem pervenit cum familia. Qui eum ad nos vocaverunt, operas certas ei impoſuerunt, uti confutaret

Ba-

Baronium. Ante tamen ad reſpondendum *Petavio* ſe parat in privata cauſa. Quae res illum diu poterit multis moleſtiis taediiſque implicare ſine ullius commodo: cum aliud ex alio ſurget ſcriptionis hujuſce argumentum. Vale, vir ampliſſime, & officia omnia, quae a me proficiſci poterunt, cumulate exſpecta. Lugduni Batavorum 17. Decembris 1632.

Dedi etiam literas ad *Joannem Brant*, amicum meum, virum doctiſſimum, & civitatis Hamburgenſis primarium Senatorem. Atque alteras item ad *Henricum de Friſen*. Rogo te etiam atque etiam ut jubeas perferri quo oportet. Iterum vale, vir ſumme.

EPISTOLA LVIII.

PETRUS CUNAEUS

Hugoni Grotio

S. D.

CUM ante annum ad literas tuas reſpondiſſem, Vir Ampliſſime, epiſtolam Senatori ſupremae Curiae *D. Reigersbergio*, affini tuo, commiſi, quam perveniſſe in manus tuas credo. Ea ſcriptione ſummam meam in te obſervantiam, ut debui, teſtatus ſum, ac ſimul de *Petro Hartzwigio*, JCto Hamburgenſi, quem mihi commendaveras, judicium laudabam tuum. Nunc quod etiam noviſſimis literis tuis petis, ut *Caſſio* tuo, ſi quid poſſum, bene faciam, mirifice ejus cauſa & cupio & debeo. Ille vero nulla re magis animos ſibi omnium eruditorum conciliabit, quam quod ſe tibi probatum fuiſſe domeſtico miniſterio, atque ab illo divino ore tuo pependiſſe gloriari poteſt. Quanta contentione quantiſque praemiis non a Suecis modo, ſed a Rege Daniae etiam, atque ab ipſo Imperatore inviteris, non ex vano rumore, ſed optimis certiſſimiſque autoribus accepi. In qua re habebit utique quod vehementer obſtupeſcat poſteritas, cum tu & patrio ſolo extorris, & honoribus dejectus ampliſſimis, amorem Bataviae tuae ita conſtanter retines, ut privatam apud exteras gentes vitam degere, quam capeſſere oblatam ibidem a Principibus majorem dignitatem malis. Id firmiſſimi pectoris conſilium inter Bataviae miracula non poſuerunt illi, quos olim ſcis epigrammate utrinque de his certaviſſe,

quia nondum tunc contigerat res tam nova. Obſervationes tuae in novum teſtamentum cur editae non ſint, dum in Gallia eſſes, cauſam forte comminiſci poſſum. At quid nunc te retardet, non video hercle. Rogo te, ne fructu tam praeclari operis diutius carere patiaris ſeculum noſtrum. Deus te, vir ſumme, incolumem ſervet, nobisque & patriae tuae reddat. Lugd. Batavorum 21. Decembris 1633.

EPISTOLA LIX.

PETRUS CUNAEUS

Hugoni Grotio

S. D.

VIR Ampliſſime. Literis tuis noviſſimis, quas mihi tradidit *Caſſius* tuus, reſpondi nuper XXI. Decembris, ac Summae Curiae Senatorem *Reigersbergium*, affinem tuum, rogavi, ut epiſtolam meam ad te tranſmitteret, a quo etiam ſimile officii genus ante annum expetii. Nunc, cum iter ad te parat ille idem *Caſſius*, abire eum ſine meis ad te literis paſſus non ſum. Ego juveni cultiſſimo eruditiſſimoque, & ad omnem laudis excellentiam nato, praeſtiti, non quantum commendatio tua, & virtus ejus merebantur, ſed quantum potuit mediocritas mea. Supervacuum erit, ſi te monuero, ut quem ſemel graviſſimo luculentiſſimoque judicii tui teſtimonio proſecutus es, eundem porro ornare quibuſcunque rebus poteris, velis. Cum enim ſemper mirum in modum propenſo erga omnes tuos affectu ſis, quidquid huic feceris, non nobis tribues, ſed moribus tuis. Evulgavit is nuper duas *Auguſti Buchneri* diſſertationes, in quibus caſtigatae cujuſdam doctrinae genius ſupra Germanorum eminet indolem. Si plura id genus monumenta Witenberga prodierint, credam plus eam gentem rebus turbatis, quam in media pace, poſſe. Vale, vir ſumme & incomparabilis, ac ſeculi noſtri primarium decus. Lugduni Batavorum 18. Martii 1634.

EPI-

EPISTOLA LX.

PETRUS CUNAEUS

Hugoni Grotio

S. D.

Pariſios.

VIR Illuſtriſſime. Venit ad te *Juſtus Ryckewardus*, *Theophili* filius, ſummae doctrinae, & rari ingenii juvenis, qui tunc ſe Gallicani itineris fructum conſequi poſſe credit uberrimum, ubi alloquio tuo & adſpectu frui identidem datum ipſi fuerit. Exiſtimat enim, id quod res eſt, in uno te repraeſentari hodie quicquid paene uſpiam eruditorum hominum habet noſtra haec aetas. Eum ergo ſine meis dimittere literis nolui, non quod commendatione egebat noſtra apud te, qui optimus ingeniorum aeſtimator es, ſed quod ſignificare tibi hac occaſione volebam, eſſe me ac fore ſemper obſervantiſſimum ſtudioſiſſimumque maximi nominis tui, ac inſigniter laetatum me fuiſſe, cum intellexi inter tot Principum certamina, qui procul a patria hac noſtra imponere virtutibus tuis aliquem dignitatis cupiebant apicem, placuiſſe in primis tibi id munus, ut Suecicas res curares, atque tuereris in ipſa Gallia, hoc eſt in florentiſſimo orbis terrarum regno, atque apud eum regem, cujus extabant jam pridem in te ingentia amoris documenta. Equidem ego neutiquam ignorare poſſum, quam magni interſit etiam ad reip. noſtrae ſtabilitatem omnia bene feliciterque evenire regno Sueciço. Quare Deum opt. max. ſupplex quaeſo & veneror, ut legationem hanc tibi Sueciaeque, & Germaniae, ac nobis omnibus fortunatam reddat, atque ut res a fortiſſimo rege veſtro, dum viveret, ductu admirabili optimiſque auſpiciis coeptas perficiat penitus, eaſque ex tot rerum difficultatibus in tuto locet. Vale, Illuſtriſſime Legate, & diu ſeculo huic perenna. Lugduni Batavorum 25. Julii 1635.

EPISTOLA LXI.

JANUS RUTGERSIUS

Petro Cunaeo.

Leidam.

AMiciſſime, & doctiſſime Cunaee. * In Horatii Satyram praefatum te eſſe non ſine ſummo applauſu ſignificavit mihi per literas *Gomarus* noſter. Cur celaſti me? Non debuerat latere hominem tui amantiſſimum conſilii tui ratio. Optavi adeſſe, & nunc non adfuiſſe ſane poenitet. Dictum FELICITER oportuit. Quod quia ignoratione inſtituti tui a me neglectum eſt, ſolis votis te juvabimus. An Juvenalem interpretaturus eſſem ambigebam. Eſt penes nos vetuſtiſſimum auctoris ejus exemplar. Id libenter miſiſſemus, aut ſaltem variantis lectionis excerpta. Quid nunc mediteris ſcire velim. Nam ceſſare non cadit in ingenium tam excellens, tam vividum. Nos Varias abſolvimus, & in eo ſumus ut relegendo emendemus quaedam; ſolent enim multa ſub ſtyli acumen cadere, quae recidenda ſunt. Vale Cl. vir, & nos amare perge. Scribebam in Batavorum Metropoli xx. Octobr. cIↄ Iↄ cx. Dion.

* Eſt oratio, qua Linguae Latinae Profeſſionem eſt auſpicatus; N. xi. p. 203. Editionis Cellarianae.

EPISTOLA LXII.

PETRUS CUNAEUS

Clariſſimo Viro D. Petro Bertio.

VIR Clariſſime. De verbis illis, quae ſunt 1. Samuel. 2. 25. nihil mihi magnopere ſuccurrit, quod reſpondeam. Certe Hebraeis nuſquam τὸ כי idem video eſſe, quod לכן vel על כן: ſed contra iidem ipſi appellant חפך. quod ubi ſit, כי על כן nihil aliud eſt, niſi כי ſimpliciter, vel יען כי, vel עקב אשר. nihil enim differt. Nobis non licet in manifeſta luce trepidare, neque loci ſententiam juvare inſolenti commento. Quare mittendum eſt illud, quod heri quaerebamus, an כי hic exponi poſſit, tanquam ſi ſcriptum eſſet, לכן. Non enim procederet τὸ ἐπιχείρημα. Tum & ipſe Chaldaeus Para-

Paraphraſtes, quem maximi facio, quia quae durius dicta alibi ſunt, emollire ſolet, nobis adverſaretur. Is enim ſic vertit לא קבילו למימר אבוהון ארי רעוא קדם ״ לקטלותהון. Id eſt, non admiſerunt dictum parentis ſui, quia ſententia illa firma ſtetit Deo, de ipſis morte puniendis. Caeterum Rabbini hîc anxie ſolliciti ſunt, & tantas moles convectant, ut in una hac re crederes omnes eorum fortunas verti. Unus tamen eſt R. *Schelemo Jarchi*, qui, cum alibi firme amet ſolennia ineptire, hoc loco praeter morem ſuum, quod verum eſſet attulit. Ait enim שכבר נחתם גזר דין אבל קודם שנחתם גזר דין נאמר כי לא אחפיץ במות הכת, quaſi diceret, Deum jam ſemel antea horrendis eorum peccatis ſic ſuccenſuiſſe, ut decreverit eos perdere: Neque poſt illud decretum, illis reliquiſſe paenitentiae locum, quare neque patri ſerio monenti eos auſcultaviſſe. At vero antequam illud decreviſſet, firmum, inquit, illud ſtetit Deo, quod alibi dixit, nolo mortem morientis, ſed ut ſe convertat. Nimirum, prioris peccati poena fuit haec, obduratio cordis, privatio gratiae, ablatio Spiritus Sancti. ex qua deinde punitione aliud peccatum extitit, nempe non obedire patri revocanti. Atque hoc factum eſt admirabili conſilio Dei, qui eos hac cordis duritie ſtatuit punire, ut propter alia deinde peccata longe ſeverius eos multaret. Haec ſunt judicia Dei nec occulta, nec injuſta. neque multum huic diſſimile eſt illud 2. Paral. 25:20. de Amazia, qui reſponſis Joae Regis Iſraelis non eſt obſecutus, quoniam Deus ſtatuerat eum tradere Iſraëlitis. Nos, niſi haec admittimus, valde teneri ſumus, & delicati, neque illum ipſum doctorem ſequemur, cujus ſcita pleraque lenia & moderata, & doctrinae prudentiaeque plena eſſe credimus. Lugd. Bat. VI. Novemb. CIↃIↃCX.

EPISTOLA LXIII.

PETRUS CUNAEUS

Petro Bertio

S. D.

V. Cl. abſui per hos dies ab urbe, itaque de loco illo, qui eſt Geneſ. 15. ſententiam tibi meam perſcribere non potui. hodie autem, cum illum inſpicerem, nihil reperi, quod obſcurum aut admodum difficile videretur. Fuero

Fuere quidem nonnulli, qui illud ויחשבה de Abrahamo accepere, quaſi ille hoc totum, quod Deus promiſerat, acceptum tulerit illius juſtitiæ, & miſericordiae: verum quia D. Paulus ad aliam interpretationem nobis pracit, ab illo diſſentire noſtrum haud eſt. Rab. *Sal. Jarchi* plane eodem modo haec intellexit הקב״ה חשבה לאברהם לזכות ולצדקה על אמונה שהאמין בו. id eſt, *Sanctus Benedictus ille Deus reputavit hoc illi in meritum, & juſtitiam propter firmam fidem, qua credidit.* Quae Rab. *Aben-Ezra* notat, vix libet referre. ait בדברי קדמונינו ז״ל דרך צדקה אחרת, id eſt, voce צדקה *in veteribus ſcriptis aliud ſignificatur, quam in ſacris litteris.* paſſim enim illic accipitur pro eleemoſyna, quod non ignorant qui illorum ſcripta legerunt. ſenſus ſimpliciſſimus hic eſt; credidit Abraham Deo, qui eum propterea juſtum reputavit. qui haec de objecto fidei & de Chriſto capiunt, videntur mihi ab ipſo Apoſtolo diſſentire: ait enim Rom. IV. D. Paulus, juſtum a Deo reputatum Abrahamum, non quia promiſſionem de Chriſto eſt fide amplexus, ſed quia de virtute credidit poſſe fieri, ut ex uxore vetula filium ſuſciperet, & multarum gentium aliquando diceretur pater: itaque Divine Apoſtolus ὃς παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι &c. hanc igitur Abraham fidem oppoſuit operibus legis, & hoc fine verba Moſis citat ex Geneſ. xv. etſi profecto praeter mentem & ſenſum Moſis. non enim hoc ibi agit Moſes; ut fidei juſtitiam diverſam faciat a juſtitia, quae eſt ex lege, ſed divus Paulus myſtica quadam interpretatione haec verba ad rem, de qua loquitur, accommodavit. nos hujusmodi expoſitionis rationem etſi non intelligimus, tamen quia à Spiritu Dei eſt, rectam eſſe & veram credimus. Plane eodem pacto Apoſtolus verba Moſis Deut. xxx. 12. in alium ſenſum trahit myſtica, ut dixi, interpretatione, ad Rom. cap. x. verſ. 6. & ſequentibus. ἡ δὲ ἐκ πίστεως &c. Moſes enim nihil tale cogitavit. Sic author epiſt. ad Hebr. cap. 11. verſ. 6. locum è Pſalmo VIII. citat haudquaquam e mente Prophetae: non magnopere errabit, qui haec petita ex Cabala mecum crediderit. Vale. Lugd. Bat. IX. Januar. CIↃ. IↃ CXIII.

EPI-

EPISTOLA LXIV.

PETRUS CUNAEUS

Cornelio van der Mylen.

Hagam.

ADmirabilis eſt quaedam tui nominis caritas, Ampliſſime domine, amorque in te ſingularis omnium eruditorum: ita merentur virtutes tuae, ad quas te excellens tua natura & vivida ingenii vis armavit. Quod enim rarum eſt in illuſtri veſtro ordine, ac prope inuſitatum, de ſtudiis hiſce noſtris, deque omni doctrina bene & ſubtiliter judicas: tum & omnes, quos ſemel probaſti, effuſiſſime diligis, eosque in tuis non numeras, ſed aeſtimas. Equidem non vereor ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, cum hoc, quod res eſt, dico: nam neque tu is es, qui quid ſis neſcias, & nobis conſtat eos potius, qui non admirantur, invidos, quam eos, qui laudant, ineptos dici debere. Jam duo anni ſunt, cum ego non repentina voluntate, ſed certo conſilio tuam amplitudinem meis officiis amplexus ſim; quo quidem ex tempore memoria teneo, neque meam tibi obſervantiam, neque mihi tuam ſummam benevolentiam defuiſſe. Non igitur verebar tibi, viro noſtri ſtudioſiſſimo, & alia omnia poſthac committere, & nunc quoque ea ipſa de meis rebus perſcribere, quae te ſcire vehementer deſidero. Ea tu hoc animo, Vir maxime, leges, ut tantiſper Academiae Curator eſſe deſinas, meque velut privatus audias, ac tanquam patronus. Certe enim neminem veſtrûm prenſare decrevi, neque unquam erit, ut ipſe me proſtituam. Quin nec alios ſubornavi unquam, qui id agerent; & tamen erunt fortaſſe nonnulli, qui noſtra curabunt, non a me moniti ſane, ſed ſuapte ſponte & fato quodam meo, quod ego plane tale eſſe comperio, ut multos ſummos homines, eosque doctiſſimos (quod apprime glorioſum eſt) valde deditos mihi eſſe ſentiam. Nihil ego hujusmodi foris quaeram, quum mihi in vigilantia mea, inque meis meritis praeſidium ſit domi, quod apud vos pro me ſemper ſtabit inexpugnabile. Suſcepit mecum docendi munus ante menſes aliquot *Joannes Meurſius*. Uterque eodem quidem tempore, ſed ego incerta quadam, & multo deteriore conditione. Quod non ea cauſa a me factum eſt, ut ſerviliter quidquam ambire

bire, aut rem erecta mea indole indignam facere viderer, ſed ut virtute ipſa & provocarem alios, & incenderem veſtros animos. Non debeo quenquam deprimere vel inferiorem vel parem. Pertinet enim ad gloriam meam, quam maximum videri illum, quemcumque praecedo vel exaequo. Quare ſit ille, me libente, etiam maximus, nos & illius merita, & aliorum multorum ſuperamus. Nemo me recte jactantiorem dixerit; quum de me aliorum judicium, non meum profero, praeſertim apud te, nobiliſſime Domine, qui nec ullius invides laudibus, & faves noſtris. Enimvero quum Academia veſtra erudiendae Batavae & peregrinae juventuti inſtituta ſit, ille mihi primas ferre videtur, cujus opera quam plurimi quotidie docentur. Miſerum eſt videre deſerta omnia fere Juriſconſultorum ſubſellia, & per Medicorum ſedes vaſtam quandam ſolitudinem. Nam ut de caeteris artibus melius ſperetur, nihil eſt. Eunt enim vulgo doctores & operam ludunt, ſequuntur duo tresve adoleſcentes, conducti & redemti mancipes. tanti conſtat, ne ſoli inter columnas rem gerant. Dicendum aperte eſt, apud *Baudium*, *Heinſium*, & me ſtat nunc, ſtabitque iſtud regnum. Nos enim tres ſoli magna frequentia audimur, nos aeſtimamur. In noſtris ſedibus Academia veſtra prope intermortua vitam & ſpiritum ducere mihi videtur. Sed illi quidem duo, ut meriti ſunt, inſigni fruuntur munificentia & liberalitate. Superſum ego, cui quantum tribuendum ſit, ſtatuetis ipſi, &, ut cupio, ſtatuetis ex noſtra dignitate. Nos caeteris ſomnia ſua de ordinaria profeſſione, & hujusmodi plura (quae habent ſpeciem gloriae ex inaniſſimis ſplendoris inſignibus collecta) libenter relinquimus, ſtulta, vernilia, putida. Ego verum decus primo in virtute poſitum exiſtimo, quae maxime illuſtratur magnis in Academiam meritis: deinde in veſtris honorificis de me judiciis & decretis. Mihi, ſi in Zelandia vivere liberet, parata forte honeſta conditio. Jam enim non ſemel Middelburgenſes tentarunt, quid animi ſuper hac re haberem. Ego tanta hujus loci in celebritate & in iſta hominum luce magnum mihi momentum poſitum exiſtimo, atque adeo hîc malo eſſe, ubi aliquo numero ſim, quam iſtic, ubi ſolus ſapere videar. Nunquam igitur tam improvidus ero, ut ab excitata fortuna ad dubiam & adhuc jacentem deſciſcam, aut tam inconſtans, ut collectam gratiam florentiſſimorum hominum effundam, a meque ipſo deficiam. Caeterum unum reſtat, nobiliſſime

Vir,

Vir, quod vehementer te etiam atque etiam rogo. De titulo profeſſionis meae velim illud ſequaris, quod maxime ſit naturae meae accommodatum. Suaſit tibi dudum *Heinſius* noſter de Poëtica, & porro forte ſuadebit etiam nunc. Ego illi ſuum judicium relinquo; eſt enim mihi amiciſſimus. Interim tamen illud de Poëti neſcio quomodo jure odi. Sum enim paene totus in antiquitate Romana luſtranda, iiſque explicandis, quae ad majeſtatem illius gentis, ad Hiſtoriae lucem ſpectant. Quare nihil mihi convenientius fuerit, quam profeſſio Latinae Linguae. Res non nova eſt, ſed dudum uſitata, nam & Lovani olim *Petro Nannio*, & nunc ibidem *Puteano*, tum & hîc quoque *Merulae* haec delata eſt. Sic per omnes praeſtantiſſimos Authores liber & ſolutus ibo, ac animo meo ſine lege morem geram. Magni autem intereſt ad vires noſtras & ardorem laxari induſtriae fraenos, neque anguſtiſſimo gyro ingeniorum impetus refringi. Haec tibi, Ampliſſime Patrone, qui pridem naſcenti meae laudi virtutique praefuiſti, ſcribendum duxi, ut quarum rerum ſpe ad hoc inſtitutum incitatus ſum, harum fructu in reliquum facias me alacriorem, mihi certum eſt aliquid ſingulare & honorificum futurum, quod meritis meis tribuet non miſeratio, ſed aequitas, planeque confido tantum te mihi commodaturum, & in hac re & in caeteris, quantum tua fides, amplitudo, dignitaſque patietur. Lugd. Bat. IV. Maj. CIƆIƆCXI.

EPISTOLA LXV.

PETRUS CUNAEUS

Cornelio vander Mylen.

Hagam.

Vir Nobiliſſime. Ante dies aliquot parentandum fuit *Bonaventurae Vulcanio*: neque quiſquam repertus eſt, qui homini, optime de Academia merito, extremum pietatis officium praeſtaret, donec tandem ego precibus Senatus Academici permotus ſum, ut id facerem, quod eſſet ex dignitate publica. Laudavi itaque defunctum; ſed ita, ut omnium eruditorum cauſſam egerim, ſtudiorumque noſtrorum divinam praeſtantiam illis ob oculos poſuerim, qui eam aut non intelligunt, aut certe non aeſtimant. Ea cum haud ingrata fore omnibus bonis viderem, conſtitueram hoc, quidquid eſt, vulgare. Nunc, cum intellexi quae-

dam

dam ab ineptis reprehendi, omittam illud conſilium, & tenebris damnabo ſcriptum, in quo tamen omnia rectiſſime dicta eſſe exiſtimant amici mei, viri graviſſimi, quorum judicium permagni facere ſoleo, nobiliſſime Myli. Caeterum quoniam audio etiam Hagam veſtram perlatos eſſe hos rumores, ſcripſi brevem diſſertatiunculam, quam non publicabo equidem, ſed tamen legi a vobis cupio, ut intelligatis, quam frivola & febriculoſa ſint, quae illi culpavere. Eam diſſertationem tibi mitto, & ut legas, peto. Praecipue illud de *Lipſio*, quod dixi, exagitatum eſt, tum & quod de Chriſti meritis locutus non ſum. Sed multae cauſſae fuere, cur hoc in iſta laudatione omiſerim. Novimus nos, noverunt caeteri *Vulcanium*, qui cum illo familiariter vixere. quoties aliquis hominem extrema ſenecta ad mortis meditationem hortabatur, vehementer iraſcebatur ille. Sermones vero de Chriſto, aut de pietate, adeo nunquam ex ſene audivimus, ut ſaepe mirati ſimus, quibus ille cogitationibus feſſam aetatem ſolaretur. Itaque laudavi in funere ea, quae communia cunctis eruditis literatisque ſunt. Caetera omiſi, ne viderer ſcenae ſervire. Sermones de Chriſto non ſunt gladii Delphici, qui omnibus aptandi ſunt. Et profecto, qui haec indignantur, ii relegandi ſunt ad D. *Heinſii* orationes, quibus ille *Douzam* & *Scaligerum* laudavit. Ego quoniam me fatigari video improbitate atque invidia aemulorum, recte facturus videor, ſi in Juriſconſultorum caſtra, quae & ante ſecutus ſunt, tranſeam, ubi nec paedagogica malignitas regnum tenet, & ſolida rerum pondera atque momenta, non autem verba atque umbraticae ineptiae requiruntur. Etiam decrevi intra breve tempus publicare libros meos de Republica Judaeorum, quos tibi, vir nobiliſſime, mox tranſmittam, quem ego ſpei meae auctorem parentemque ſemper habui. Lugd. Bat. Kal. Novemb. CIↃIↃCXIV.

EPISTOLA LXVI.

PETRUS CUNAEUS

Cornelio van der Mylen.

Hagam.

VIr Nobiliſſime. Ex quo tempore nuper a te diſceſſi, diu ſane inter chartas meas eam epiſtolam quaeſivi, quam a me petebas, nec reperire potui, donec tandem caſu

caſu quodam in manus meas incidit. Quare ſtatim eam amanuenſi meo deſcribendam dedi, tibique mitto. Equidem ego haud admodum ſollicite ſervare ejusmodi ſcripta ſoleo. Gaudeo tamen non periiſſe, quia intereſt mea aliquod exſtare ingenuae libertatis noſtrae monumentum, adverſus hominem maledicentiſſimum; ſi palam illi convicia pro conviciis repoſuiſſem, furorem ejus inflammaſſem. Nunc clam cum admonui; vicit immanem hominis ferociam humanitas mea. Ea vero pulcherrima victoria eſt, non ulciſci hoſtem, ſed injuriae licentiam adimere, quod abunde factum a nobis eſt. Vale. Lugd. Batav. 29. Decemb. CIƆIƆCXV.

EPISTOLA LXVII.

SIXTUS ARCERIUS

Petro Cunaeo ſuo

S. P. D.

Leidam.

MOdo mihi redditae literae tuae, mi Cunaee, ut diu deſideratae, ita quoque pergratae fuere. Cum autem Secretarius noſter *Domannus* die craſtini ad vos cogitet, reſponſum differre nolui, tum ut amicitiam meam tibi probarem, quam perennem mihi tecum, ac tui ſimilibus eſſe cupio, tum ut in tempore proſpicerem de eo, qui onus, quod tibi imponere ſatis audacter non fui veritus, in ſe recipiat. De *Scriverio*, quîcum mihi non nova amicitia, quia mones, & operam ejus mihi ſpondes, ſcribo illi, ſperoque, qua eſt humanitate, non negaturum. Pudet profecto pigetque; tam eſſe me hic infelicem, ut alibi aliis moleſtus, atque oneri eſſe cogar. Sed quid faciam? Quando ut volo non licet, debeo id quod poſſum. Judicium meum, quod fateor tenue eſſe, de tuis Animadverſionibus video tibi non probari tantum, verum etiam, quia mihi forte liberiora quaedam verba temere, ac feſtinanter in calamum venere, pene te nonnihil indignari. Si aliorſum ea accepiſti, atque a me ſcripta ſunt, veniam poſtulo. Non conſuevi etiam aliis, nedum amicis ad trutinam loqui. Quum ea ſcripſi, putavi me praeſentem tecum familiarius contendere, & non animadverſionibus tuis (quas doctiſſimas profiteor), ſed tibi ſtudio adverſari. Dicta ergo iſta non dicta eſſe cupio. Interea te excuſatum libens

H ha-

habeo, quod operam tuam mihi non denegaturus fuiſſe niſi abeſſe debuiſſes. Sed *Endius* ille veſter quis, & quid militare premat, nondum ſatis intellexi. Si ſcire dabitur, gratum erit. Vale, & haec in aequam partem interpretare. D. *Heinſium*, D. *Scriverium*, D. *Baudium*, *Rutgerſium* caeteroſque veſtrûm officioſe a me ſaluta. Raptim Franekerae. VIII. Junii. CIↃIↃCXI.

EPISTOLA LXVIII.

PETRUS CUNAEUS

D. Danieli Heinſio.

Leidam.

VIr Clariſſime. Vehementer a te peto, ut mihi mittere velis ſeminarium illud * *Jo. Baptiſtæ Bernardi.* cupio enim deinceps in Platone ſerio verſari, &, ubi opus erit, ex Itali illius collectaneis ſubſidium petere. Heri Tyrium Maximum ab *Elzevirio* accepi. Cujus lectio majorem noctis partem mihi abſtulit: neque unquam melius inſomniam meam ſolatus ſum. Jam me enthuſiaſmus quidam capit, & eſſe extra me videor. Suaviſſimam ſecutus eſt philoſophandi rationem, ſed quam tu una diſſertatione ſuperaſti. Cui ſi plures addideris, omnibus Platonicis per te miſeris eſſe porro licet. Profecto in notarum libello, qui oppido exiguus eſt, plus admirandae eruditionis eſſe judico, quam in multis *Ficini* & aliorum voluminibus. qui mihi viri, dum ſupra plebem philoſophorum animo & cogitatione ſurgunt, nubes & inania captaſſe videntur. Quod enim Socrati maligne Comicus tuus objicit, vere ſunt μετεωρολέσχαι καὶ λεπτοτάτων λήρων ἱερεῖς. In tuis inuſitata eruditio, ſingularis divinitas, &, quicquid alibi non reperio, elucet. Quare tu mihi in poſterum non mortalis homo, ſed quiddam majus eris. Certe enim in illo pectore

Quis Deus incertum eſt, habitat Deus.

In qua ſententia caeteri omnes una mecum eſſent, niſi aut judicio pleriqne deſtituerentur, aut quibuſdam continuus aſpectus minus te verendum ipſa fatietate faceret. Vale, vir incomparabilis. Sub veſperam, ſi tibi obvium eſt, cupio ad

* Edidit ille ſeminarium Philoſophiae Ariſtotelicae & Platonicae Venet. 1582. III. Vol. quod hac epiſtola ex Bibliotheca publica cui *Heinſius* praeerat, petit *Cunaeus*.

ad te venire, ut, hoc ſudo coelo, deambulatiuncula famem tecum obſonem. Lugduni Bat. x. Martii. CIↃIↃCXII.

EPISTOLA LXIX.

DANIEL HEINSIUS

Petro Cunaeo

S. D.

DE morbo tuo dolui. Spero tamen potius languorem eſſe, quam morbum. Ego quoque toto hoc die minus recte valui. Puto ſane ab heſterno eſſe. plusculum enim animum remiſeram. Verti tamen feſtinanter admodum quae petebas. Verſus ille, ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων πάντη τρυφᾷ ἠΰτε κούρη, non eſt niſi fallor Homeri. Sed pro eo legitur in fine catalogi, ὃς καὶ χρυσὸν ἔχων πόλεμονδ᾽ ἴεν, ἠΰτε κούρη Νήπιος. Ergo illud πάντη παραπληρωματικὸν eſt, neque caeleſtem & inimitabilem Homeri caſtitatem ſatis decere videtur. Quod ad locum illum, θύων ὁ Ῥωμύλος τὰ κρόνια, πάντας ἐκάλει, interpres κακοζήλως locum Virgilii exprimere voluit. Docti vero & politi homines, aliud ſciunt eſſe, *facere pro frugibus*, quam *pro Saturnalibus*. Romani Saturnalibus faciebant pro familia, non pro Saturnalibus, quod eſt ſtultum. Verte, *cum ſolemnius Saturnalibus victimas mactaret*, vel, *cum de more Saturnalibus ſacrificaret*. Quod omnino exprimit autoris mentem. Primum carmen ita reddidi, *Longe alius quam pridem hoſpes nunc eſſe videris*. Ita ſecundum, *Qui tenerae auratus laſcivit virginis inſtar*. Ita tertium, *Si quod fecit habet, jus illi contigit aequum*. Ita poſtremum, —— *quiſquis ſapiensve bonusve eſt, diligit uxorem quantum pote*. Aut ad verbum, *Curat amatque ſuam quantum pote*. Scio aliud eſſe *laſcivire*, aliud *luxuriare*. Sed Graecum τρυφᾷν, non minus illi, quam huic reſpondet. Et arbores cum luxuriant, *laſcivire* dicuntur. Quare mea fide licet ſic vertas. Haec ex tempore, & ut in mentem veniebant. Tu vale, & aequi conſule ac boni. Lugd. Bat. CIↃIↃCXII. XII. Novemb.

EPISTOLA LXX.

PETRUS CUNAEUS
D. Danieli Heinſio
S. D.

Leidam.

VIr clariſſime, etſi oneris tibi inponere, nec audeo quidquam, nec debeo, tamen, quod ſine moleſtia tua fieri poſſit, vehementer te rogo, ut, cum Leidam venero, conſequi a te poſſim inſtrumentum iſtud, de quo nuper tibi dixi: venturus autem ſum intra triduum aut quatriduum. Certe qui in aliis rebus permultum mihi commodare ſoles, nunc ab humanitate tua, opinor, non deſciſces, nec te ipſe retexes. Ego inter fori lites pene mei oblitus ſum: planeque cupio adeſſe tempus illud, cum vobiſcum iterum vivere, atque ea ſtudia recolere mihi licebit, quibus ab adoleſcentia quondam mire deditus fui. Conſtitui tamen ante exſpatiari pauliſper, & per has ferias Pariſios adire; cujus rei magna nunc facultas data nobis eſt. Sed non morabor te longis ſermonibus. Ponam in extremo quod ſentio. Nihil eſt, vir clariſſime, cum omnia a te exſpectem, quod mihi gratius facere poſſis, quam ſi hoc, quod petii, impetravero. Vale, & me tui obſervantem ama. Salutat te D. *Scottus*. Hagae Comitis 21. Julii. 1615.

EPISTOLA LXXI.

PETRUS CUNAEUS
D. Danieli Heinſio, Equiti
S. D.

Leidam.

VIr nobiliſſime, literas tuas mihi hodie tradidit cognata tua, D. *Neraei* uxor, ex quibus demum intellexi, quid conſtitutum in ea * cauſa ſit, quam ex Senatus Academici mandato ordinibus Bataviae commendavimus. Caeterum non fefellit me divinatio mea. Plane enim, ut ante exiſtimabam, lentiſſimum hoc negotium eſt, quod per varias

* Nihil reperio in actis Academiae, unde huic Epiſtolae lux poſſit accedere.

ma-

moras in plures annos extraheretur. Tibi mihique uberrimus ex conſcientia fructus erit, quod publica ſeculi commoda non ignave promovimus. Hac ſola cogitatione ipſa nos ſolabimur, cum impenſe ſuccenſebunt nobis magiſtelli omnes, qui inſtituta ſua mutare, & quae alios male docuerunt, dediſcere cogentur. Si quid amplius erat, quod excitare ſpem noſtram potuit, fruſtra id erit, ut has res video. Noſti illud *Sic vos non vobis.* Reliqua non addo. *Sevecotius* tuus, aut noſter potius, ſubinde me viſit, eſtque mihi gratiſſimus ac jucundiſſimus. Cupio illi ex animo omnia, quae optat. Significavit mihi ex ſermonibus ipſius *Ambroſius Teunemanus*, Eccleſiae Warmondanae Paſtor, jam eo loco res ejus eſſe, vix ut poſſit diutius exſpectare aliquam vivendi conditionem, utique ne illum incepti poeniteat, providere omnes oportet, qui pretium aliquod ponere magnis ingeniis amant. Quicquid autem hujus rei eſt, id unus optime omnium efficere poteris, vir ampliſſime. Quod ſi tu me adſciſcere in hujus laudis ſocietatem volueris, opera tibi mea, ſtudiumque & propenſiſſima voluntas non deërunt. Abſentiam tuam apud collegas, ut voluiſti, libenter excuſabo: atque id feci antea etiam, ubi ejus rei occaſio aliqua fuit. Juſtas tibi cauſas ex privatis negotiis eſſe omnes ſciunt. Et ut nullae admodum eſſent, ea tamen ſunt tua in Academiam merita, ut nemo ferre iniquo animo hanc breviſſimi temporis ceſſationem debeat. Illud mihi aegre eſt, quod interim adſpectu atque alloquio viri amiciſſimi, & quod caput rei eſt, eruditorum omnium principis; non liceat frui. De morbo clariſſimi D. *Vorſtii* puto te audiviſſe. Paulo jam melius habebat, cum heri ei adeſſem. Spero propitium nobis fore Deum, ut Academiae ſpectatiſſimum graviſſimumque profeſſorem, ac Senatui noſtro decus ſuum relinquat. Vale, vir eximie, & ampliſſimum maximumque virum D. *Rutgerſium* meis verbis officioſe ſaluta. Lugd. Bat. 19. Octobr. 1624.

EPISTOLA LXXII.

PETRUS CUNAEUS

Conrado Vorſtio.

Goudam.

Clariſſime Doctor. Qui antea admirandam eruditionem tuam veneratus fueram, tandem nunc etiam, ex

quo tempore nuper te Goudae ſalutavi, inſignem tuam amare coepi humanitatem. Itaque vehementer doleo quadam fortunae iniquitate in iis te locis vivere, ubi alloquio tuo frui quotidie, ac de maximis religionis myſteriis libere ſermonem tecum ſerere non poſſim. Nuper ſcriptum quoddam edidi, quod tibi mitto, & uti judicium de illo tuum perſcribere nobis velis, etiam te atque etiam rogo, maxime Vorſti. Omnes eruditorum familias atque ordines perambulavi, & quia Theologi hodie maxima pars ſunt ineptientium, ſane continere me non potui, quin ſaepe illos, & non uno loco, in hanc Satyrae noſtrae ſcenam introducerem. Eluſi Parcarum tabulas, & anile fatum, quod hodie inter ſacrificulos noſtros excitat tragoedias, tum & multa de eorum vernilitate dixi, qui certis quibusdam deſtinatis ſententiis quaſi addicti & conſecrati, neminem ferunt a ſe diſſentientem. Etiam de Juliano ſententiam meam, non ſine multorum indignatione, expoſui Epiſtola ad Ampliſſ. *Zeyſtium*, quae eſt in limine poſterioris libelli. Verum tu, clariſſime doctor, cujusmodi haec ſint, facile per te videbis. Equidem ego gaudebo, ſi tibi haec, accerrimi judicii viro, probari intelligam: nam ut omnibus placeam, nunquam fore ſpero, neque profecto mea refert. Vale, vir maxime. Lugd. Bat. XXIX. Dec. CIↃIↃCXII.

Haec epiſtola legitur & in editione orationum a Cellario curata pag. 578. deſumpta ex Epiſtolis Eccleſiaſticis Praeſtantium Virorum. n. CCI.

EPISTOLA LXXIII.

JOANNES FORESTIUS

Petro Cunaeo

S. P. D.

Leidam.

DOctiſſime Cunaee. Beatos eos eſſe duco, qui tanquam Lucianeus Mercurius & Charon ex edito loco res humanas conſiderant: beatiſſimos autem illos, qui non modo quid rerum hîc geratur perſpiciunt, ſed & caeteris, qui non iisdem oculis utuntur, quodcunque in vitâ peccetur, planum faciunt, atque id commodiſſima ratione corrigunt. Horum in numero tu merito ponendus es: nemo enim mo-

mores ſui ſeculi magis intus & in cute novit: nemo vitia facetius, ac minus moroſè cenſuit. Latinè agis profectò; id eſt non tantum ut Priſcianus vocabulum hoc intelligit: verum etiam ut Martialis, qui (ut noſti) lepidum & jocoſum illud interpretatur. Ex quo conſtat quantum te Genius a plebe ſegregatum habet. pleriſque enim in hoc genere ſcribendi (ut & in aliis, ubi haec duo requiruntur) utrumque video deeſſe. Rationem tuam valde probo: quandoquidem non minus ad virtutem pertinere arbitror vitia ante oculos poni, quam virtutem ipſam. Fateor quidem illud Platonis eſſe veriſſimum, ſi facies honeſti cerneretur, mirabiles excitaturam eſſe amores ſapientiae: non tamen facies turpitudinis, ſi cernatur, minus mirabiles injiceret ſui terrores. Sed quamvis redeat eodem, ſive virtus alliciat ad ſe, ſive vitia deterreant a ſe: magis tamen mihi placet tuus, quam philoſophorum inſtituendi modus. Nam ut omittam, quod illorum ſcribendi ratio non tam ſpirantem & exactam exhibeat imaginem virtutum, quam vitiorum Satyra: Plebs Numae denſaque turba non valde philoſophorum praeceptis tangitur: dum vel deſperat propter difficilem virtutis viam, vel retrahitur, cum videat ipſos inſtitutis ſuis minime congruere, vel langueſcit, cum nihil faceti in eorum ſcriptis occurrat; Satyra vero dum ludit & ridet mirificè docet. Homines hîc, non perſonae, ambulant in ſcenâ. Cum itaque in hoc ſcripti genere nihil fiŀti, nihil umbrarum ſit, ſed omnia vera & ſolida: neceſſe eſt ut vel minimi ſenſus homines continuo commoveantur. Gratulor ergo tibi, mi Cunaee, quod cum immenſâ & profundâ doctrinâ ſapientia tibi obtigerit: quod quam paucis contingat, Satyra tua ſit teſtis. Reipublicae vero Literariae & Academiae noſtrae gratulor, quod tantum patronum nactae ſint. Gratias praeterea tibi ſummas habeo, quod abſentiam noſtram non ſinis de amore tuo erga me minuere, nec unquam me tuorum laborum expertem habes. Ex animo, Vir admirande, precor ne boni, quod mihi facis, te poeniteat, neve me deſinas amare. promitto mutuum a me fore. Vale. Hornae nono Calend. Febr. CIↃIↃCXIII.

Hujus *Jo. Foreſti*, Jac. fil. Hornani, & in ſuprema curia Hollandiae Senatoris, meminit *Valerius And.* Bibl. Belg. pag. 502. & Poëmata quaedam ejus memorat, praeter quae vidi alia, quae inſcribuntur; *Merita Principis Auraicae in Belgas, & aliquot*

 aſſi-

affines hujus argumenti verſus. A. 1610. Leidae. Ex quibus facile apparet, quam ſectam in Republica & religione ſecutus ſit, nec idem ſenſiſſe, quod *Hogerbeetſius* & *Grotius*, aliique optimates. Vide & de eo *Heinſii* Epiſtolam ad *Iſ. Voſſium* XLII.

EPISTOLA LXXIV.

J. FORESTUS

Petro Cunaeo

S. Dicit.

Leidam.

DUplici nexu, vir doctiſſime, & quo ego, & quo D. Senator *Hogerbetius*, quem tu, dum vixit, mecum coluiſti, tibi devinctus fuit, confirmatus, hunc juvenem tibi commendare recepi. Meus hic amicus eſt, viri illius & famulus & diſcipulus fuit. Pretium miniſterii (quid poſſet majus?) eruditionem ab eo tulit. Sic pius ille vir carcerem ſuum toleravit. Ne & tam triſtis locus ſibi foret iners, juvenem hunc moribus, pietate, & literis inſtituit, & a grammatica ad perfectam pene cognitionem jurisprudentiae perduxit. Ex Academia illa profectus juvenis Lugduni doctrinae ſuae periculum fieri, & palmam huic poſitam, accipere expetiit. Quando autem ad tam ſublime faſtigium nixu ei opus erit; nec firmior, nec fidelior te mihi ſuccurrit. Itaque te per pios *Hogerbetii* manes obteſtor, ut operi ejus ſummam manum imponas. Ille quod Domino ſuo pro officiis tantis debet, & tibi debebit: & tibi cum tanto viro pietatis hujus gloria erit communis. Vale, diu reipublicae literariae, & me ut ſoles ama: ego autem in aeternum non demutabo. Datum Hornae III. Calend. Maji CIϽ IϽ CXXVI.

EPISTOLA LXXV.

PETRUS CUNAEUS

D. Iſaaco Caſaubono.

Londinum.

VIR clariſſime. Ea eſt verecundia mea, ut ad te accedere ſine munere non audeam. Nuper per ludum & jocum Satyram ſcripſi in eos, qui hoc ſeculo inter eruditos magno molimine ineptiunt. Quorum eſt, uti ſcis, non unum genus. Eum libellum uti legere, ac dein judicium

dicium de illo tuum perſcribere nobis dignere, etiam te atque etiam, divine Caſaubone, rogo. Certe ſi tibi paucisque tui ſimilibus haec probavero, caeterorum moroſâ cenſurâ non movebor. Satis enim eſt equitem mihi plaudere, ut apud Flaccum Arbuſcula, contemtis aliis, ait. Per omnes eruditorum familias ambulandum fuit. Philoſophos, Hiſtoricos, Medicos, Literatores notavi, & qui maxima pars ineptientium ſunt, Theologos. Eorum enim contentiones & diſſidia quoties viderem, toties illud in animo mihi erat

Difficile eſt Satyram non ſcribere.

Sciebam quidem Sanctum illum ordinem inexpiabiles iras interdum concipere: verùm id quoque memineram, in hac patriae noſtrae libertate eorum hominum ſaevitiam atque tempeſtates, nihil admodum nobis, aut certe parum nocere poſſe. Ringant ſe verſentque in omnem partem, nunquam efficient, uti quae diximus vera non ſint. Mire favent nobis & applaudunt omnes boni: Etiam ii ipſi, qui ante ſtudio pietatis in contrarias factiones ſcindebantur. Quod ego plane ſic futurum divinavi. Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, καὶ τὸ δίκαιον. In fine eſt Juliani Satyra in principes Romanos. Quem libellum e Graeco vertimus, & epiſtola liminari laudes illius Imperatoris celebrabimus ex vero, etſi non ſine quorundam indignatione, qui haec plane nova & ἄδοξα arbitrantur; in quo profecto vehementer errant. verum tu, quanti tandem Satyra noſtra, atque haec, quae accedit, verſio, facienda ſit, ſtatues ipſe; &, ut ſpero, ſtatues ex amore tuo & benevolentia. Equidem ego ſemper credidi, ex quo tempore ſemel tibi notus eſſe coepi, ſummum tuum erga me, licet immerentem, fuiſſe ſtudium. Nihil autem inſolenter faciam, neque te tali natura praeditum hortabor, uti in poſterum me amare velis. Lugd. Batav. XX. Decemb. CIƆIƆCXII.

EPISTOLA LXXVI.

ISAACUS CASAUBONUS

Petro Cunaeo

S. D.

Lugdunum Bat.

ET Satyram tuam, vir eruditiſſime, & epiſtolam accepi. Utraque ſcriptio valde mihi fuit grata. Gaviſus ſum

conſtantem eſſe te in ſuſcepto ſemel mei amore: in quo debes credere mutuum facere me, neque in affectus ſinceritate tibi concedere. Gaviſus etiam ſum perditiſſimos mores nunc hominum excitaſſe ingenium tuum, ad illud ſcribendi genus capeſſendum, quod adverſus vitia jam olim fuit inventum. Non poteras illam eximiam tuam Latini ſermonis facultatem alia in re utilius, ut arbitror, occupare. Omnino enim ita hodie vivitur, ut, quemadmodum ipſe ſcribis, difficile ſit Satyram non ſcribere. Non dubito fore multos, qui iniquo animo ferant, Theologos eſſe à te perſtrictos. Atque ego redemtum magno vellem, minus juſtam occaſionem te habere ea ludendi, quae in illos ludis. nunc ipſi ſibi imputent: & ſi ſapiunt, admoniti proficiant in melius. de illis loquor, quibus tua deſcriptio congruit, quos nimio plures, eſſe quam par eſſet, boni non diffitebuntur. At non ſunt omnes, quales tu deſcripſiſti. habet adhuc Eccleſia Dei fideles aliquot paſtores, quos ſeparari à malis, niſi fallor, aequum erat. Sacra enim res eſt Theologia: quae ne ludibrio exponatur magna cautio eſt. Ante omnia cavendum ne, dum Theologos malos inſectamur, ipſi Theologiae, atque adeo ipſi Deo, ejus diſciplinae auctori, injuriam faciamus. Quod igitur ais pag. 91. divina oracula, ſi aperta forent, melius res mortalium habituras; etſi non dubito pio ſenſu eſſe à te ſcriptum: vereor tamen ne calumniae ſit obnoxium: quaſi cum Deo expoſtulares qui aenigmatis quibuſdam genus humanum luſerit. Scis quam ſit haec ſententia falſa, & quam periculoſa. Sunt ſane in S. S. multa obſcura: & inſaniunt qui negant: ſed neceſſaria ad ſalutem, non ſuapte natura ſunt obſcura, verum per hominum malitiam ſunt obſcurata. P. 98. doctrinam Chriſtianam videris coërcere intra fines τῦ πιθανῦ: quod te ſerio ſentire non arbitror. Vale, vir doctiſſime & me ama. Londini IX. Kal. Mar. CIↃIↃCXIII.

EPISTOLA LXXVII.

NICOLAUS ZEISTIUS

Petro Cunaeo.

Leidam.

DOctiſſime Cunaei. Ego tuas accepi literas, & alteras incluſas tradidi D. *Mylio*. Res tua bene ſucceſſit, in ordinem ordinariorum es accenſitus, ſed ea conditione, ne

ne ante tres menſes peractos ejus decreti teſtimonium edatur. De loco relictum eſt diſcretioni Profeſſorum : nec enim video quomodo, aut qua ratione Dominus ſit praeferendus, aut *Meurſio*, aut *Jacchaeo*, cum uterque habeat titulum, hic Juris, alter Medicinae. Praeterquam quod non conſultum fuiſſet, etiam tibi, illud jus decernendi DD. Profeſſoribus abſtuliſſe tui ob cauſſam, niſi voluiſſes iſtorum omnium invidiam in tuum incitare caput: D. *Baudius* cum per aliquot dies compotaſſet, incidit in furorem, imo rabiem, ita ut vinculis conſtrictus teneatur lecto, & vix adhuc teneretur, niſi duo tresve viri continuo ipſius furorem cohiberent : multa evomit in Deum, homines & diabolos horrenda. Triſte ſane, ut audio, ſpectaculum & horrendum Divini judicii exemplum. Commiſeratione dignus. D. O. M. debet illi dare ſalutaria, & nos omnes conſervare a tanta miſeria, & tibi etiam largiri ea, quae faciunt ad ſalutem & animae & corporis. Leydae x. Aug. CIƆIƆCXIII.

Nic. Zeyſtius Syndicus fuit Urbis Leidae, & Curatoribus Academiae ab actis. ejus filiam poſtea *Cunaeus* uxorem duxit. Amicitiam ipſi veterem cum *Grotio* interceſſiſſe teſtatur ipſe Epiſtol. DCCCCXXV. ad *Cunaeum*, & eandem ſectam ſecutum, ex multis *Grotii* ad *Cunaeum* epiſtolis, quae ſupra leguntur, facile quis colligat.

EPISTOLA LXXVIII.

PETRUS CUNAEUS

Petro Plancio

S. D.

Amſtelodamum.

VIr Reverende. Intellexi te nuper in concione quadam acriter & acerbe de nobis dixiſſe, cum eam reprehenderes orationem, qua *Vulcanium* laudavimus. Ea enim a nobis eſſe dicta ajebas, quae plane oſtenderent, me Chriſti & Eccleſiae eſſe hoſtem. Dein, qui finis eſt omnium ſermonum veſtrorum, ultricibus furiarum infernarum poenis dignum eſſe me judicaviſti. Quae ego vehementer miratus ſum. Sane meminiſſe poteras, crimino ſam eſſe in judicando celeritatem. Noviſti ingenium malignitatis: multa ſaepe traducuntur, quae optime dicta ſunt. Si me dicentem audiviſſes, aliter judicares. Nunc iis credidiſti, qui Acade-

miae

miae noſtrae fortaſſe infeſti ſunt, & per meum latus cunctos petunt collegas meos. Enimvero, quod in more hujus Academiae, inſtitutoque ſummorum virorum, qui hîc ſemper vixere, poſitum eſt, id ſecutus ſum, & literarum Profeſſori, & in homine literato ea laudavi, quae ad commendationem eruditionis maxime pertinere viſa ſunt: Caetera, quae praeclare de defunctis dici queunt, omiſi, quia cunctis piis communia ſunt. Ego *Douſam* & *Scaligerum* a collegis noſtris, viris clariſſimis, quondam publice laudatos memini, ſed plane eo pacto, uti nos *Vulcanio* parentavimus. Non deeſt nobis, non deeſt, optime Planci, materies eorum ſermonum, quos de Chriſto, Deo Dominoque noſtro, apud omnes bonos haberi par eſt. Sed, cur eos illo tempore omitteremus, cauſae quaedam ſingulares fuere, quas omnibus exponere haud neceſſe eſt, ſed eas amicis quibusdam noſtris, inſigni pietate viris, probavimus, quorum judicium ſemper hucusque magni feciſti. Audiat hoc licet ipſa invidia, & male ringat ſe; Vir bonus ſum; Chriſtianus ſum: integer vitae ſum, quantum per mortalitatem licet: in Academia autem ita vivo, ut non inutilis illi civis ſim. Non debebas in nos tam acerbe declamaviſſe, antequam de tota re plene cognoviſſes. Nos omnibus Collegis noſtris animum explevimus, &, ſi judicium eorum poſtulas, intelliges cum opus erit. Sed dicam tibi, quae res malorum iſtorum cauſa ſit. In Batavia his moribus nunc vivitur: Poſtquam diſſenſus aliquis in controverſiis religionis natus eſt, quicunque veſtris litibus ſe non miſcent, iis crimen atheiſmi objicitur a parte diſſentientium. Et profecto ignorare eas erudita inſcitia eſt. Liceat, obſecro, nobis ea praeterire, propter quae tu charitatem hominum, & Chriſtianum nomen conculcas. *Haec eſt ſumma legis & prophetarum, dilige Dominum Deum tuum, & proximum tuum, ſicut te ipſum*, Matth. XXII. 39. cui illud addit Euangelii ſanctio, *crede in Chriſtum, & ſervaberis.* Paucis iſtis praeceptis, fide, inquam, atque charitate, religio Chriſtiana continetur. Et quidem charitatem ipſa fide majorem ait Apoſtolus, 1 Cor. XIII. 13. Hoc ſi cogitares, Planci, melius de iis ſentires, qui nunquam te, nunquam bonum quenquam offendêre. Clamat illud Divus Paulus, 1 Cor. XIII. 7. *Charitas omnia occultat, omnia tolerat.* Et ſummus Magiſter noſter Meſſias Matth. VII. 1. *nolite judicare, ne judicemini.* Et rurſum Matth. XI. 29. *diſcite a me, quod mitis ſum, & humilis corde.* Enimve-

vero, eſt illud dirum fulmen tuum: ſtatim quem ferre in terris non potes, eum coelo exterminas. Non eſt tui beneficii aeterna beatitudo: *experiri potentiam tuam libet. fac aliquem regem, ſi potes coeli incolam facere. facilius eſt imperium dare, quum coelum*, Curtius VIII. 5. Dicendum aperte eſt, nimis ſevere quidam divinae ſapientiae conſulti uſurpant eam, quam ſibi a Chriſto datam ajunt, *poteſtatem Clavium* Matth. XVI. 19. cogitare illud debebant, quod in ſacro codice ſcriptum extat, Joan. XIV. 2. *In domo patris mei multae ſunt manſiones.* Nos coeli janitorem agnoſcimus, non *Plancium*, neque quenquam ejus ſimilem. Inſpector arbiterque animorum Deus eſt, & ubique atque ſemper novit ſuos. Juvenis ſum, & omnia bona in ſpe habeo. neſcio quid graviter erraverim. Sed tamen ſi qua in re erraviſſem, tuum erat nobis ignoſcere. Erroribus iraſci, quid aliud eſt, quam odium indicere toti mortalitati? *Peccavimus omnes*, ait Seneca, *alia gravia, alia leviora. Etiamſi quis tam bene obſirmavit animum, ut nihil eum obturbare amplius poſſit ac fallere, ad innocentiam tandem peccando pervenit.* Erant tibi verba & voces, quibus corrigere adoleſcentem ſenex potuiſſes. nunc, quod crudele eſt, acriter in nos detonuiſti. Non eſt exigua res, infamare hominem: omnia prius tentanda erant, antequam ultima experireris. Quae alia vita eſſet, ſi leones urſique regnarent? Homines ſumus, mi Planci, & quidem Chriſtiani. Fecit nos non natura modo, ſed religionis quoque communis lex, ſociabiles. Ne induamus animos ferarum. Quanquam, quid feras dico? Placidae illae inter ſe ſunt

Nec hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar, feris.

Soli homini hominem perdere libet; eum triumphum putamus pulcherrimum. Summa verborum meorum illuc denique redit: Niſi canos tuos & illam aetatem revererer, optime ſenex, poteram tibi multa regerere, quae fortaſſe tibi animum exulcerarent: Nunc id operam dabo, ut patientiam Chriſti imiter, ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει. Habes tu quoque (ne neſcius ſis) tua vitia. Quae profecto cunctis mortalibus exponere facile nobis eſſet, ſi nos calidus ſanguis, aut rerum inſcitia vexaret. Ajunt illi, qui Amſterodamo veniunt, eſſe te concionatorem ſatis ridiculum. Perſaepe fit illud, inquiunt, ut non ſatis bene meditatus adſcendas ſuggeſtum. Ibi, relicto ſaepe orationis argu-

men-

mento, licenter ad ea evagaris, qua minime faciunt ad rem propoſitam, modo de Indiis, & de novo orbe homo Geographus, neſcio quid facunde diſſeris; modo in Syderum deſcriptione haeres, & mathematicorum tuorum coelum perambulas. Tandem, ubi hoc quoque friget, ex ſtellarum orbibus ſubito ac derepente Leydam deſcendis, & ad clepſydram probra jactas in Profeſſorum ordinem; ac ne Curatoribus quidem viris nobiliſſimis ampliſſimiſque, parcere ſoles, quibus illuſtres Bataviae ordines, quorum pars etiam ipſi ſunt, Academiae tutelam mandavêre. Quae te intemperiae agitant, Planci? Ergone Academiam noſtram libertate immodica concionum tuarum ibis perditum? Sane hoc reſtat: in hoc elaborandum eſt. addat iſtud caeteris tuis laudibus poſteritas, & ſit haec, ſi ita vis

Titulo res digna ſepulchri.

Quid, quod ipſos illos Ordines, ſanctiſſimos Patriae Patres, quorum eſt apud nos ſummum imperium, atque eos denique viros, quorum illi conſilio, induſtriâ & ſtudio uſi, rempublicam hanc ex minima maximam, ex paupere ditiſſimam fecere, ſaepe tu ex obliquo pungis lancinaſque publica voce? An tu id nunc agis, novus tribunus plebis, ut multitudini diſpliceant ſummi illi proceres? *Ineſt ſane omni populo*, ait Plutarchus, *quiddam querulum*, *& malignum in imperantes.* Non opus erat, uti homines ſatis ſuâpte naturâ ad haec pronos, tuis querelis inflammares. Poſſem ego te jure affari iſtis verbis, quibus nurum ſuam, liberius quiddam queſtam, allocutus olim Romanus Princeps eſt, *ſi non dominaris, filiola, an ideo injuriam te accipere exiſtimas?* Sueton. Tiber. 53. cur enim hoc diſſimulem, videris mihi hîc quoddam regnum affectare. Ea autem res ne unquam tibi ſuccedat etiam atque etiam rogandus Deus eſt. Profecto actum eſſet de beatâ Bataviae quiete, ſi praeter te nemo idoneus eſſet regundae reip. noſtrae. Exſpecto quam mox etiam in ampliſſimum prudentiſſimumque Senatum Amſterodamenſem inveharis. Gliſcit enim in diem, augeturque animi tui morbus, &, ut has res video, brevi tempore in inſaniam ibit ultimam. Sed, quid ceſſo crimina confutare, quae nobis non ſemel objectaviſti coram totâ concione? Sane quod de Juliano nobis tam acerbe exprobas, id vero utrum inſcitiam potius, an malevolentiam appellem, incertus ſum. Plane exiſtimo te nunquam praefationem noſtram legiſſe. Non enim faceres nobis tantam injuriam. Nos ab omnibus bonis viris

ris petimus, ut verba noſtra inſpiciant. Non aliâ defenſione opus erit. Equidem ego, cum ex integro vertiſſem Juliani libellum, a clariſſimo Senatore *Carolo Cantoclaro* olim editum verſumque, in quo ille Imperator vitia Romanorum Principum, hominum gentilium, perſtrinxerat, quaedam eâ occaſione dixi de virtutibus ejus civilibus, ſed nempe eadem omnia, quae *Petrus Martinius Navarrus* & *Johannes Leunclavius*, viri eruditiſſimi, &, quod caput eſt rei, pii, ante me dixerunt, admodum prolixa uterque diſſertatione. Et quidem illi optimi viri, cum eum laudarent, non ita ſollicite, ut ego, caverunt, ne favere illius impietati viderentur. Verba noſtra ſunt pag. 10. *Eſt illud in omni negotio apprime pulchrum, res naturâ ſuâ diſſociatas ſecernere, atque ſingula, uti per ſe ſunt, intueri.* Res diſſociatae ſunt virtutes civiles, quae in Ethnicis quoque ſunt poſitae, & pietas Chriſtiana, quae in illos non cadit. Dein pag. 8. *non committam equidem, uti, quod omnes merito reprehenſione dignum cenſent, id ego probare ullo pacto videar. Scio enim, & doleo medius fidius, fuiſſe illum religionis noſtrae, cui ſemel ſeſe addixerat, deſertorem atque hoſtem. Turpe profecto facinus, & quod furiarum ultricibus poenis multandum haud negamus.* Sequitur alia cautio pag. 9. *Verum ea res, etſi illum e ſanctiſſima Chriſtianorum gente expungit, interque profanos locat paganoſque, tamen nunquam efficiet, ut propterea maximis accenſeri heroibus non debeat, qui ubivis terrarum, & quolibet in populo, ſacra noſtra ceremoniaſque contempſère.* Ecce dico eum non cum Chriſtianis, non cum Conſtantino (quod falſo nobis objicis) ſed cum caeteris Ethnicis comparari poſſe, qui religionis noſtrae hoſtes fuère. Et rurſum evidenter id dico pag. 23. *Id enim modo agimus nunc, ut Julianum cum caeteris principibus, Graecis Romaniſque, hominibus paganis, componamus.* In toto Juliani libello nihil eſt, quod ad Chriſtianos pertineat. Uno tamen loco, cum tria quatuorve verba ad opprobrium religionis noſtrae facere videbantur, ſtatim in margine pag. 108. illud annotavi, *verba abominandae impietatis plena, & pagano digna homine.* Et tu igitur dices, me favere impietati? Quis te genius non bene advocatus in illam maledicentiam impulit? Jam vero in ipſa praefatione pio argumento docemus, cur in Ethnicis quoque & Eccleſiae hoſtibus magnas elucere virtutes voluerit immortalis Deus. pag. 10. *Enimvero ille univerſi conditor & rector Deus, cum ex tan-*

ta mortalium, qui ubique per orbem tunc erant, multitudine, perpauci quidam ſalutarem illam lucem, quae a Chriſti vultu nobis affulget, ſequerentur, tamen multa extare voluit illuſtria documenta, ex quibus diſceremus ineſſe in caeteris quoque divinitatis ſemina, atque omni loco naſci virtutem. Deinde, ſunt illa, quae a me in virtutibus ejus numerantur, *contemptio imperii*, ad quod invitus ac dolens acceſſit, *fortitudo bellica*, quâ Germanos Perſasque invictos antea devicit. *Eruditio*, quae rara in bellatore, *Caſtitas* & *Continentia*, paucorum principum virtus, tum *moderatio animi*, qua Antiochenſibus, a quibus laceſſitus erat, pepercit, cum perdere eos poterat. Quo, cujus edicto non licebit nobis haec laudare? Trajanus Diocletianusque Chriſtianorum hoſtes maximi & acerrimi perſecutores fuêre. Et tamen optimos Principes & magnis praeditos virtutibus fuiſſe, nemo, niſi inſanus, negat. Nero pecus fuit ex omnibus flagitiis & criminibus conflatum. Sed interim optimus ille Trajanus, virtutes, quae in adoleſcentiâ ejus & inter imperii initia eluxerunt, ita admiratus eſt, ut dicere ſolitus ſit, *omnes bonos principes multum abeſſe a primo Neronis quinquennio.* Enimvero, hoc candor jubet, uti etiam eorum bona amemus, quorum vitia odimus. *Virtutis ea vis eſt*, inquit ille, *ut etiam in hoſte poſita nos delectet*; Praeclare Divus Hieronymus, ſanctiſſima anima; quem ego virum unum pluris facio. quam trecentos Plancios: *Nec bonis adverſariorum*, inquit, *ſi honeſtum quid habuerint, detrahendum eſt, nec amicorum laudanda ſunt vitia. unumquodque, non perſonarum, ſed rerum pondere judicandum eſt.* Et alibi: *Contentioſum inter ſe funem ducunt amatores quorundam obtrectatoresque, ita ut nihil medium appetant, nec ſervent modum, ſed totum hominem aut probent aut improbent: ego libentius piam ruſticitatem, quam doctam blaſphemiam eligam.* Atque hoc eſt illud, quod in Graecis Patribus culpavi. Cum enim Conſtantinus, princeps alioqui nunquam ſatis laudandus, vitia quaedam habuerit, quae boni principis famam deturparent, illi ſtudio caeci haec cernere non potuerunt. At vehementiam Graecorum patrum damno. Et quodnam illud, obſecro, flagitium eſt? proprium hoc illius gentis vitium fuit. Illud diſſimulare non debebat Plancius, quod eoſdem illos patres ornavi debitâ laude. pag. 4. *Ego plurimis maximiſque argumentis eſſe illos excellenti & Divinâ virtute viros judico.* Ad ſummam non fers, quod dixi pag. 4. *Pietati defuiſſe interdum candorem,*

cujus

cujus titulis atque imperio Chriſtiana ſtat religio. Sane hoc veriſſimum eſt. Si quis tamen adhuc dubitet, an iſto vitio laborent quidam, qui ſacra tractant, non longe eundum eſt. Fidejuſſores ejus rei erunt *Petrus Plancius*, & praeclarus gener ejus *Matthaeus Sladus*, qui nuper in *Eraſmum* atque *Grotium*, inuſitatâ eruditione, atque animi praeſtantiâ viros, atque in alios multos, quorum celebre eſt in Bataviâ nomen, mira animi petulantiâ incurſavit, homo ex infima conditione evectus ad ludimagiſtri dignitatem: quo ille honore adeo nunc ſuperbit, ut inter diſcipulorum gemitus, inter virgas

Ferulasque triſtes, ſceptra paedagogorum,

nihil aliud, niſi convicia eructet in illos viros, quorum deſperat ſimilitudinem. Inter eos, qui ab illo traducuntur, *Petrus Cunaeus*, primae juventae ſpatia ingreſſus, quod valde honorificum ducit,

Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.

Neque ejus rei ullam cauſam excogitare poteſt, niſi quod ante annos tres, *Eraſmi* atque aliorum exemplo, ſine omni malitiâ per ludum jocumque tetigit cum ineptias caeterorum eruditorum, tum, qui etiam inter eruditos numerandi ſunt, Theologorum, non omnium ſane, ſed paucorum, qui *Plancii* & *Sladi* ſunt ſimiles. Hoc enim expreſſis verbis cautum eſt in praefatione, *Paucos quoſdam, eoſque degeneres & pravos, leviter notaſſe me fateor, nec muto factum. de caeteris, ſanctiſſimis integerrimiſque viris, quorum eſt innumerabilis multitudo, omnia magna ſentio, iiſque uti decus ſuum atque honos conſtet, e republicâ eſſe humani generis & credidi ego ſemper, & in poſterum non obſcuris monumentis teſtabor.* Et paulo poſt, ne quis ipſam Theologiam, quae ſacra & divina res eſt, contemni putet, monetur lector, *ad mores tantum haec & ad vitam quorundam pertinere.* Enimvero hoc ſollicite ſecutus ſum, quod recte poëta ait:

Hunc ſervare modum noſtri didicere libelli,
Parcere perſonis, dicere ae vitiis.

Sed, ut video, jam illud ipſum non licebit nobis, niſi hac rogatione, *velitis, jubeatis, Petre Planci, & Matthaee Slade*, ut iſte, neſcio quis, *Cunaeus* poſſit perſonas praeterire, publica autem temporum vitia notare: minus enim peccabit ille, quam vos, qui, ut perſonarum immerentium nomen & famam laedatis, falſiſſima crimina ementimini, ne ſaltem ſine aliquâ cauſâ illis maledicere videamini. Hoc diſcrimen inter me atque vos eſt. Ego fictas perſonas introduxi, ut nota mortalium vitia tangerem. Vos, ut no-

tas omnibus perſonas traduceretis, ficta commenti eſtis crimina. Profecto, ſi nondum publicatus eſſet noſter ille liber, jam tempus erat uti ederetur. *Plancius* enim *Sladusque* diligenter quotidie operam dant, uti vera ſint, quae illic nos diximus, nihil illis felicius procedit, quam maledicere, aeſtuare, nihil penſi neque moderati habere: Sed modum excedit epiſtola. Nos te, Planci, immoderatum concionatorem, & licentiâ temporum atque animi morbo intemperanter bacchantem, ſecuro animo feremus. Tu, ſi quid in nobis deſideras, ſcripto prius, & clam mone. Quod ſi iſtâ viâ nihil profeceris, tum vero ad ea mihi procede, quae hactenus uſurpaviſti nimis feſtinanter. Illud ſcire debes, ſi publicâ voce per ora plebis Amſterodamenſis me traduxiſti, eſſe nobis eam dicendi ſcribendique vim, qua infamiam, atque odium nominis tui, non tunicato popello, ſed cunctis eruditis, qui vivunt, viventque ſeculis ſequentibus, tradamus. quod ne fiat, optime Planci, in tua manu poſitum eſt. Mihi enim tribus verbis ſatisfacere poteris. Non ſum injuriarum memor. Et ſane, ſi eſſem, Chriſti Divina praecepta ſpernerem, quae tu felicius in ſuggeſtu interpretaris, quam in vitâ ſequeris. Satis nobis erit, ſi fore intellexerimus, ut in poſterum lenior aequiorque in nos ſis. Vides, quanto melius tecum agam, quam tu mecum. Tu palam, coram concione in nos invectus es. Ego clam, & per literas conviciis tuis reſpondeo, & dedecora tua tego. Ita potius Chriſtianos decet. Quod ſi pergis maledicere, equidem ego, quoniam in luce hominum vivo, & perſonam ſuſtineo publicam, decus nominis mei, atque Academiae totius famam, adverſus calumnias veſtras tuebor. Tu concionator es, Planci; at mihi mandata publica hîc profeſſio eſt. Quare, qui in munere honeſtiſſimo, non oculis modo, ſed etiam animis inſervimus civium, non poterimus injurias tuas inultas ſinere. Neque ad eam rem magno molimine opus erit. Etenim, ſi perſiſtis, nihil aliud, niſi hanc epiſtolam, quam alioqui premere ſtatui, publicabo, uti ab omnibus legatur de plano. Aliud reſponſum non feres. Idque jam praedico tibi. contentioſis ſcriptis certare quotidie, neque patientiae meae, neque ocii eſt. melioribus curis tempus, rem precioſiſſimam, conſumere poſſumus. *Bacchae bacchanti ſi velis adverſarier*, noſti caetera. non ego falſis opprobriis tuis amplius movebor. *Regium eſt, audire mala, cum facias bene.* Hoc mihi cum principibus rerumque Dominis com-

commune eſt. magni animi proprium eſt, placidum tranquillumque eſſe, & injurias atque offenſiones ex alto deſpicere. Generoſa fera latratus minorum canum ſecura exaudit. Magnus vir, *Deſiderius Eraſmus*, cum multas apologias ſcriberet, plures excitavit crabrones. ut enim quisque impudentior indoctiorque erat, ita confidentius illi impietatem & religionis contemtum objecit. Neque meminerat ille, quod de laeſâ Majeſtate, diro tyrannorum ſaeculo, ait Tacitus, *hoc eſſe unicum crimen eorum, qui crimine vacant.* Tandem, cum nihil proficeret, plorare hoſtes ſuos, & frui ſuo ingenio juſſit. Profecto, nihil rectius facere potuit: *Calumnia, ſi iraſcare, agnita videtur, ſpreta exoleſcit.* Non aliâ re haec, niſi ipſo contemptu, vindicanda ſunt. Finem ſcribendi mihi faciet praeclara Auguſti vox ad Tiberium. *Aetati tuae, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari quenquam eſſe, qui de nobis male loquatur. Satis eſt enim, ſi hoc habemus, ne quis nobis male facere poſſit.* Vale. Lugd. Bat. XIIII. Nov. CIↃ.IↃ.CXIIII.

EPISTOLA LXXIX.
ALBERTUS CRUSIUS
Petro Cunaeo
S. P.

Leidam.

QUoties tuorum monitorum memini! Vir Clariſſime, cum autor mihi eſſes, ne ex amoeniſſimis veſtris deliciis ad agreſtia illa loca me conferrem! Certe vehementer me poenituiſſet iſtius facti, niſi *Gryphius* noſter diligentiſſimus eſſet. Abdicavit à Secretariatu, ut liber eſſet, & totus tam praxi in aula Meckelburgenſi, quam Theoriae, id eſt collegio noſtro vacaret. Vere hoc affirmare poſſum, ita me Deus amet. uti ego nunquam antea crediditſem tantum energiae vivam docentis vocem habere. Jam mediocriter diligens majores progreſſus in jure facio uno die, quam antea diligentiſſimus vix quatuor diebus poteram. Ille enim novo quodam, & quod omnes fateri coguntur, expeditiſſimo docendi genere utitur. Nec ſatis mirari queo vigorem ingenii in hoc viro, &, quod caput rei eſt, divinum plane judicium. Habet prae manibus nonnulla in integras Pandectas, quae, cum lucem aſpexerint, illum nulli

Juriſconſultorum ſui ſeculi ſecundum, inter Batavos certe primum eſſe probabunt. ipſi adverſarii & hoſtes, quos bene multos habet, virtutem ejus & ſubtilitatem in cauſis decidendis etiam inviti coguntur admirari: & quem antea ſibi adverſiſſimum experti ſunt, ejus patrocinium in aliis cauſis ultro jam implorant. Veniunt hîc Roſtochium, neſcio quibus ex oris, qui ejus conſilio utuntur, tam late ſeſe diffundit illius fama per omnem fere Germaniam. Explicat nobis denis Pandectas quotidie duabus horis, interdum quatuor, ſi quando contingit, ut ei à Principiſſa Meckelburgenſi, apud quam eſt in flagrantiſſima gratia, abeſſe non liceat. Neſcio quidnam illud ſit, quod me, cum ex illius lectionibus recedo, ſemper alacriorem ad ſtudium juris facit, cum antea Lugduni, quoties ex *Pynakeri* forte vel *Schwaneburgii* lectionibus domum redirem, plerumque quaſi taedio & laſſitudine aliqua defatigatus eſſe mihi viderer. Hoc certe mecum conſtitui, ab illius latere, ad quamcunque conditionem etiam vocabitur (diu enim in hoc ſtatu manſurus non eſt) ante non diſcedere, quam ab illo totas Pandectas audiverim; tam feliciter mihi ceſſit mutatio in Juridica facultate, in bonis literis vero & humanitatis ſtudio non aequè feliciter. nam cum veſtras delicias reſpicio, plurima profecto quaecunque hîc, extra domum *Gryphii*, video, quaecunque audio, fere nauſeam mihi movent: & ſi nonnulla mihi diſplicere animadvertant, ilico me Germanum exuiſſe, totum Batavum factum eſſe per contemptum mihi objiciunt. Caeterum, vir Clariſſime, vehementer à te peto, mittas mihi orationem tuam in obitum *Vulcanii* P. M. ſi forte typis excuſa eſt; libentiſſime etiam viderem libros de Republ. Judaeorum, niſi moleſtum tibi eſſet illos addere: per te enim habeam neceſſe eſt: nam hîc nullo pretio comparari poſſunt. Si jam habitum *Joſinae* noſtrae cerneres, effuſiſſime rideres. Multum mutata eſt ab illa, quae quondam fuit. jam illi eſt color verus, corpus ſolidum & ſucci plenum, ut ille ait. Magnas tibi gratias habeo pro Carmine, abunde enim quod volui conſecutus ſum. Vale. Roſtoch. 8. Martii Ann. 1615.

EPISTOLA LXXX.

SIXTINUS AMAMA
Petro Cunaeo J. U. D.
S. D. P.

Leidam.

CLariſſime vir. Menſes duo ſunt, ex quo ex Anglia redux ſum. Leidam tranſibam, ſed quod te compellare prae temporis anguſtiâ non licuerit animitus doleo. Avebam enim tecum de noſtro *Druſio* ſermones miſcere, & expiſcari tuum de nuperis iſtis turbis judicium. Sed dabitur aliquando occaſio, & quidem, niſi aliquid interveniat, hoc anno coram de iſtis conferendi. Me quod attinet & res meas, ſcito me poſt multas difficultates & moleſtias, quas movit mihi magnus ille *Druſii* amicus, tandem invito ipſo ad profeſſionem Ebraicam promotum. In quâ varia mihi accidunt, & quidem talia, ut de profeſſione abjicienda ſaepe cogitem. Apud Ethnicos de vivis abſentibusque male loqui inter indecora habitum fuit, at hodie apud Chriſtianos, imò Theologos, uſitatum piis defunctis inſultare. Ecce enim heri in conventu Academico cum ſatis in me evomuiſſet, tandem *Druſium* petebat, eum vocans indoctiſſimum Aſinum, merum Aſiniſtam, qui tantum apices aliquot Grammaticos callebat, eosque adhuc male, peſtem Academiae, authoremque omnium turbarum, quae in ea unquam, atheum (horreſco referens) nullius religionis, & ſi alicujus, eum Arrianis & Samoſatenianis annumerandum. Quid dicam, vir clariſſime, an haec toleranda ſunt? Et quid agas, ſi litem ipſi moveas, amicos & mancipia adeo ſibi devincta habet, ut oporteat

Α'πρηκτον πόλεμον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι.

Gener *Druſii* litem ei procul dubio moturus eſt, & quidem ad Curiae provincialis tribunal eum tracturus. Videbimus quid hîc facturi ſint Domini. Si haec & ſimilia impunè laturus, cujus fama vel ſanctiſſimi erit apud eum in tuto? Quod ad ea attinet quae mihi fiunt, licet alacritas omnis fere expectoretur, tamen perfero & obduro, utque culicem moleſte circumſtrepentem levi manu & ſine ira diſpellimus, ita ego ea. Dabit Deus his quoque finem. Sed fere omiſeram quod maxime volebam. Mittuntur undequaque Carmina & Epicedia in obitum magni iſtius viri,

 quae

quae praelo dabit una cum vita D. *Druſii* Gener ejus. Et quia ego non ignoro quanti tu iſtum virum feceris, & quo loco tu fueris apud eum, fiducia mihi fuit te nomine Generi rogare tibique ſupplicare, placeat vel diſtichon ad nos transmittere, quo memoriam iſtius Heroïs ſanctam apud te eſſe oſtendas. Expectamus idem a D. *Heinſio* & *Erpenio*, quin ſi aliqua mihi intercesſiſſet familiaritas cum *Meurſio*, & apud eum frontem ponerem. Si tu quid potes apud eum, vir clariſſime, ages ſcio apud eum & alios, ne & illi officio ſuo deſint, officio inquam quod debetur tanto in Rep. literariâ viro. Vale, vir Cl. & me inter eos pone, qui tibi ſunt addictiſſimi tuaque divinitus conceſſa dona admirantur, Franek. Nonis Junii MDCXVI.

Salutat te officioſe noſter Polonus Theologus, quem tuâ Satyrâ in admirationem tui traxiſti.

Memorabilis haec epiſtola, qua indicari calumnias *Sibrandi Lubberti* puto. cum eo enim ultimo vitae anno *Druſius* lites acerrimas habuit, ut apparet ex ejus Epiſtola ad Fratres Belgas, quae eſt inter Eccleſiaſticas praeſiantium virorum CCLIII. Gener ille Druſii eſt *Abel Cyriander*, id eſt, puto, *Heerman*, qui vitam ſoceri dedit, ex qua eam repetiit *Baylius* in Lexico Hiſt. Critic. & obſervationibus quibusdam ornavit. De *Lubberto* haec aliquis capi negaret, quia *Sixtinus Amama* eum mortuum laudavit, in quem hîc tam graviter invehitur. Sed quis neſcit ſaepe in has laudationes coactos ſaepe & invitos deſcendere collegas, & inter Theologos etiam paſſim reperiri, qui ſcenae ſervientes, collegii ex legibus mortuis laeti juſta faciunt, quos viventes omnibus modis vexare non deſtiterunt! ut exemplis, quae vidimus nos & majores, oſtendere liceret. Polonus vero ille eſt, puto *Johannes Makowsky*, ſive *Macovius*, qui cum *Lubberto* etiam rixas, parum Theologis dignas, exercere coactus fuit. Vide inter alios *Baylium* in *Macovio*, qui & de *Amama* plurima collegit.

EPISTOLA LXXXI.

PETRUS CUNAEUS

Sixtino Ammamae

S. D.

Franequeram.

VIR Clariſſime. De *Druſii* obitu cum intellexiſſem, dolebam ſane ademptum nobis primarium ſeculi virum

rum, cujus in me fuerat inſignis & perpetua benevolentia. Sed magis me publica Hebraiſmi cauſa angebat, cum pertimeſcerem, ne Friſii veſtri in cooptando praeclari hominis ſucceſſore, dignitatem proderent honeſtiſſimae profeſſionis. meminiſſe enim potes temporum, mi Sixtine, quibus natus es, cum virtutis praemia ambitio poſſidet, & rectis vividisque ingeniis merces doctrinae tantùm ex conſcientia eſt. Quo magis gratulor patriae tuae, quod tu demum placuiſti electuſque es, qui *Druſii* locum teneres. Nunquam melius judicio ſuo uſa Friſia eſt, idque ſerio triumphabit olim. Valde enim fallor, aut tu unus es, cui poſitum in manu eſt, ut juventus diſcat, quid illud ſit γνησίως ἑβραΐζειν. neſcio quid tibi in mentem venerit, cum epicédium a nobis poſtulares! Jam enim decimus annus eſt, ex quo carmen non ſcripſimus, fecit tamen amor tui, & reverentia *Druſii*, ne hoc fruſtra peteres. Quare habes quod voluiſti, ſed nihil amplius. Diſtichum enim modo mittimus, & hoc ipſum inelegans atque inconcinnum. Libet enim fateri. Poëta non ſum, nec, ut eſſem, mea referre putavi. Polonum veſtrum theologum, ſumma eruditione virum eſſe ſcivi. ut neſciebam humaniſſimum candidiſſimumque eſſe, antequam nuper quorundam ſermonibus mire praedicari hanc ejus laudem audivi. Gratiſſimum eſt, quod ejus verbis me ſalutas. Tu illi ſignifica, eſſe me ejus obſervantiſſimum. Quod apud omnes, cum ita res fert, teſtatum facio. Satyram noſtram cur aeſtimet cauſam non video, per ludum enim jocumque ſcripta eſt. neque aliter accipi volumus. Illud magis gaudebo, ſi libri noſtri de rebus Judaicis illi tibique, & paucis Hebraïſmi peritis placebunt, quos propedem publicabo. Vale, Amiciſſime Sixtine, & collegam illum tuum Polonum, virum Clariſſimum, viciſſim ſaluta. Lugd. Bat. 26. Julii 1616.

Oſſa tibi exiguus tumulus tegit, inclyte Druſi.
Non aliud, credo, Friſia majus habet.

Viro incomparabili,
Praeceptori meo, ſcripſi.

EPISTOLA LXXXII.
WILLEBRORDUS SNELLIUS
Petro Cunaeo.

NEſcio quid illis in mentem venerit, qui anni Jubilei ſedem luxare, & in quinquageſimum transferre conati ſunt: niſi forte loquendi formula vulgo recepta, quo quinquageſimus quiſque annus Jubileo aſſignatur. Id vero non aliter intelligendum, quam octavum quemque diem eſſe Dominicum; aut quintum quemque annum Olympiadicum. Neque vero apertius quidquam aut clarius dici potuit, quam Jubilei anni periodus à Moſe Levitici 25. eſt definita. *Praeterea*, inquit, *numerabis tibi ſeptem ſeptimanas annorum ſeptem vicibus, ita, ut tèmpus ſeptem ſeptimanarum annorum ſint tibi quadraginta novem anni: tunc facies ut ubique clangor tubae perſonet menſe ſeptimo, die decimo ejus menſis, die expiationum facitote ut perſonet tuba in tota terra veſtra. Ut ſanctificetis annum quinquageſimum, & proclametis libertatem in ipſa terra omnibus habitatoribus ejus: Jubilei annus ille eſto vobis ut revertamini quiſque ad poſſeſſionem ſuam, & familiam ſuam. Jubileus hic eſt, annus quinquageſimus eſto vobis.* Non potuit planius explicare, anno uno tantum Jubileum eſſe celebrandum. Eundem tamen eſſe à primo anno κληρουχίας quadrageſimum nonum ad umbilicum jam dimidiatum mortuum. atque ideo ſi ab antecedente Jubileo eundem deducas incluſive, plane quinquageſimum. Huic affine illud eſt Deut. 16. de feſto primitiarum. *Septem ſeptimanas numrato tibi, ex quo coeperit falx mitti in ſegetem, incipito numerare ſeptem ſeptimanas, tum celebrabis feſtum ſeptem ſeptimanarum Jehovae Deo tuo.* Hoc igitur cum ſit dies undequinquageſimus, eundem quoque πεντηκοστὴν dici nemo ignorat. atque ita annum Jubileum quinquageſimum vocari in controverſiam vocari non debuit. Unus, opinor, ſacrae paginae locus omnes, quotquot diſſentiunt, in aliquam ſententiam pellexit 1 Regum Cap. 19. Ubi Amos Propheta Chiſkiam Regem ſolatur, & Divinitus auxilium ei contra Senacheribum & ſuppetias pollicetur. *Illud autem*, inquit, *tibi hujus rei ſignum, comedere vos uno anno ſponte natum, & altero anno ſponte renatum: anno demum tertio ſerite, & metite, ac plantate vineas & comedite fructum earum.* Eum annum au-

autem non Jubileum, ſed vix ſabbaticum demonſtrabunt; & quamvis illud verum eſſet, non tamen ideo hoc ſingulare miraculum, quo Dominus ſui Numinis praeſentiam Jndaeis teſtatam voluit, ad alios annos pertinere evinci aut demonſtrari unquam poſſit. non magis inquam, quam illam ſolaris umbrae retrogradationem eidem Chiskiae in certiſſimum ſanitatis recuperandaé τεκμήριον exhibitam, ad alios quoque dies pertinet. Atque hinc tamen, ſi recte conficio, Rabinis quibusdam prima errandi occaſio objecta, ut non quinquageſimum tantum, ſed & undequinquageſimum Deo ſacros ἀνηρότους καὶ ἀγεωργήτους Judaeis abſque ullo terrae cultu transmiſſos crediderint. Cum praeter undequinquageſimum Jubileus nullus ſit, quod diviſio ſeptenaria, & ſepties ſeptana, annorum feriatorum charactères immutabiles conſtanter arguunt. Sed aliunde quoque errorem iſtum extitiſſe haud levibus argumentis adducor ut credam. idque veriſſimum exiſtimo. Anni initium apud Judaeos geminum in uſu fuiſſe tam verum eſt, quam nemo hactenus dubitavit. Nam illud anni caput, quod circa ſedem aequinoctii Autumnalis affixerant, Deus migratis jam Aegypti finibus in aeternam liberatae & conſervatae Iſraëliticae gentis memoriam in vernum aequinoctium retraxit Exodi 12. *Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni.* eundem 24. Exodi vocat *menſem verni temporis.* Hinc igitur menſium anni initium & numerus: atque a menſe abhinc ſeptimo, circa autumnale aequinoctium contractuum emptionis ac venditionis rationes ſubducebant. Quamobrem illud nobis conſiderandum, ab utro horum terminorum anni ſacri initium deduxerint. Id vero nominatim ab autumno fieri Deus juſſit, ut poſt fruges demeſſas, fructus etiam arborum vitiumque vergente aetate collectos, quando arationis & ſationis τῆς γεωργίας tempora ſuccedunt, terrae vacatio quoque incipiat. Inde inquam anni feriati initium, unde agricolationis: ab autumno, inquam; a menſe ſeptimo, quemadmodum nominatim Deus imperat. Atqui annus undequinquageſimus, ſi a verno aequinoctio eum ſubducas, jam dimidius eſt exactus cum Jubileus indicitur. Is igitur cum a medio quadrageſimo nono incipiat, in medium quinquageſimum deſinet. Atque ita cum unicus ſit annus, in duos tamen incurret. & hoc modo utrumque Jubileum fuiſſe veriſſime dicetur, qui tamen a prima agricolatione, aut proximo Jubileo exacto eſſet duntaxat quadrageſimus nonus. Et quidem quinqua-

 geſi-

geſimus vulgo potius, quam undequinquageſimus dictus, quod illa anni Jubilei pars, illud inquam ſemeſtre, quo omnes terrae fructus omnibus eſſent communes, in quinquageſimnm incurreret ab aequinoctio verno ad autumnale ejuſdem anni. Idque Moſem adeo ſollicite inculcantem animadverto, ut potius quinquageſimum, quam undequinquageſimum Jubilei titulo inſigniverit, quamvis in quadrageſimo nono ejus initium ſtatuat. *Ut*, inquit, *ſanctificetis annum quinquageſimum*, & *proclametis libertatem in ipſa*, &c. His rationibus vir clariſſime, puto me ſatisfeciſſe utrique parti. qui etſi diverſiſſima tradant, tamen magnis autoribus ſuam ſententiam tutari poſſunt. neque ulla alia ratione conciliari, ſalvo cuique ſuo honore & judicio, poſſe videntur. Neque vero noſtra ſententia ideo erit repudianda, quia nupera, quia nunc demum nata. quin potius quam vim ipſa argumenta habeant expendendum & judicandum cenſeo; caeterum totius hujus rei te, Collega honorande, arbitrum & judicem capio. cui ſi hac in re ſatisfecero, omnium puncta tuliſſe exiſtimabo. Vale, vir conſultiſſime, & nos ut amas, ama. 17. Decemb.

EPISTOLA LXXXIII.
PETRUS CUNAEUS
Willebrordo Snellio
S. D.

VIr clariſſime, Perſpexi omnes rationes, quibus adductus es, ut mediam quandam ſententiam eligeres in hac maximorum autorum diſſenſione ſuper anno Jubilaeo. Reſpondiſſem tibi multo ante, niſi impeditus fuiſſem, per moleſtiſſimas quaſdam occupationes, quae otium pene omne meum ſcrupulatim inter ſe dividunt. Paucis autem expediam quid judicii mei ſit. Opinioni tuae libenter accederem niſi certum mihi illud eſſet, ſemper Judaeos in ſeptenis quibusque ſabbaticis annis numerandis eandem rationem ſecutos eſſe, quam Deus immortalis in Jubilaeorum numeratione obſervari juſſit in Levitici capite viceſimo & quinto. omnino enim omnes tam ſepteni ſabbatici, quam Jubilaei, numerati ſunt a menſe ſeptimo Tiſri, hoc eſt ab initio anni veteris & naturalis: quare ſi quadrageſimus & nonus annus ſabbaticus initium habuit a menſe Tiſri, non potuit Jubilaeus, qui pariter a Tiſri initium habet, a menſe ſeptimo quadrageſimi noni ſabbatici inchoari,

&

& excurrere in partem quinquageſimi ſequentis. Quare non poſſum illud amplecti, qui tamen non ſoleo pertinaciter placita mea defendere aut aliis repugnare, qui argumentis firmioribus nituntur. Cujus rei documentum tibi hoc erit, quod plane jam mutavi ſententiam meam de Jubilaeo, omninoque exiſtimo Maimoniden & omnes Talmudicos in magno errore verſatos eſſe, ex quo tempore animum meum adverti ad eas rationes, quas illuſtris *Scaliger* ex Flavio Joſepho adfert, in libro 5. de emendat. temp. pag. 352. tum eas quoque, quibus *Sethus Calviſius* uſus eſt adverſus *Creutzhemium* & *Bucolcerum*, in iſagoge chronologica pag. 81. & pag. 82. Non eſt mos meus ea inficias ire, quae manifeſtiſſima ſunt. Tibi, vir clariſſime, qui conſilio & opera nos juviſti, gratias ago, & Calviſium tuum tibi remitto. Si quid ſit, in quo fide, cura, diligentia mea tibi opus ſit, officium meum nuſquam tibi deerit. Vale. Lugd. Bat. 23. Decemb. 1616.

Hanc Epiſtolam, neſcio unde nactus, edidit, *Th. Crenius* T. v. Animad. p. 158.

EPISTOLA LXXXIV.

WILLEBRORDUS SNELLIUS

Petro Cunaeo.

ZEtema iſtud minus tritum aut vulgo ideo notum eſſe poſſit, quia τῶν ἀρουρῶν vox minus à poſterioribus, aut certe Graecis gaeodaetis, ſit uſurpata. ejus tamen vim explicat Herodotus in Εὐτέρπῃ, ubi de agris loquitur, ſacerdotibus in vacationem conceſſis. ἡ δὲ ἄρουρα ἑκατὸν πήχεων ἐστὶν Αἰγυπτίων πάντῃ. Ide vero de arura, ſi area intelligatur, accipiendum eſt. cum vero linea exporrecta intelligitur 100 cubiti in longum exporrecti, qui 150 pedibus aequivalent, accipiendi ſunt. ut actus quadratus 120 pedes longus, & totidem latus à Varrone Plinioque & aliis intelligitur. at actus tantum linea in longitudinem exporrecta 120 pedibus definitur. Quare in τριακοσίας μυριάδας ἀρουρῶν exporrigi non aliter potuit verti, quam in tricies arurarum; extendi, aut plena locutione in tricies centena millia arurarum; qui ſunt pedes quatermillies quingenties centena millia, ſive Romano more M. paſs. nongenties. aut Graeco more, facta ad ſtadia reductione, ſeptingenta viginti ſtadiorum millia. quo in calculo pedem Romanum aſſumpſi; quod utrum menti autoris conſentaneum ſit deſpiciendum reor. ſed quoties in hac rei a vete-

veteribus commiſſum? ut plane non putem id quidquam penſi habendum.

EPISTOLA LXXXV.

WILLEBRORDUS SNELLIUS

Petro Cunaeo.

VIr Conſultiſſime, Collega honorande. Dum Zetema illud tuum forte fortuna iterum in manus ſumo, multum in eo peccatum nullo labore animadverti, id namque calculus ipſe clara voce clamitabat. ſi enim εἰς τριακοσίας μυριάδας ἀρουρῶν Judaeam extendas, immanis erit ea ſumma, quaeque ipſum terrarum orbem longe excedat. ἄρουρα enim, ut jam ante ex Herodoto oſtendi, ſunt 100 cubiti exporrecti, ſi quando ad ſolam longitudinem eam menſuram referas. atque ideo in Suida emendandum, ἄρουρα πόδας ἔχει ρ. non autem ν. tantum, quemadmodum in omnibus exemplaribus male legitur, quae lectio doctiſſimo Budaeo & Agricolae quoque impoſuit. iſti enim ἄρουραν 50 pedibus, vel 10 paſſibus definiunt, Suidae pravam lectionem ſecuti. quod ſi has 3000000 aruras ad pedes revocare libeat, efficientur quater millies quingenties centena millia. qui per 625 diviſi (tot enim pedes Romani ſtadium conſtituunt) dabunt ſtadia 720000: cum autem *Ptolemaeus* uni gradui terreno attribuat ſtadia 500, ea ſumma per 500 diviſa dabit gradus 1440 pro longitudine Judaeae: unde efficitur Judaeam quadruplo majorem eſſe totius orbis ambitu, cum iſte 360 gradibus duntaxat definiatur. quo quid abſurdius excogitari poſſit non equidem ſcio. Atque ideo initio iſtud mendacium ab Hecataeo confictum arbitrabar, ut & illa, quae de Hyperboraeis eum commentatum *Plinius* ſcribit. Movebar tamen ipſius Joſephi autoritate, qui adverſus Appionem Grammaticum, admodum acrem adverſarium, tam ſplendidum mendacium non fuerit adeo temere prolaturus. viſum eſt igitur ipſiſſimum Joſephi locum adire eumque penitius introſpicere. Ubi aliter longe, neque quidquam quod merito reprehendi poſſit ſcriptum deprehendo. τριακοσίας γὰρ (φησὶ) μυριάδας ἀρουρῶν, σχεδὸν τῆς ἀρίστης καὶ παμφορωτάτης χώρας νέμονται. ἡ γὰρ Ἰουδαία τοσαύτη πλῆθός ἐστιν. Ecce tantum terrae eos habitare dicit; non autem Judaeam tanto ſpatio exporrigi. Quamobrem alia haec eſt quaeſtio, & longe aliter ſolvenda. Ait enim Judaeam tot ἀρούρας continere, quem-

quemadmodum & nos in ſermone vernaculo loquimur, *die boeve is hondert gemett groot.* Hîc itaque ἄρουρα idem eſt, quod Herodoto videlicet 22500 quadrati pedes: quamobrem 3000000 ἄρουραι continent jugera Romana vicies ter centena quadraginta tria millia ſeptingenta quinquaginta 2343750. & ſi pedem iſtum alicui noſtrorum, qui per univerſam Hollandiam & Zelandiam valde varii ſunt, aequipares, erit amplitudo totius Judaeae propriè dictae jugerum Hollandicorum, (*mergen Lants* vulgo appellant) centum triginta millium ducentorum & octo, in cujus meditullio quaſi erat Hieroſolyma. Haec ſunt, quae ſuper iſtum Joſephi locum tecum D. Collega clariſſime communicanda habui. quod ſi tuo judicio & petitioni ſatisfecero, ſolide gaudebo; ſin minus meliora libentiſſime expecto. Vale.

EPISTOLA LXXXVI.

PETRUS CUNAEUS

D. Johanni Buxtorfio

S. D.

Baſileam.

VIr Clariſſime. Jam pridem in pectore noſtro amorem quendam tui & venerationem excitavit *Joſephus Scaliger*, vir incomparabilis, qui de eruditione tua bene & praeclare judicavit, quoties adeſſe illi, & ſermonem una cum illo ſerere ſolebam. Ego etſi in hac Leidenſi Academia profeſſione juris fungor, tamen incredibili quodam ſtudio teneor Hebraiſmi, atque omnino eas literas aeſtimo coloque. Quare, cum hos de rep. Hebraeornm libros nunc in lucem edo, quos inter otii noſtri oblectamenta ſcripſi, omnino recte, atque ordine facturus videbar, ſi eos ad te mitterem, quem ego Hebraiſmi principem eſſe exiſtimo. Peto a te, ut munuſculum noſtrum aequi bonique facias, judiciumque tuum de his libris ad me perſcribas; atque ut omnino ſic exiſtimes eſſe me tui obſervantiſſimum. Lugd. Bat. 4. April. 1657.

EPISTOLA LXXXVII.

J. BUXTORFIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

PRo libro tuo, vir clariſſime, de repub. Hebraeorum, quas potui, per epiſtolam gratias egi. Nunc re animum gratum declaro, & Commentarium Maſorethicum meum offero, & ſymbolum amicitiae eſſe cupio. Maſorethici operis tu honeſte in libro tuo recordaris, & recte. Nunc plenius ejus hiſtoria ex meo Commentario omnibus ſtudioſis innoteſcet. Movit me ad id non parum judiciorum diverſitas inter doctos. Vah! quam peſſime de illis Pontificii ſcribunt. Forte quosdam in quibusdam ſuis opinionibus dubios hoc meo Commentario reddidero. Propono: capiat qui vult. Nauſeabundus abſtineat. Nulli me litigioſe oppono, nec opponam. Magnus in omnibus hiſtoriae antiquae eſt defectus, unde fruamur appoſitis, donec meliora doctiores afferant. Quaeſtio de Punctorum origine lata eſt. Ad Maſorethas tamen communiter noſtri referunt. Eatenus tantum eam attingo, conſiderandi cauſâ, non deciſive quicquam ſtatuendi. Meminiſti breviter in tuo libro pag. 177. *Abrahamum Zachuth* ad tempora Eſrae originem ſive praeſentiam referre. Ubi illa in iſto libro extent, non licuit videre: velim, niſi grave tibi, mihi aliquando locum notes. Quae folio praecedenti ex eo citas, inveni in Zachuto fol. 132. ac iſta de punctis non puto illic extare. Amplioris iſta quaeſtio eſt conſiderationis, & tranquillioris otii. Caremus enim hîc certis hiſtoriis. Caeterum magnam veſtrae Academiae * reformationem factam audio. Priſtinum florem & nitorem ei animitus opto, & ante omnia Eccleſiis parem. Vale, vir clariſſime, & me porrò mutuâ amicitiâ complectere. Baſileae 3. April. Anno 1620.

* Vide ad Epiſt. XXVII.

EPI-

EPISTOLA LXXXVIII.
PETRUS CUNAEUS
D. Joanni Buxtorfio
S. D.

CUm noviſſime literis tuis reſponderem, Vir clariſſime, adſcripſi locum ex libro יוחסין Rabbi *Abrahami Zacbuth*, in quo ſunt verba ea, quae in commentariis meis de Rep. Hebraeorum pag. 177. citaveram, quae tibi non licuiſſe videre ſcripſeras, & ut notarem petebas. Significabam autem extare eum locum pag. 54. in eodem libro ejuſdem Rabbini. Simul & gratias egi pro commentario tuo Maſorethico, quem mihi miſeras, ut is ſymbolum amicitiae inter nos foret: & judicium meum addidi de his, quae pro punctorum antiquitate attuliſti. Eae literae an tibi redditae ſint, equidem haud ſcio. Certe nihil reſponſi ex eo tempore accepi. Nunc alia ſcribendi cauſa oborta eſt, quae penitus differri non poteſt. Obiit diem ſuum cum magno omnium luctu D. *Thomas Erpenius*, quem Hebraeae linguae ordinarium Profeſſorem habuit Academia noſtra. Ad hujus munus in ea profeſſione obeundum cum ſit aliquis propediem vocandus, nobiliſſimi Academiae Curatores ſuper hac re ſententiam clariſſimae facultatis Theologicae, aliorumque profeſſorum, qui eas literas intelligunt, exquiſiverunt. Eſt autem hoc ejuſdem facultatis & noſtrum omnium judicium, eam profeſſionem tibi deferri oportere. Quod omnino apud Curatores efficiemus, futurumque eſt, ut rite ac per legitimos tramites ad nos voceris, ſi, antequam de ea re amplius cum iisdem Curatoribus agamus, certò ex te intellexerimus, quid animi futurum tibi in hoc negotio ſit. Quare ex collegarum voluntate conditionem ejus muneris tibi ſignificabo. Stipendium Profeſſoribus linguarum adſignatum eſt ſexcentorum florenorum Carolinorum: interdum etiam ſeptingentorum. An ad octingentos rem perduci Curatores velint, haud adfirmaverim. Si tamen aliqua via id fieri poſſit, quod plane ſperamus, opera tibi noſtra ad id conficiendum non deerit. Pro impenſis viae & migrationis numerari ducenti floreni ſolent. Porrò centum floreni Carolini apud nos efficiunt quadraginta Daleros Imperiales. Locus tibi in Senatu Academico atque inter ordinarios Profeſſores foret,

ex

ex quibus Rector Magnificus, Adſeſſoresque, & facultatum Decani ſuffragiis collegarum quotannis eliguntur. Ad haec, ex Doctorum, & Licentiatorum, Magiſtrorumque promotionibus emolumenta ſunt, quae communiter ad omnes perveniunt. Et pro togarum ac cuniculorum jure *quadraginta floreni* annui ſolvuntur, praeter id, quod ex ſtudioſorum inſcriptione ad ſingulos rednndat, praeterque honoraria, quae Rector atque Adſeſſores pro ſua quiſque functione ex aerario Curatorum percipiunt. A vectigalibus, quae cereviſiae, vino & ſali impoſita ſunt, immunes ſumus. Si quis ptivatis diſcipulorum collegiis, eorumque inſtitutioni dare operam velit, quod in Academia noſtra & arbitrarium eſt, & fieri crebrò ſolet, non eſt ea res ſine honeſto lucro. Illud tibi fidenter ſpondere audeo, te vehementer gratum acceptumque omnibus collegis fore, qui tua in rempublicam literariam merita, virtutemque tuam & incomparabilem doctrinam ita, ut debent, aeſtimabunt ac colent. Equidem ego judicio tuo prudentiaeque, quantum voles, tribuo: Sed nullam divinare cauſam poſſum, quae te dubium faciat, quid in hac re ſtatuere debeas. Neque excuſare te aetas poteſt, cum illud nobis pro certo ſit relatum, non eſſe te annis 53 aut 54 majorem. Meminiſſe autem debes eam eſſe Academiam noſtram, quam excellentium virorum, qui in ea ſunt, fama ac celebritas nobilitat, inter quos ſpectari neque injucundum tibi, neque inglorium erit. Nos ad haec reſponſum tuum exſpectabimus: quod ut ad nos transmittas ea via, qua perferri & celeriter & tuto poterit, etiam atque etiam te rogamus. Ubi ſententiam tuam ſcripſeris, caetera, quae apud Curatores peragenda reſtant, promptiſſimè expedientur. Vale, vir clariſſime, & me porrò ama tui ſtudioſiſſimum amantiſſimumque. Leidae Batavorum 4. Junii. Anno 1625. ſtylo novo.

EPI-

EPISTOLA LXXXIX.

JOHANNES BUXTORFIUS

D. Petro Cunaeo

S. P. D.

Leidam.

EPiſtolam tuam, vir clariſſ. & amice honorande, 4. Junii ſcriptam, accepi, quae duplicis fuit argumenti. Ad unum nunc reſpondebo, ad alterum Deo volente, poſt octiduum. Quod epiſtola tua praecedens manus meas effugerit, doleo: gratiſſimum enim mihi fuiſſet, judicium tuum cognoſcere, etſi in genere illud ex libro tuo ſatis pateat. Quod locum in R. *Abraham Zachut*, fol. 54. notatum attinet, is non adducitur ab authore, ad probandum quicquam de punctis vel accentibus, ſed ad Targumi originem & authores inveſtigandos. Iſtam enim materiam ibi tantummodo & prolixe pertractat ex Talmudicis ſub hiſtoria Rabban *Gamalielis* ſenis, quod is jam Targum Jobi legatur habuiſſe, & per conſequens jam tum Hagiographorum Targum extiterit, quod tamen longe poſt R. *Joſeph luſcus* (*Saggi Nehor* per antiphraſin dictus) putatur vulgo ſcripſiſſe. Facit tamen etiam locus iſte ex Nedarim adductus, ad probandum Accentus tempore Eſrae fuiſſe. quod Eſra cum ſuis collegis textum Hebraeum juxta accentuum rationem legerint. Hoc ſine adducitur ab *Elia* in praefatione tertia, & a me in Tiberiade fol. 80. & deinceps. R. *Abraham* autem adducit eum ad probandam originem Targum, de quo ibi agere propoſitum habet. Haec materia non epiſtolam, ſed prolixum Tractatum poſtulat, unde eam hic abrumpo, & alias prolixius ex Hebraeorum ſententia & authoritate eam, ſi Deo placuerit, pertractabo.

Quod vero ego poſt Tiberiadem meam, nihil amplius evulgaverim, fecit quorumdam inſolentia, qui manum meam depulerunt. Non tamen ſemper otium egi. Lexicon meum quievit aliquandiu in litera ר, & inde novas Concordantias Hebraicas feci, & perduxi ad literam פ, perfecturus eas, ut ſpero, ad autumnum. Diſponuntur in formam Lexici, ut quaelibet vox, qua forma, & quoties in tota Scriptura extet, primo intuitu vel levi momento inveniatur. Sic erit quoque Maſora perfecta & illuſtris, ejus Maſorae, quae hodie extat, innumerabiles defectus &

errores detegens. Multos locos, qui hactenus in Concordantiis defuerunt, addo. Confuſionem corrigo in radicibus veluti הגה ponitur in יגה: Quieſcentia & Defectiva ſecundâ radicali plerumque ſunt confuſa, veluti ירד & דיר, item נדר & דור. Sic סלה & סלל confuſa, נבל & מול, ירק & ריק, & aliae radices plurimae, quae in Concordantiis ſunt confuſae. Haec omnia diſtinxi & quodque ſuo loco diſpono. Plurimos etiam errores typographicos invenio, & leves & graves, cenſura dignos. Magni uſus & momenti hic liber apud poſteritatem erit, ſi modo lucem videre poſſit. Ingentes labores in Lexico & hoc libro pertuli, ſine ulla compenſatione, & ſine ullo praemio, utinam non etiam ſine aeſtimatione. Bono publico ſtudui & ſtudeo, cum jactura rei familiaris. Creſcunt liberi, creſcunt ſumptus, augetur caritas in omnibus, praetium ſuis mercibus, operis & laboribus quisque pro lubitu imponit: ſolis doctis virtutem & eruditionem ſuam teruncio cariorem aeſtimare, denegatum. Ita nunc ſunt tempora, ita mores. Sed illuceſcet propediem Phoebus benignior. Filius meus viginti quinque annorum, adhuc juvenis & ſine officio ordinario, praeter ſtudium Theologicum, incepit novam verſionem libri More Nevochim, & majorem partem abſolvit. In hujus verſionis dexteritate me ſuperat. Hujus libri & ejus authoris laudem, vel ſolum *Scaligeri* p. m. judicium ita celebrat, ut majori non ſit opus. Si abſolvere poſſit, quod ſperat, inſigne erit induſtriae ſpecimen. Praecipue iſte liber Theologiae inſervit, & ex parte, Philoſophiae, quatenus ea Theologiae famulatur. Extat ejus verſio Latina antiqua, a Judaeo ſemilatino perfecta. Iſte Judaeus loca difficiliora plerumque praeteriit, alia ſummo pede leviter tranſiliit, obſcura longe obſcurius Latine expreſſit, multa pravè reddidit, & falſa pro veris ſubſtituit. Longe alia haec verſio filii mei erit, ſatis perſpicuè & Latinè propoſita, cum difficiliorum idiotiſmorum & vocum ſive Theologicarum ſive Philoſophicarum explicatione. Ejusdem Lexicon Chaldaicum & Syriacum puto vos in Belgio vidiſſe. Ex quo apparet, ipſum in Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis & Rabbinicis non degenerem eſſe a patre filium. Haec ſcribo, non ut laudem, ſed ut affectum utriusque noſtrum erga rem literariam promovendam cognoſcatis, quem ſi non mundus ingratus, Deus certe ſua benedictione aliquando coronabit. Tempore Synodi ipſe veſtram urbem & Academiam vidit, & multis innotuit, ac-

pes

per Angliam & Galliam deinde cum noſtris Theologis domum rediit. Poſtea etiam per annum Genevae ſubſtitit, linguae Gallicae addiſcendae cauſâ, & tam Profeſſores quoſdam, quam Studioſos, in linguis dictis, privatim cum fructu & laude informavit. Theologiae tamen ipſum praecipuè deſtinavi; & eccleſiae, in qua etiam ſe concionando exercet, etſi nondum in officio ordinario, quod primum ipſi dabitur, ubi vacaverit.

Caeterum ad alteram quaeſtionem reſpondebo proximè. Academiae noſtrae & Magiſtratui politico ſum obligatus. Sine ipſorum ſcitu eam obligationem reſcindere, me non decuit. Unde cum petitionem veſtram Senatui Academico proponerem, negotium ad Magiſtratum politicum delatum eſt, a quo reſponſum exſpecto. Quod cum accepero, prima occaſione vobis per literas ſignificabo. Vale, vir clariſſime, & quem coepiſti amare, amare pergito, qui tui ſum amantiſſimus. D. *Heinſium* amicum per literas veterem officioſe & amanter ſaluto. Perſcripſi Baſileae 24. Jun. Anno 1625.

In calculo aetatis meae a vobis erratum: ingreſſus enim ſum annum ſexageſimum primum, ſed firmis adhuc ex Dei gratia animi corporiſque viribus.

EPISTOLA XC.

JOH. BUXTORFIUS

D. Petro Cunaeo

S. P. D.

Leidam.

REctè mihi ultimas tuas eſſe traditas, 24. Junii literis per nobiliſſ. D. *Brederodium* transmiſſis, ſignificavi. Acciderat biduo ante, ut Senatus Academicus una cum Dd. Scholarchis frequentes, de Profeſſore Medico in locum *Baubini* p. m. eligendo conſultarent. Tunc & tuae epiſtolae argumentum deliberandum ipſis propoſui. Non enim ſine offenſione publica, potui in ea cauſa vel aliquid denegare vel promittere. Senatus Academicus concluſit, me ſine publico ſtudiorum damno, & ſummo Magiſtratus deſpectu dimitti non poſſe, adeoque neceſſarium maxime fore, ut Dd. Scholarchae hanc rem ad Senatum politicum deferant. Proponebam ipſis ſex potiſſimum cauſas ſuas orias, inter quas maxime eas urgebam, quae commo-

dum literarum publicum ſpectabant, quod per me per hanc vocationem inſigniter promoveri poſſet. His poſt deliberationem opponebant incommoda, & gravamina, mihi neutiquam contemnenda. Haec erant praecipua, Aetas gravior, uxoris & liberorum ex ſolo natali in terram peregrinam tranſlatio, aëris, victus & temperamenti naturalis mutatio, itineris, variis hoſtibus undique circumſepti, pericula certiſſima & inevitabilia, bellorum continuorum in omni vitae ſtatu & modo incommoda, & difficultates inde graviſſimae, ejusque generis alia, mihi non praecipitanter, ſed maturè conſideranda. De his tamen ſe nihil ſine ſummi Magiſtratus authoritate vel conſilio mihi praeſcribere, vel determinare velle. Aliquot diebus poſt, hoc negotium Ampliſſimo Magiſtratui propoſitum, a quo concluſum, me non eſſe dimittendum. Sic Dominis Scholarchis negotium commiſſum, ut de mediis extraordinariis cogitarent, quibus me & honeſte retinerent, & arctius devincirent. Hîc incidit annua & ſolennis Magiſtratus mutatio, officiorum publicorum curatio & renovatio, & alia negotia politica, ut reſponſum mihi hactenus datum non ſit, etſi hoc urſerim, ne diutius vos ſuſpenſos detinerem. Si media haec talia fuerint, quae honeſte repudiare non poſſim, colligere tibi promptum eſt, quantum de me tibi polliceri poſſis. Si praeter votum alia, jus mihi integrum reſervo, ea rejicere & vocationem aliam ſequi. Interea te hoc latere nolim, D. *Scaligerum* b. m. non longe ante finem vitae ſuae de me aſciſcendo ſerio laboraſſe & cogitaſſe, & me de octingentis veſtratibus florenis impetrandis, certum reddidiſſe. Niſi valde fallor, D. *Heinſius* ejus adhuc conſcius erit. Liberale hoc per ſe: at, dixerunt alii mei amici, ſi aedium conductio ex eo fiat, quae ibi ingentis pretii, & reliquae annonae fiat comparatio, noſtra horum locorum ſtipendia Belgicis non ſunt inferiora. Sed de hoc nihil quicquam nunc agere mihi propoſitum eſt. Exſpecto enim adhuc reſponſum ampliſſimi Magiſtratus noſtri, quod in ſingulos dies mihi promittitur. Hoc per proximam poſtam habebis. Haec praemittere volui, ut omni negligentiae ſuſpicione apud te carerem. Tu verò, ut coepiſti, me amare pergito, qui tui ſemper ero amantiſſimus. Salutat te officioſe filius meus, qui etiam literis ſe cupit in tuam amicitiam inſinuare. Videbis quandoque ejus verſionem Latinam Commentariorum Hebraeorum in Prophetas minores, ibi, ubi Mercerus ſubſtitit. Vale. Perſcriptum Baſileae 8. Jul. Anno 1625.

EPI-

EPISTOLA XCI.
PETRUS CUNAEUS
Joanni Buxtorfio
S. D.

Baſileam.

VIR Clariſſime. Binas a te literas accepi, quas 24. Junii & 8. Julii ad me dediſti. Priores neque ſpem dabant nobis aliquam, te potiundi, neque omnem auferebant. Poſteriores ſatis ſignificant quae ſit ſententia ampliſſimi magiſtratus Baſileenſis, cum is hoc negotii dedit Scholarchis veſtris, ut te auctioribus ſtipendiis illic retinerent, atque ut honori Academiae conſulerent. Id an recte, atque ita, ut cupis, facturi ſint, proximis literis te indicaturum promittis. Sed non eſt magni ingenii, cogitatione aliquanto ante divinare quid in hac re facturum ſit,

Omnia praecepi atque animo mecum ante peregi.

Nunquam enim iſtud dedecus in ſe admittent proceres veſtri, ut munificentia aut liberalitate erga te nobis inferiores fuiſſe videantur. Quare exſpectabimus decretorum reſponſum. Ac magnopere cupimus aliquid praeter opinionem illic occurrere, quod nos voti noſtri compotes faciat. De octingentis florenis noſtratibus, etſi dubitanter ſcripſeram, tamen jam certo affirmabo. Ad haec, cum foederati provinciarum noſtrarum ordines ex ſententia Dordracenae Synodi verſionem ſacri textus Hebraici in Belgicum ſermonem demandaverint ſeptem primariis Eccleſiae Theologis, qui poſt paucos menſes ejus rei cauſa ſedes ſuas publicis eorundem Ordinum impenſis in hac Academia ponent, ſignificavit mihi vir Cl. *Feſtus Hommius*, S. Theol. Doctor, ac collegii ordinum Bataviae apud nos praefectus, qui hoc interpretationis munus una cum aliis ſuſcepit, optimam hanc fore occaſionem, per quam rebus tuis commodisque accedere inſigne augmentum poſſit. Omnino enim fore, ut de locis difficilioribus ſaepiſſime te conſulant, tuaque opera utantur; neque id negotium paucorum menſium, ſed plurium annorum futurum. Confidit autem ſe facile effecturum ut foederati Ordines tuum in hac cauſa ſtudium induſtriamque quotannis liberaliter ac honorifice agnoſcant. Concordantias tuas ut abſolvas, edasque etiam atque etiam

 te

te rogo. Summa eſt apud me iſtius operis exſpectatio. Filium tuum, veram vivamque paternae virtutis imaginem, amo aeſtimoque. Quam ſint praeclara omnia & luculenta futura, quae in More Nevochim, atque in vertendis Hebraeorum commentariis in Prophetas minores praeſtabit; non poſſunt ii dubitare, qui Lexicon ejus Chaldaicum & Syriacum viderunt. Peto, ut eum meis verbis ſalutes, eique adfirmes nihil mihi gratius jucundiusque fore, quam ſi ita, ut ſcribis, literis me ſuis ſubinde compellaverit. Ego nunquam committam, ut in ullo officii genere ceſſaviſſe videar. Vale, vir clariſſime, atque ita tibi perſuade, neminem me uno eſſe tui obſervantiorem. Lugduni Batavorum 15. Auguſti 1625. ſtylo novo.

EPISTOLA XCII.

JOHANNES BUXTORFIUS

Petro Cunaeo

S. P. D.

Leidam.

VIR Clariſſime. Duabus meis praecedentibus literis, tandem hanc tertiam addo & negotium concludo. Unanimiter Senatui noſtro Academico placuit, me nullo modo ab Academia noſtra eſſe dimittendum, quod conſilium Ampliſſimo magiſtratui per Dominos Scholarchas poſtea fuit propoſitum. Idem à Magiſtratu concluſum, & Dominis Scholarchis commiſſum, ut de honeſto auctario ſtipendii mei cogitent, & de cauſis ſimul, quibus mihi manſionem perſuadeant. Factum id, etſi voto meo tardius: quo factum, ut & veſtro voto tardius, ſine dubio, reſpondeam. Auctarium triplex gratioſè mihi additum, in pecunia, in frumento, in vino. Cauſae ſimiliter graves propoſitae, & publicae & privatae; quae tandem, deliberatione ſeria praemiſſa, manſionem perſuaſerunt. Hinc eſt, ut veſtro voto conſilioque hoc tempore annuere & reſpondere non poſſim. Inclinavi, fateor, non leviter, vobis annuere, ſed Magiſtratus clementia, uxoris & liberorum, pericula metuentium, ardens inſtantia, me vicerunt, & diſceſſum diſſuaſerunt. Eſt mihi ſocrus octogeſimo anno proxima, unde & haereditas & lis exſpectatur, quae vel ſola me abſentem revocaſſet. Nam duae filiae meae maritatae, his diſcernendis non ſufficerent. Quinque praeterea, duo filii & tres filiae, conſilio & ope parentis carere

re non potuiſſent. Sed nil juvat de his & aliis cauſis hîc diſputare. Quod ſatisfacere veſtrae de me exſpectationi non poſſim, rogo etiam atque etiam, ne aegre feratis. De veſtro interea perhonorifico de me judicio, veſtraque erga me benevolentia, gratias immortales ago, agamque dum vivam, & me veſtro favori, amori & honori ſtudioſè commendo, qui veſtri ſemper ſtudioſiſſimus & amantiſſimus ero. Vale, vir Clariſſime. Scripſi Baſileae 22. Jul. Anno 1625.

EPISTOLA XCIII.
JOHANNES BUXTORFIUS

Petro Cunaeo
S. P. D.

Leidam.

Epiſtolam tuam, amice honorande, 15. Aug. ſcriptam, 14. Sept. ſtylo veteri, accepi, ex qua intellexi, te tertiam meam eo tempore nondum accepiſſe. Redditam eam paulo poſt eſſe, non dubito, cum priores duae adeo tuto iverint. Ex ea intellexiſti, quomodo Magiſtratus noſter ampliſſimus triplici auctario, pecuniae, vini & frumenti, me de novo obligaverit, cum ampliſſima gratiae ſuae erga me & liberos meos oblatione, repetitis graviſſimis cauſis, quae manſionem perſuaſerunt. Res haec non leviter certè toto hoc tempore me perturbavit. Obtulit Deus occaſionem, qua longè fructuoſius mea opera uti voluit, quam in hoc loco ea impenditur. Obſtitit Academia, obſtitit Magiſtratus argumentis, auctoritate & pondere graviſſimis. his paſſum ſum me vinci, nec tamen ſine curis. Quid enim jucundius, quam multis cum gratia & applauſu prodeſſe? Hinc meorum ſtudiorum fructus, extra Baſileam extendere in publicum conatus ſum, & in eo totus adhuc ſum. Operi veſtro Biblico, uberrimam Dei gratiam & benedictionem toto animo precor. Non dubito, quin ad pium hoc Opus viri undequaque doctiſſimi, & in linguis ſacris potentes, & maxime induſtrii ſint delecti. Me illis longe inferiorem judico. Si quid tamen poſſim, & ſi meum judicium, utut tenue, quandoque tentare libuerit, volupe erit ad tam divinum opus aliquid in medium conferre. In Concordantiis meis procedo in litera ש. Quando & ubi imprimi aliquando poſſint, nondum ſcio, ſed reliqua omnia ſubſidia deſunt. Induſtriam editio requiret

non levem. Spero tamen Deum ſubminiſtraturum de editione conſilium & media. Mars nunc Artem ſupprimit. Typographi languefcunt, de immenſis ſumptibus & librorum immota mole anxie queruli. Sed orietur aliquando poſt haec nubila Phoebus laetior. Filio meo ſuaſi, ut epiſtolio aliquo in tuam quoque familiaritatem ſe inſinuaret. Id hîc adjunctum, quod amica manu capies, & favebis. Deum toto pectore rogo, ut Academiam veſtram florentiſſimam conſervet, & Rempublicam in pace. Vale, amice honorande. Baſileae 15. Sept. An. 1625. ſtylo veteri.

EPISTOLA XCIV.

PETRUS CUNAEUS

Joanni Buxtorfio

S. D.

Baſileam.

NOviſſimis meis literis, quas 16. Octobris ſuperiore anno ad te dedi, dolorem non meum duntaxat, ſed omnium noſtrûm tibi ſignificavi, quem cepimus, cum nullis te conditionibus illinc dimitti poſſe ſcriberes. Simul & ad literas filii tui, juvenis lectiſſimi & incomparabilis, reſpondi, quae incredibilem in modum gratae mihi jucundaeque fuerant. Ex eo tempore literas tuas videre mihi non contigit, ego interim, id quod res ipſa atque ratio ſuadebat, non ceſſavi etiam atque etiam eniti, ut, cum te ſibi vindicare Academia noſtra non poſſet, ſaltem filius tuus in eam publice invitaretur, qui paternis, quas repraeſentat, virtutibus, deſiderium tui nobis leniret. Qua de re licet nihil adhuc conſtitutum a Curatoribus noſtris ſit, propterea quod indigenae quidam impenſe muneris hujus honorem ambiunt, tamen neque deſperare poſſum, &, ubi omnia ſedulo gnaviterque fecero, ſi quidvis tentanti nihil procedat, voluntatis optimae, atque in Academiam propenſiſſimae conſcientia perfruar. Quod Concordantiae tuae Publicae hactenus non prodierint, penuria eorum hominum puto fieri, qui illos excudunt. Si tam grande & pulchrum doctrinae tuae vigilantiaeque depoſitum committere noſtratibus velis, eſt in promptu penes nos typographia Erpeniana, characteribus Hebraeis exquiſitiſſimis inſtructa; neque deerunt, opinor, qui ferre ſumtus tantae rei pares velint. Vale, Vir clariſſime, atque a me omnia officia exſpecta,

ſpecta, quae proficiſci poterunt ab homine tui ſtudioſiſſimo amantiſſimoque. Lugd. Bat. 26. Septemb. 1626.

EPISTOLA XCV.
JOH. BUXTORFIUS
Petro Cunaeo, *V. C.*
S. P. D.

Leidam.

QUod hactenus in ſcribendo pigrior fui, fecerunt cauſae privatae & publicae. Nil attinet, illis exponendis te fatigare. Ultimae tuae mihi ſunt redditae, amici tui erga me & filium meum animi teſtes. Sic hae meae viciſſim erga te inviolatae amicitiae ſint teſtimonium. Pro honeſto tuo de filio meo judicio, inſignique benevolentia, gratias ago immortales. Eſt ille à Deo Patre coeleſti donatus facultate docendi, tam in Eccleſia, quàm in Scholis, quod non omnibus eadem menſura datum. Dei providentiae committo, an in utroque aut alterutro, ipſius opera uti velit. Docet in Eccleſia, ſed nondum in ſtato officio, quod intra duos menſes expectat. Vacant in urbe duo, & tertium in agone extremo eſt. Ad unum ſine dubio promovebitur. Quod ſi ſpes fuerit inanis, ad alia vel meliora vel majora ipſum Deus reſervat. Ejus ſola providentia nitimur, cui etiam in ſolidum haec committimus. Meo monito Verſionem More in manus reſumpſit, & librum primum munde deſcripſit, ſtylo plano, dilucido & terſo. Ad hanc ſemidocti Judaei verſio tenebrae ſunt. Sed nunc ita ſunt tempora, ut pene ludibrium mundi ſint, qui his literis operam dant. Tamen cum Deus ingenia excitat & conſervat, qui linguarum donum in Eccleſia propagare ſtudio habeant, potius Dei conſilium, quam mundi judicium nobis ſequendum eſt. Ego Concordantias abſolvi, & iis cum ſummo oblectamento utor. De imprimendis nondum ad manus media ſunt. Noſtra typographia Hebraica ſopita eſt, quam tamen reſuſcitare typographus ad aeſtatem cogitat. Sed ſine meo conſilio & opera nihil poteſt. Indies ipſe de meis laboribus & ſudoribus lucrum habet, & ego indies ſummam ab ipſo ingratitudinem malitioſam experior. Sic vix ſpes eſt, ut hîc excudantur. Neceſſe erit, ut iiſdem typis excudantur, quibus hîc & Venetiis olim excuſae ſunt. Iis Erpeniani non reſpondent, quantum hactenus vidi. Puto *Plantinum* habuiſſe eundem,

ſed neſcio an ad *Raphelengii* manus iſti devenerint. Typographiae Venetae idem fatum accidit, quod multis aliis. Flos priſtinus emarcuit, & ſine ſucco jacet. In manibus mercatorum quorundam Chriſtianorum eſt, qui inter album & nigrum non norunt diſcernere, ut celebris Rabbi Venetus ad me perſcripſit. Inquiro in Auctorem Concordantiarum, & ſcio quid *Sixtus Senenſis* notaverit, ſed non ſatisfacit. Simul etiam quis Biblicum textum Latinum in capita diſtinxerit. *Balaeus* id Anglo cuidam ſuo adſcribit, alii aliis. De his vellem in Praefatione monere, cujus capita mihi jam ſunt deſignata. Sed erit tempus, ut alias de his latius conferamus. Interea, ut coepiſti, amare nos perge, qui tui ſumus ſtudioſiſſimi & amantiſſimi. Vale, optime, & D. *Altingium*, à quo filius meus accepit ante biduum literas, per occaſionem amanter a me ſaluta. Baſileae 8. Martii 1627.

Tuus.

EPISTOLA XCVI.
JOHANNES BUXTORFIUS FIL.
Petro Cunaeo.

Leidam.

S. in Chriſto Pl. Si temere ago, Vir Cl. quod ignotus ego literis meis te compellare, & amicitiae tuae fores pulſare non erubeſco, ignoſces. Novi equidem probe meo me metiri modulo, neque ejus me eſſe conditionis, ut in tantorum virorum familiaritatem ingerere me facile debeam. Ut vero tuam amicitiam quaererem cauſſas habui, quae me ſpero ab omni vel temeritatis & audaciae, vel ambitionis ſuſpicione liberabunt. Non hic adducam communitatem quaſi ſtudiorum, cujus quoque nomine familiaritatem tuam quaerere me potuiſſe mihi videor. Nam quia apertae Muſarum debent eſſe januae, neminique diſcendi cupido clauſae, quidni doctiſſimarum Muſarum tuarum Hebraicarum fores mihi quoque pulſare liceret? Cum publico ſcripto, doctiſſimo, inquam, illo tuo de Repub. Hebraeorum Commentario, eas univerſo mundo aperueris, nemini ſeorſim eas te occluſurum arbitror. Non etiam prolixe commemorabo ſummam tuam erga parentem meum benevolentiam, ab aliquot nunc annis privatis litteris luculenter comprobatam, inprimis vero ultimis tuis quibus nomine Academiae veſtrae, Vocationem ad Pro-

Profeſſionem Leydenſem ipſi ſignificaſti. Sanè ea tanta eſt, ut illius nomine me quoque ſummopere tibi obligatum ſentiam, atque merito omnia mea ſtudia & officia offerre debeam. Utinam vero, utinam Pater meus vobis hîc ſatisfacere vel potuiſſet, vel adhuc poſſet! Sane non minus ſuo & meo, quam veſtro id fieret cum voto. Quid vero eum moretur, & impediat, ex ipſius credo litteris intellexiſtis. Potiſſima & praecipua, quae nunc me ad ſcribendum impulit, cauſſa, eſt poſtrema tua ad Parentem meum Epiſtola, quâ Tuum in me quoque affectum tam abunde teſtatus, ut jam nihil amplius dubitârim omnem metum excutere & ſeponere, atque, incomptis licet, meis litteris amicitiam ac favorem tuum mihi conciliare. Quare ut id dextre interpreteris, atque me non in Amicorum, ſed diſcipulorum & clientum numerum recipias & cooptes, etiam atque etiam rogo. Nullam ego unquam praetermittam occaſionem omni officiorum genere devotum meum erga Te animum declarandi. Ex litteris Parentis mei credo intellexiſſe Te, quae ſtudiorum meorum ſit ratio. Lexicon Chald. a me editum tanti non eſt, ut laudem aliquam mereatur. Studiorum meorum eſt tyrocinium, atque in privatum tantum meum uſum a me collectum erat. *More Nevochim Majemonidis* ante biennium, conſilio Parentis mei, in Latinum ſermonem transferre incepi. Sed itinere Gallicano opus illud ad tempus interruptum fuit. Magna tamen ex parte abſolutum. Liber ſane eſt reconditae ſapientiae & doctrinae, unde multa in ſcholas noſtras Theologicas transferre poſſumus. Inprimis vero perplacent illae explicationes vocabulorum homonymorum in iis, quae per ἀνθρωποπαθίαν de Deo dicuntur, ut primo libro. In ſecundo libro prae caeteris digna lectu ſunt illa capita, in quibus de Prophetia agit. Reperitur inter illa quoque ratio cur Danielem, Davidem & Salomonem non inter prophetas referant Hebraei, cujus rationem a Judaeis nunquam eſſe expoſitam ſcribis in Rep. tua Hebr. p. 491. Legitur id in More parte 2. c. 45., ubi de diverſis prophetiae gradibus agit, in gradu ſecundo. De illius valore non dicam. In parte tertia illius libri prae caeteris excellunt priora capita, in quibus agit de Viſione Ezechielis, & circa medium illius libri complura, in quibus rationes ſingulorum fere praeceptorum Moſaicorum reddit. quae omnia ſi concinne transferri poſſunt, nullum eſt dubium, magnum inde fructum rediturum. Sed longius

gius feror quam decet, & quam volebam. Si gratas tibi meas fore litteras, ut promiſiſti, intellexero, alias de aliis tecum conferre gratiſſimum mihi erit. Te Vir Clariſſ. ut me meaque ſtudia tibi commendata habeas, & promovere ſatagas, etiam atque etiam rogo. Deus Opt. Max. te quam diutiſſime, Eccleſiae & Scholarum bono ſalvum & incolumem conſervet. Dabam raptim 12. Sept. Baſ. An. 1625.

EPISTOLA XCVII.
PETRUS CUNAEUS
Joanni Buxtorfio Juniori
S. D.

Baſileam.

ANnus ferme eſt, Clariſſime juvenis, cum literis tuis, quas recens acceperam, reſpondi. Eae, ut erant humaniſſimae, & amoris tui erga me plenae, ita vehementer animum meum accenderant, ut plane cuperem crebriores deinceps a te epiſtolas videre, pro quibus promptiſſime totidem tibi aut plures reponerem. Sed fecit vel tabellariorum perfidia, vel viarum per bella Germaniae incertitudo, ut nihil ad me perlatum ſit. Id enim credere malim, quam te noſtri oblitum eſſe, aut minus diligentem in his erga amicos officii videri. Locus ille, in quem vocatus V. Cl. pater tuus erat, adhuc apud nos vacat. Ego id enixe operam dedi, ut iſtius muneris conditio tibi offerretur. Quod jam pridem factum fuiſſet, niſi multis amicorum interceſſionibus eum honorem appeterent ambirentque noſtrates quidam, qui neque illis ingenii monumentis clari ſunt, & fortaſſe, ut inclareſcant, efficient nunquam. Quid facturi Academiae noſtrae Curatores noſtri ſint, haud divinare poſſum. Opera certe mea ſtudiumque ad eam rem, quam coepi, conficiendam non deerit. Scis non ſemper optimis conatibus eventum reſpondere. Sed tamen non committam, ut aliquid neglexiſſe videar, quod ad commendationem excellentis virtutis tuae, & ad publica ſaeculi commoda pertineat. Verſionis *More Nevochim*, quam adornare te ſcribebas, magna apud omnes exſpectatio eſt. Quare ut inceptum opus conſummes, edasque permagni intereſt ad exiſtimationem nominis tui. Vale, meque tui amantiſſimum & eſſe, & fore perpetuo crede. Lugd. Bat. 26. Septemb. 1626.

EPI-

EPISTOLA XCVIII.

JOHANNES BUXTORFIUS, JUN.

D. Petro Cunaeo.

Leidam.

Litterae tuae, Vir Clariſſime, quas 26. Septemb. ad me dediſti, vigeſimo octavo Octob. h. e. ante triduum mihi redditae fuerunt, quae ut erant humanitatis & benevolentiae Tuae in me pleniſſimae, ita ſane mirifico me affecerunt gaudio. Unum in iis maximopere dolebat, quod nempe priores tuae, quarum mentionem facis, pari fide ad manus meas non pervenerint. Primae fuerunt illae, quas a Te accepi, Vir Clariſſ. & quae mihi laetum attulerunt nuntium, in amicorum Tuorum numerum me receptum & cooptatum eſſe. Quare ante omnia de ſilentio meo apud Te excuſari cupio. Nulla Tui oblivione id quaeſo factum exiſtimes, vel meâ negligentiâ. Nihil antiquius habeo, quam in Virorum doctorum notitiam devenire, eorumque amorem, ac benevolentiam mihi tum conciliare, tum conſervare. Ut perpetuo annitar Nomen & Famam Parentis mei continuare & conſervare: ita quoque ejusdem Amicos debita obſervantia ſemper colam & obſervabo. Reliqua Epiſtolae Tuae quod attinet, ea tot ſignis & argumentis Tuum in me affectum mihi aperuerunt, ut neſciam, quâ ratione mutuum meum affectum & cultum erga Te exprimere vel poſſim vel debeam. Quod enim tam gratam Tibi ſcriptiunculam meam fuiſſe ſignificas, ut porro crebriores a me cupias videre, id amori Tuo & humanitati Tuae unice adſcribo. Scio enim nihil tale ex ſuo merito meas mereri potuiſſe litteras. Quandoquidem autem ita Tibi placet, habebis inpoſterum, ſpondeo, frequentes, & toties quoties occaſio litteras transmittendi ſe offeret. Quid enim mihi magis honorificum eſſe poſſet, quam de tantorum virorum familiaritate poſſe gloriari? At vero quod jam in ipſis primordiis Amicitiae noſtrae, eousque progrederis, ut non ſolum litteris, ſed & corpore me Tibi conjunctum, & quidem in Ampliſſimo honeſtiſſimoque loco deſideras, atque ita ad ſummam, quam optare poſſem, dignitatem me evehere, nimis magno honore me afficis, nimio beneficio me Tibi obſtringis. Honori quippe mihi duco, quod a tanto Viro, tanto munere dignus judicor:

ho-

honori ſummo mihi cedit, quod a Te, tantis Viris, Academiae veſtrae proceribus de tam honeſta nota commendor. Quicquid eſt, negotium Deo committo, & Tuae prudentiae ac benevolentiae. Tu facias, quod è re Tibi eſſe videbitur. Ambitioſum foret à me iſtud munus ambiri: ſed parum quoque conveniens videtur tantam benevolentiam plane reſpuere & repudiare. Incertus quippe ſum adhuc; quò me fata trahant. Paratus ſum ſequi, quo fert Divina voluntas. Linguis equidem, Hebraicae nempe & Chaldaicae imprimis, earundemque variis dialectis, hactenus operam dedi, & natura quantum ad eas inclinem & propendeam dici non poteſt. Sed agnoſco quoque multa requiri ad publicum munus obeundum. Studia mea nondum certa & fixa ſunt, prout conditio. Verſionem *More Nevochim* quod attinet, coepta illa eſt a me ante quatuor annos: ſed tum peregrinationibus, tum aliis ſtudiis alio me trahentibus ſaepe interrupta & retardata. Major & melior illius pars, Dei Gratia, abſoluta. Suadet Parens meus, ut cum ob dictas cauſas, & operis ipſius quoque ſummam difficultatem diutius editio illius differenda ſit, ſpecimen illius dem in primae partis editione, & fere perſuaſit, quia admodum illud ab Amicis, quibus ſpem ejus feci, efflagitari video, ut aliquo modo fide mea me liberem, & oſtendam, me dum in otio vivo, non plane otioſum eſſe. Statui quippe hac hyeme, Primam operis partem denuo cum Textu Hebraeo conferre, & ad Typographiam adornare, ut proxima aeſtate, ſi Deus vires & vitam mihi continuaverit, lucem videre poſſit. De Typographo autem res incerta eſt. Neſcio an hîc imprimi poſſet, vel etiam an velim! Tu ſi propoſitum iſtud quoque approbaveris, quaeſo ſignifica, & ſimul, an apud vos quis eſſet, qui illud vellet ſuſcipere. Nam forte non abnuerem. Haberem etiam alia quaedam, quae praelo committere poſſem, aliud agendo ſub manibus mihi nata ſunt: ſed libenter premo, usque dum mihi conſtet, malum eſſe. Neque etiam nunc ſunt tempora. Latet penes nos quoque Verſio Latina *Zoharis* in Geneſin MS libri, ut noſti, abſtruſiſſimi &, (ſi ullus alius eſt) difficillimi, *Guilelmi Poſtelli*, cum ejusdem Notis. Si quis otio vacaret, credo multum utilitatis inde ad Rempub. Litterariam derivari poſſe. ſi cum Hebraeo conferret & in ordinem redigeret. Opus eſt ſatis ingens. De *Martino Raymundo*, ex quo *Petrus Galatinus* opus ſuum compilavit, jam dudum forte intellexiſti, illum quoque penes

penes nos eſſe. Edetetur, ſi tempora eſſent magis tranquilla. De Parentis mei ſtudiis nihil addo : ipſemet enim de iis ad Te perſcribet. Fiet id proxima occaſione. Nunc enim inopinato aliis negotiis obrutus eſt. Nunc, ne modum epiſtolae excedam, finem facio, de aliis alias Tecum collaturus. Nunc Vale, Vir Clariſſime, & vive quam diutiſſime Eccleſiae Scholarumque Chriſti bono, & me porro, ut hactenus, Tibi commendatum habere perge. Dabam Baſileae Cal. Nov. Ann. 1626.

EPISTOLA XCIX.

JOHANNES BUXTORFIUS F.

D. Petro Cunaeo

S. P.

Leidam.

TRimeſtre circiter eſt, Vir Clariſſime, quod litteras Tuas 26. Sept. ſuperioris anni datas accepi, & ad eaſdem quoque reſpondi. Quia autem ab eo tempore nihil a Te litterarum vidi, neſcio an meae recte tibi traditae ſint. Interim quia de Tua in me benevolentia certo mihi conſtat, non dubitavi iterum ad Te, hac per nundinas Francofortenſes occaſione, ſcribere, atque ita continuato hoc litterarum commercio perpetuam meam erga Te obſervantiam teſtificari. Etſi vero mihi ampla ſcribendi materia non ſuppetat, neque ea ego eruditione imbutus ſim, ut inde aliquid judicio Tuo dignum proferre poſſim : tamen quia novi Te Antiquitatis, inprimis Sacrae & Judaicae ſingularem eſſe amatorem, non improbatum abs te iri ſpero, ſi meum conatum in ſimili ſtudiorum genere videas. Noſti quae Hebraei ſcribant de ſeptem praeceptis datis filiis Noae, quorum mentionem facis in lib. tuo de Repub. Heb. cap. 1. Leguntur in Talmud Sanhed. p. 56. Col. 1. in fine & apud R. Bechai fol. 12. col 2. In ea praeteritis diebus inquiſivi ex occaſione Proſelytorum. Scribit enim *Schindlerus* in Lexico ſuo, in radice צוה haec praecepta impoſita fuiſſe proſelytis, qui Legem recipere & circumcidi volebant. Hoc cum apud Hebraeos inveſtigarem, contrarium deprehendi. Scribit enim *Majemon* in Halach. אסורי ביאה, haec praecepta impoſita fuiſſe *Proſelytis incolis*, qui neque circumcidebantur, neque baptizabantur. Quare vel ipſe *Schindlerus* hic erraſſe mihi videtur, vel Typographus, ut *volebant* ſit po-

poſitum pro *nolebant*. Videri poteſt *Majemon* dicto Tract. cap. 13. & 14. Proſelytos porro illos incolas גֵּרֵי תּוֹשָׁב dicit *Majemon* appellatos fuiſſe ita, quia ipſis habitare concedebatur inter Judaeos in terra Iſraëlis, & de illis quoque dicunt, quod ſint חסידי מאומות העולם *Relligioſi ex gentibus mundi*. Unde ſuſpicio mihi nata, an tales intelligantur Actor. 2. 5. ubi dicitur, Ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι ἄνδρες εὐλαβεῖς. *Habitantes* tantum *Judaei in Hieruſalem Judaei*, *viri relligioſi*, & porro quoque additur, *ex omnibus nationibus ſub coelo illos fuiſſe*, & verſ. 14. ejuſdem capitis, ubi diſtincte ponuntur Ἄνδρες Ἰουδαῖοι, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἱερουσαλήμ. Non ignoro tamen Judaeos diſputare, an in Urbe permiſſum ipſis fuerit habitare? & quoſdam illud negare, eo quod de illis in Levitico dicatur, עמך ישב *Tecum habitabit*; *Tecum*, non, In Urbe ipſa. Caeterum in Proſelytorum receptione notabilis ceremonia mihi videtur, quod poſtquam circumciſi fuerunt, Baptizati fuerint quoque. Ex hac enim deſumptam eſſe Baptiſmi noſtri Sacramenti N. T. ceremoniam à Chriſto, probabile eſt, hincque originem habere, reliquis duobus Circumciſione & Sacrificio, quae magis ceremonialia ſunt, abrogatis. Sic etenim ex ritibus Paſchatis ortum habet alterum Novi foederis Sacrramentum, Coena videlicet. Haec quod attinet, cum nuper Inſtitutionis illius verba conſiderarem, & cum Paſchate conferrem, quoque Chriſtus reſpiciat, dum ait de calice vel de ſanguine, *qui pro vobis effunditur* diſquirerem, facile equidem animadvertere potui, illum ad mactationem agni Paſchalis, quae ſine ſanguinis effuſione fieri non potuit, & ad aſperſionem poſtium in Aegypto ſanguine agni paſchalis factam, reſpicere. Verum quia haec ceremonia particularis erat, & in primo tantum Aegypti paſchate obſervabatur, & prior nimis generalis, ad aliquid aliud Chriſtum reſpexiſſe mihi videbatur. Itaque inveni apud *Majemon* Tract. de Paſchate inter reliquos ritus Paſchatis & hanc, *Sanguinem agni Paſchalis debere effundi è regione fundamenti altaris*. quod ipſum etiam in Talmud reperitur, & tanquam ſpecialis & neceſſaria obſervatu ceremonia requiritur. Huc igitur in ſpecie Chriſtum reſpexiſſe & locutionem ſuam hinc deſumpſiſſe certum eſt. Caeterum hîc miror interpretes, qua ratione multis Legi contrarium quid Chriſtus feciſſe videatur, cum dicitur, illum diſcumbendo Agnum comediſſe? quemadmodum etiam ipſe *Beza* Matth. 26. 20. hanc ſibi objectionem fingit, cum ſcri-

ſcribit : *Atqui Exo. 12. 11. jubet Dominus a ſtantibus &c. comedi.* Nam iſtius ceremoniae in ſpecie nulla mentio neque in Exodo, neque apud Hebraeos. Tantum per conſequentiam, quia cum feſtinatione & accincti edere illud jubentur, inde deducitur: cum tamen haec omnia diſcumbendo quoque potuerint obſervari. Verum excedo modum leviculis iſtis. Studia mea quod attinet, adornavi hac hyeme primam partem *More Nevochim* ac de novo revidi, ita ut ſperem illam viris doctis non ingratam fore. Si nihil aliud obſtet, hac aeſtate, Deo favente, una cum Textu Hebraeo edetur. Interim & ad reliquas duas partes accedam, ut brevi, ſi Deus voluerit, tota tranſlatio illius habeatur, nihilque aliud, niſi abſoluto hoc opere, aggredi decrevi. De ſtudiis Parentis mei, non eſt quod tibi referam. Ipſiusmet enim litteras ſimul accipies. Sed deſino, & quis Tuus, Academiaeque veſtrae ſit ſtatus a Te exſpecto, Deum Opt. Max. rogans, ut Tibi Tuisque clementer benedicat. Vale, meque ut coepiſti, Vir Cl. amare perge. Dabam Baſ. 4. Mart. An. 1627.

Reverendo Viro D. D. *Altingo* officioſam ſalutem adſcribo, cujus litteras, datis jam praeſentibus, demum accepi. Reſcribam proxima occaſione & ad ipſum.

EPISTOLA C.

JOHANNES BUXTORFIUS JUN.

D. Petro Cunaeo

S. P.

Leidam.

Seſquiannus, ni fallor eſt, Vir Clariſſime, quod nullae mihi ad te ſunt datae litterae, non ſane, quod minus hactenus tuam aeſtimaverim, vel animo excoluerim, amicitiam; eâ enim nihil mihi magis gratum, jucundum, honorificumque poteſt contingere, ſed alias, tum privatas, tum publicas ob cauſſas, quae ſcripturienti calamum ſaepe è manibus excuſſerunt, vel etiam remiſſiorem aliquando ad ſcribendum reddiderunt. Quid enim coram Amico diſſimularem? Contigit mihi ab eo tempore tum ab Ampliſſimo noſtro Magiſtratu, Deo ita gubernante, honorifica ad Miniſterium in hac Urbe vocatio: tum (ut nec hîc reticeam) quod plerumque vocationes ſolet inſequi, quan-

quandoque etiam ab Amicis & Parentibus obtrudi, honeſtum matrimonium. Haec duo ſtudia mea non raro abruperunt, vel potius interruperunt: Nam abrumpi, quam diu Dei gratia vivo & valeo, nunquam patiar. Non deſiderabis credo ſilentii mei cauſſas plures, pro ea, quae inter nos eſt, amicitia. Studiorum meorum rationem quod attinet, licet à litteris Hebraicis nonnihil Eccleſiaſtici officii conditio me avocet, tamen, quandocunque & quotiescunque dies aut horae vacantes conceduntur, illas arripio, & in hoc unum converto. Ita hactenus coeptam *Majemonidis* Perplexorum libri translationis telam Dei gratia ad finem perduxi, ac ſi eidem placeat, proximis nundinis typis evulgatam videbitis. Utinam vero tam vehementi doctorum Virorum cum applauſu excipiatur, quam ego commodo publico ea inſervire volui! Ut tum magis notus hinc inde fiat liber, tum aliquam ſuis exſpectationem gignat, tum etiam gratiam aliquam ante ſibi conciliet. Titulum nunc aliquo modo delineandum, & Viris Doctis exhibendum judicavi, ut tum illorum judicium interim audiam; & ſi quid forte ad ornamentum & utilitatem libri poſſet adjici, ab illis percipiam. Hunc in finem, & tibi, Amicorum in Belgio principi, exemplar ejus transmitto, humiliter rogans, ut illud aequi bonique conſulas, quid tibi de propoſito meo & de ipſo opere videatur, candide aperias, aliisque etiam horum ſtudiorum amatoribus communices, ac ſi dignum videatur, commendes. Accipies ſimul Titulum Concordantiarum Hebraicarum Parentis mei, quas commendare nolo. Commendabit ſe ipſe, cum è tenebris Muſaeoli ipſius lucem hujus Mundi aſpiciet, una cum Lexico Thalmudico & Chaldaico ante viginti annos inchoato, nunc etiam abſoluto, aliisque operibus. Ipſe, ni fallor, ad te aliosque Academiae veſtrae Proceres litteras eſt daturus. Unde nunc quidem pluribus tibi moleſtus eſſe nolo. Deus Opt. Max. te cum reliquis Academiae veſtrae ornamentis, illaque adeo tota, toto quoque Belgio, florentes, viventes, conſervet. Tu vero, Vir Clariſſ. ut feciſti, amare me perge, ac, niſi grave ſit, D. *Riveto*, D. *Altingio* officioſam meo nomine ſalutem dicere, non dedignare. Baſ. 3. Sept. 1628.

EPISTOLA CI.

PETRUS CUNAEUS

D. Johanni Buxtorfio Juniori

S. D.

Baſileam.

DOlorem meum, quem ex diuturno tuo ſilentio ceperam, Vir clariſſime, ſolata eſt noviſſima epiſtola tua, qua mihi ſignificas, & ſacri miniſterii functionem honorifice tibi ab ampliſſimo urbis veſtrae Magiſtratu delatam eſſe, & inſuper conditionem matrimonii ex voto tibi obtigiſſe. Equidem ego longo jam tempore nihil intellexi, quod mihi gratius jucundiuſque fuiſſe memini. Id quod facile credere poteris; ſi cogites, quam te vehementer amem charumque habeam, ac quanti jam ante fecerim praeclaras illas & excellentes animi doctrinaeque dotes, quas in te ſummus Deus collocavit; quae ſi nunc in celſiore loco, atque in ſpectatiſſimi muneris dignitate elucebunt, quis eſt, qui ſeculo noſtro non gratuletur? Opto etiam atque etiam, voveoque, ut idem ille Deus optimus maximus beneficiis his ſuis faveat, ac tibi tuiſque, & nobis omnibus hoc, quodcunque tibi contigit, laetum fauſtumque & fortunatum faciat: Titulum *More Nevochim*, quem mihi miſiſti, collegis meis, aliiſque, qui has literas amant, exhibui. Judicia eorum, ſi exquiras, poſſum vere illud tibi ſcribere, uno ore omnes omnia bona dicere, ac laudare inceptum tuum. Quare te hortamur mirum in modum rogamuſque, ut id opus prodeat. Noſti omnem moram iis moleſtam eſſe, qui impatienter aliquid exſpectant. Non poteris nos ulla re magis beare, quam ſi cunctationes omnes reſcindas, eaque celerrime edas, quae omnium fidem & admirationem excedent. Etiam ante a te petii, ne verſionem Latinam *Zoharis* in Geneſim, neve *Martini Raimundi* commentationes, quas penes vos eſſe jam pridem ſcripſiſti, diutius delitеſcere patiaris. Quod attinet ad Concordantias Hebraicas Cl. V. parentis tui, ex titulo, atque ex primis initiis, quae nuper a te accepimus, conſtare nobis potuit, opus id accuratae incredibiliſque diligentiae atque induſtriae eſſe, neque quidquam utilius poſſe reperiri ad ſacri codicis perveſtigationem. Si is liber una cum Lexico Talmudico & Chaldaico publici juris fiat, magnus cumulus accedet ad immortalia ſummi ejus viri beneficia, quibus jam ante ille

rem literariam publicam ſibi devinxit. Id ut incomparabili parenti tuo ſignifices, atque ut ei verbis meis officioſam dicas ſalutem, peto. Vale, Vir reverende & praeſtantiſſime, & me, ut coepiſti, ama. Lugduni Batavorum Cal. Novemb. 1628.

Literas D. *Andreae Riveti*, collegae noſtri, ad Cl. V. parentem tuum his meis adjunxi. ſcribam ei propediem per otium.

EPISTOLA CII.
JOH. BUXTORFIUS Fil.
Petro Cunaeo
S. P.

Leidam.

SErius reſpondeo amiciſſimis tuis litteris, Amice pl. honorande: ſed per occupationes varias aliter non licuit, ac hoc tempore vix licet. Nam praeter officii mei munera in hanc uſque horam per totam hyemem, typographicis quoque negotiis (quae, ut noſti, ſunt taedioſa ac laborioſa) varie diſtractus fui. Non ſolum enim Tranſlationem meam libri *More Nevochim* edendam curavi, ſed recuſa ſunt alia quoque Parentis mei ſcripta, Theſaurus ſcilicet Grammaticus & Epiſtolaris Inſtitutio, quorum omnium cura mihi incubuit. Deplorandum eſt, nos nullos hîc in linguis eo poſſe promovere, ut vel correcturae Typographicae librorum noſtrorum curam alicui concredere poſſimus. Tantus, hîc eſt contemptus & neglectus linguarum. Exemplar libri *More Nevochim* tibi offero, rogans ut ſerena fronte illud accipias. Tu, Vir Clariſſ. inter eos quoque fuiſti, qui literis & hortationibus tuis ad illud me inſtigaſti. Utinam vero tuae & aliorum Virorum Doctorum exſpectationi ſatis feciſſem. Sed, quod illic deeſt, benevolentia veſtra ſupplebitis, ac difficultati operis aliquid etiam adſcribetis. Otium ad litteras ſcribendas ſubripuit mihi adjunctum ſpecimen Concordantiarum, quod abſolvendum erat, ut Typographus Francofurtum ſecum ſumere poſſit. Nam ut tantò melius ratio totius operis conſtet, duo integra folia imprimi curavimus, quo plenior habeatur materia. Hîc imprimentur, & propediem continuatis operis procedent. Quaedam enim praeparatoria adhuc ad apparatum operis requiruntur. Brevitatem itaque nunc excuſa. Plura

ra per proximam, quae ſe offeret, occaſionem. Salutat Te officioſe Pater meus. Vale. Dabam raptiſſime Baſ. 20. Mart. 1629.

EPISTOLA CIII.
PETRUS CUNAEUS
Joanni Buxtorfio juniori

S.

Baſileam.

VIR Clariſſime, literas tuas 20. Martii ad me datas ferè admodum, hoc eſt praecipite jam menſe Novembri, demum accepi, cum exemplari libri *More Nevochim*. Ego vero plurimum tibi pro eo munere debere me profiteor, atque omnino operam dabo, ut ſi minus ad referendam gratiam ſatisfacere poſſim, ad praedicandam certe & habendam ſatis tibi faciam. Interpretatio tua opinionem meam ſuperavit. Qui enim exſpectaveram, ut Latine Hebraea redderes, tam ſignificanter ſine ullo apparatu aut molimine omnia vertiſſe te video, ut pene commentarium nobis dederis. De Parentis tui viri incomparabilis obitu, triſtiſſimus nuntius ad aures meas pervenit, & mirum in modum me perculit. Non monebo te, ut quae aliis ſolatio tute adferre in hujusmodi luctu ſoles, ea tute tibi ſubjicias, atque apud animum proponas. Ipſe enim noſti optimum eſſe pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo auctore cuncta haec eveniunt, ſine murmure ſequi. Equidem ego, cum cauſam publicam, & omnium noſtrum commune damnum intueor, non poſſum tamen quin dolorem meum mitigem, cum cogito te nobis ſupereſſe, veram vividamque tanti patris imaginem, in cujus unius virtutibus jam omne praeſidium habebit res literaria Hebraeorum. Si moleſtum non erit cum ſacri miniſterii functione profeſſionem Hebraiſmi conjungere, plane futurum auguror, ut praeclaris tuis meritis deferat paterni nominis dignitatem ampliſſimus magiſtratus Baſileenſis. Abſit enim a ſeculo noſtro iſtud opprobrium, ut de alio quoquam cogitet. Quid ejus rei futurum ſit, valde ſcire cupio. Lexicon Thalmudicum & Rabbinicum & Concordantiae Cl. V. parentis tui ut tandem prodeant, etiam atque etiam te rogamus. Vale, vir reverende & clariſſime. Lugduni Batavorum 3. Decemb. 1629.

EPISTOLA CIV.
JOH. BUXTORFIUS, J. FIL.
D. Petro Cunaeo.

Leidam.

HAud parum ſane litterarum mearum fatum doleo, quod illae tot menſium ſpatio detentae, ac tam ſero tibi redditae fuerint, prout ex Tuis 3. Dec. datis intellexi. Suſpicabar equidem tale aliquid, quod nullum reſponſum acceperim. Gaudeo tamen, licet ſero, redditas eſſe, ut inde videas me officio meo non defuiſſe. Parentis mei p. m. obitus, quantum me afficiat, dicendo non ſum. Non ideo, quod privatum meum damnum praecipue deplorem. Novi enim hoc fatum mihi cum aliis commune, ac ſubeundum aliquando, vel praecedendum fuiſſe. Litterarum Hebraicarum jacturam, tantorum laborum relictorum ſortem deploro, quae parente carent. Concordantias lugeo, in quarum natalibus ipſe obiit; Non enim niſi ſex prima folia impreſſa vidit. Sed qui aliis proſpicit Deus, providebit etiam his. Providentiam ejus in hoc animadverto & celebro, quod me graſſante hac peſtis contagione, ita conſervaverit, ut operi praeeſſe ſemper potuerim, meque inter varias occupationes eis viribus inſtruat, ut huic tamen typographico labori taedioſiſſimo pariter & laborioſiſſimo ſufficere poſſim. Ea induſtria opus promovemus, quanta fieri poteſt. Verſamur nunc in littera Gimel, cujus finem quoque ſeq. ſeptimana me viſurum ſpero. De Profeſſione quid futurum ſit, quaeris. Qua de re certi nihil ego adhuc reſpondere poſſum. Rogatu DD. Profeſſorum ego una cum Miniſterio vicaria opera eam provinciam hactenus adminiſtravi, & porro quoque adminiſtraturus ſum, donec de ordinario deliberetur, quod brevi fiet. Non dubito eam mihi oblatum iri; ſed an ejuſmodi conditionibus, quibus ego poſſim acquieſcere, de eo nonnihil dubito. Eo enim vix adducar, ut Miniſterium deſeram: & ſi hoc mihi perſuaderent, de novo ſtipendio eſſet agendum, quia longe lautiori nunc ſtipendio fruor in Miniſterio, quam vero in Profeſſione. Ut cum Miniſterio conjungant, ſuas habebit difficultates, neque ego magnopere id curo. Unumquodque enim officium per ſe integrum requirit hominem. Intra paucas ſeptimanas eventum videbimus. Eo major pars Profeſſorum ſpectat, & inclinat, ut in ipſorum numerum

cooptet.

coopter. Ipſorum ergo erit de mediis cogitare; Lexicon Talmudicum Parentis p. m. abſoluto Concordantiarum opere caput exſeret. Proximis nundinis, Deo volente, ſpecimen ejus videbitis. Nunc plura non licet. Virum Clariſſ. D. *Rivetum* officioſe meo nomine haud gravatim ſaluta. Vale, & me eo amore & favore, quo coepiſti, complecti perge. Dabam raptim. prid. Cal. Ann. 1630. quem Annum tibi fauſtum precor, & toti veſtro Belgio.

EPISTOLA CV.

PETRUS CUNAEUS,

D. Joanni Buxtorfio, Joh. Fil.

S. D.

Baſileam.

VIR Reverende & clariſſime. Cum *Andreas Cargerus*, popularis veſter, inſigni virtute & doctrina juvenis, a nobis abiret, nolui eum ſine litteris meis dimittere: ſciſcitatus ex illo ſollicite ſum, an maximo parenti tuo nemo adhuc ſucceſſor datus ſit. Sed nec ille quicquam ſe ex patria Baſilea accepiſſe de ea re ajebat, & ex quo tempore noviſſimae litterae tuae pridie Cal. Januar. datae ad manus meas pervenere, nihil certi ab aliis relatum mihi eſt. Imprudenter faceres, ſi profeſſionis obeundae cauſa ſacrum Eccleſiae miniſterium defereres, cum ſit ejus muneris ſpectatiſſima amplitudo dignitaſque. Sed cur jungi utrumque non poſſit, equidem non video. Certe apud nos D. *Franciſcus Junius* cum Theologiam ſimul & ſanctam linguam diverſis ſeparatiſque lectionibus profiteretur, etiam Eccleſiae Gallicae erat paſtor, plane ut ei triplex incumberet functio. Et jam hodie quoque D. *Joannes Polyander* & *Andreas Rivetus*, ut Theologiam in Academia docent, ita ambo ſacras literas pro concione interpretantur populo. Adeo harum rerum non eſſe diſſentaneam indolem, ſed ſummam conjunctionem atque ſimilitudinem exiſtimant Batavi noſtri. Et fortaſſis non errant. Utut eſt, ſi uterque honos tibi non deferatur, ex alia potius cauſa id fieri credam, quam quod minus bene tibi velit Senatus, aut urbanus aut Academicus. Extant enim ingentia atque praeclara cum incomparabilis parentis tui, tum tua quoque in utrumque Senatum merita. Quae ignorare nec praeſens nec futura poteſt aetas. Concordantias Biblicas multum proceſſiſſe,

ac pene ad finem eſſe perductas autumo. Ubi eae prodierint, non deſinam te vehementer rogare, ut Lexicon Talmudicum publici juris eſſe ſinas. Aut, ſi precibus & bonitate cauſae id a te impetrare haud potero, pertinacia tamen extundam. Deus Opt. Max. diu te, vir reverende, ſeculo huic nobiſque omnibus incolumem ſervet. Lugduni Batavorum 18. Auguſti 1630.

EPISTOLA CVI.

JOHANNES BUXTORFIUS
D. Petro Cunaeo
S. P. D.

Leidam.

Diu eſt, Vir Clariſſime, ex quo ſuaviſſimum hoc literarium commercium, feliciter olim inter nos coeptum & inchoatum, temporum horum partim injuriis, partim variarum occupationum diſtractionibus, ceſſavit & quievit: viguit interim conſtanter amor & affectus, qui nunquam niſi una mecum ceſſabit & morietur. Quibus in ſtudiis ab aliquot annis occupatus fuerim, intellexeris forte ex aliis. Id unice hactenus operam dedi, ut Lexicon Chald. Talm. & Rabbinicum à Patre meo b. m. à tot annis promiſſum, & a Viris doctis tanto ardore expetitum, abſolverem, & juris publici facerem. Laboravi hactenus quantum potui, & laboranti ita allaboravit Deus, ut & privatim perfecerim, & publico quoque bono praelo committere potuerim. Mediam fere partem attigimus, literam Mem propediem Deo juvante abſoluturi. Unum reſtat, ut quod feliciter coeptum, hactenusque continuatum eſt, felicem quoque ad finem perducere Divina concedat gratia. Pro qua eum quotidie invoco precibus meis, & omnes boni, ſpero, mecum. Ad praeſentem ſcriptionem excitavit me potiſſimum honeſtiſſimus iſte, qui has tibi exhibiturus eſt, juvenis, *Jacobus Brandmyllerus Baſileenſis.* Agit ille Jurium ſtudioſum, & poſt peragratas Galliae & Angliae Academias, Belgium quoque, & in eo praecipue celeberrimum veſtrum literarum Emporium, Belgii totius ocellum, adire & viſitare, conſilio & voluntate parentum decrevit. Natus eſt is honeſtiſſimis in hac urbe Parentibus, mercaturam exercentibus, & ex celebri Brandmyllerorum, Theologorum olim in hac urbe praeſtantiſſimorum, familia: unde nihil magis in vo-

tis

tis habet parens, quam ut ille quoque majorum ſimilis evadat, & magnas impenſas, quas in ipſum facit, quamoptime collocet. Rogavit itaque me, ut dignarer eum uni & alteri ex DD. Profeſſoribus apud vos de meliore nota commendare, quod cum ei denegare non potuerim, Tibi quoque, Jurium antiſtiti praeſtantiſſimo, eum commendandum cenſui. Rogo itaque, ut honeſti Juvenis rationem habeas & ipſe, & aliis quoque obſervandum cures, dirige eum quaeſo conſilio & auxilio, ubicunque opus habuerit; admitte eum ad tuam converſationem & familiaritatem, ut inde quoque & doctior & melior evadat: ſi forte juventutis vitio deviet & exorbitet, monitis ſaluberrimis eum revoca; ut loco & hoſpitio utatur honeſto, author ipſi eſto, maxime apud aliquem ex DD. Profeſſoribus; quinimo apud teipſum, ſi fieri poſſet. Si quid in ipſum beneficii contuleris, gratus agnoſcet ipſe & Pater, qui largiter ſatis ipſi ſumptus ſubminiſtrat; ego quoque ipſe mihi factum putabo, & data occaſione referre ſtudebo. Vale, Vir Clariſſime, & hanc veteris noſtrae amicitiae refricationem aequi bonique conſule, atque me amare perge. Dabam raptiſſime. Baſileae 18. Jun. 1637.

EPISTOLA CVII.

PETRUS CUNAEUS

D. Joanni Buxtorfio Joann. Fil.

S. D.

Vir Clariſſime Magna me voluptate affecerunt literae tuae, quas ante duos menſes tradidit mihi *Jacobus Brandmyllerus.* Eae enim ſignificabant haud penitus tibi excidiſſe mei memoriam, veteris, ut ſcis, amici tui, qui te ſemper jure meritoque fecit plurimi. Et jam dubitare incipiebam, quo animo erga me eſſes, quandoquidem jam ſeptimus abiiſſet annus, ex quo noviſſime tibi ſcripſeram, ac literas *Andreae Cargero*, populari veſtro, egregia virtute & doctrina juveni, tradideram. neque adhuc a te veneratquidquam reſponſi. Equidem ego, qui ſacrum Eccleſiae miniſterium te conjungere cum ſummi parentis tui vacua profeſſione optabam, mox cum id fieri non poſſe intellexi, utrius muneris functionem elegiſſes, vehementer ſcire deſideravi. Nunc cum in honore Academicae profeſſionis te ac-

acquieviſſe audio, omnino ut ea res tibi tuisque, & nobis omnibus, ac reip. Chriſtianae bene ac feliciter eveniat, Deum Opt. Max. ſupplex quaeſo & veneror. Certe ſive nominis tui celebritatem ſpectes, ſive id etiam agas, ut ex lectiſſimis tuis lucubrationibus fructus ingens non ad unam urbem Baſileam, ſed ad omnes, qui ubique terrarum ſunt, eruditos homines perveniat, nihil potuiſti rectius facere meliusve. Et jam certior me majorque ſpes tenet fore, ut in beato iſto otio monumenta doctrinae tuae in publicum evulges quam plurima. Inter quae profecto Lexicon Chaldaicum, Talmudicum, & Rabbinicum, quod patris auſpiciis coeptum conſummaſti penitus abſolviſtique, ſicut principem locum tenebit, ita a me exſpectatur avide admodum, & paene impatienter. Enimvero, etſi ad juris profeſſionem ante multos annos traductus, quotidie nunc occupationibus quibuſdam modo ex muneris Academici neceſſitate, modo ex conſulentium interpellatione enaſcentibus, otium pene omne meum ſcrupulatim dividi video, tamen nondum ita ex literarum veſtrarum amoenitate exarui, quin libentiſſime interdum ad ea ſtudia remigrem, quae in perveſtigandis Hebraeorum commentariis, atque in Sacri Codicis enodatione verſantur. Es autem tu inter caeteros omnes unus ſolusque, a quo multa diſcere & poſſum, & percupio. Ad *Brandmyllerum* veſtrum quod attinet, dabo operam, ut ſentiat commendationem ſibi tuam apud me valde profuiſſe. Etſi enim ipſe per ſe inſigni modeſtia, morumque elegantia, & praeclaris induſtriae dotibus amorem omnium eruditorum promeretur, tamen conſtitui tua cauſa amplius quiddam ei praeſtare, quam ſoleo caeteris, qui ad me accedunt peregre. Et vero rogavi eum, ut me viſeret frequenter, atque ut in omnibus, quae pertinere ad ſe exiſtimaret, ope mea conſilioque & promptiſſimo ſtudio uteretur familiariter. Vale, vir clariſſime, & ſeculo noſtro diu perenna. Lugd. Bat. 15. Octobr. 1637.

EPISTO-

EPISTOLA CVIII.
JOHANNES BUXTORFIUS
Petro Cunaeo
S. P. D.

Leidam.

Litteras tuas, Vir Clariſſime, *Schönawerus* noſter mihi reddidit, ex quibus non ſine magna voluptate cognovi, te adhuc mei non ſolum eſſe memorem, ſed & amantem. Silentium diutuſculum cauſatae ſunt partim temporum horum calamitates, quibus litterae non ita tuto deferri queunt, partim etiam occupationes indies creſcentes, quae & ipſae non raro vel calamum excutiunt, vel animum dejiciunt. Vivit interea & viget amor in te meus conſtanter, nec aliter de Te mihi perſuadeo. Ita eſt, me gravibus de cauſis, & Superioribus ita à me flagitantibus, Eccleſiaſtica functione reſignata, Academicam Profeſſionem ſolam amplexum eſſe, in qua, hactenus quid egerim, patebit, ſi Deus mihi dederit Lexicon Chaldaico-Talmudico-Rabbinicum, usque ad litteram פ jam editum, plane abſolvere & ad finem perducere. Deus ſolus novit, qui vel mihi intra aliquot annos in hoc opere ſint exhauſti labores, praeter 20. integros annos à Patre p. m. in eo colligendo inſumptos: agnoſcent ſpero viri docti, & paulo profundius in his literis tincti, inter quos Tu, Vir Clariſſime, & alii apud vos. Specimen illius exhibere poterit Vir iſte doctiſſimus, qui has tibi offert. Cum enim ad ſingulos amicos ſeorſim non potuerim mittere, ne eum nimis gravarem, duernionem ipſi tradidi, viris doctis monſtrandum, ex quo videre poſſint, quouſque hactenus progreſſi ſimus. Longe avidius & impatientius ego finem, quam quiſpiam alius, exſpecto. In tertium jam annum protrahitur editio, & ante annum vix ſperare poſſum finem. Operarum typographicarum laboramus penuria, ut citatiore curſu progredi non queamus, ſi maxime velimus. Bella haec Germanica una cum typographiis omnes quoque operas diſſiparunt & abſumpſerunt, adeo ut metuendum ſit, niſi Deus pacem tandem aliquando reſtituat, Typographias omnes plane peſſum ituras, & magnam apud nos barbariem introductum iri, quod clementer avertat. Caetera, quae de meis ſtudiis vel ſtatu meo ſcribere poſſem, referre poterit tibi is, qui has afferet, *Rodolphus Wetſteinius.* Is cum praeter ſpem, cum ob pro-

propriam eruditionem & induſtriam, tum Parentum magna in hac urbe merita, nuper ad Profeſſionem Graecam in hac Academia vocaretur, & hactenus ob turbulenta iſta tempora non potuerit commode exteras Academias perluſtrare, hoc tempore id compenſare & effectum dare voluit. Hanc itaque aeſtatem Galliae, Angliae, & Belgii provinciis & Academiis perluſtrandis deſtinavit, inter quas omnes cum veſtra principem locum teneat, eam quoque prae caeteris viſitare & lumina illius videre geſtit. Cum proinde & Te ob nominis tui celebritatem ſalutare cupiat, hac ei epiſtola aditum aperire volui, rogans, ut benigno tuo aſpectu & alloquio frui poſſit. Obligabis ipſum & me, ſi quid humanitatis ei praeſtiteris. Nunc, Vir Clariſſime vale, & me amare perge. Dab. Baſ. 24. Martii An. 1638.

EPISTOLA CIX.

PETRUS CUNAEUS

Benjamino Auberio Maurerio

Chriſtianiſſimi Galliarum ad Foederatos Belgas Legato.

Hagam.

SAEpe ego antea, maxime Legate, praedicari audiveram ſummam eruditionem tuam, quae in illuſtri dignitate atque in honorificentiſſimo munere tuo, tanquam lumen quoddam, effulget. Sciebam enim bene te atque ſubtiliter de Literis, deque omni diſciplinarum genere judicare. Sed qui te jam dudum hoc nomine mirifice admirabar ſuſpiciebamque, nondum tamen credere amicis quibuſdam meis poteram, qui identidem mihi affirmarent, nihil eſſe te comius, nihil moderatius ad omnem rationem humanitatis. Memineram enim profecto, id quod res eſt, valde rarum hoc, ac prope inuſitatum eſſe in veſtri ordinis proceribus. Nunc vero tandem penitus mihi fidem hujuſce rei fecit *Gevartius* tuus, juvenis longe eruditiſſimus, qui tuis verbis mihi ſalutem dixit. Nihil circuitione utar, ſumme Legate: Statim, ut eum audivi, piguit puduitque memet ipſum mei, qui Tibi, tali viro, & tantis virtutibus praedito, ad quas te excellens natura tua armavit, nunquam hactenus obſervantiam meam ullo officii genere teſtatus ſum. Equidem ego omnino in poſterum, Divine Maureri, nomen meum profitebor inter eos, qui te colunt reverenturque: atque

atque adeo efficiam mehercule, ut te decus omnium eruditorum eſſe & nunc intelligant homines, & in poſterum memoria teneant. Ad hanc ego rem tibi mea ſtudia, curas & cogitationes polliceor. Interea libros hos meos de Republica Hebraeorum tibi mitto, qui pridem a me ſcripti, nuper tandem prodierunt. Saepe ego conſtitueram eos tenebris damnare, propterea quod in hoc mundi ſenio, poſtquam ineptiendi libido quaedam mortalium animos pervaſit, nulla paene ſcripta lectorem reperiunt, niſi quae Scholaſticas quaeſtiunculas, aut veruilia Sophiſtarum nugamenta promittant. At nobis non tanti erit, placere multitudini. Quoniam tamen ſupereſſe adhuc priſci ſeculi indolem exiſtimabamus in paucis quibuſdam, penes quos nunc ſplendor omnis majeſtasque eſt rectae probaeque eruditionis, ſane ut ab his ſaltem legeremur, operae pretium videbatur iſthaec edere, quae nullis adſtricti magiſtrorum legibus, ſolutiſſima commentatione, ſcripſimus. Tu, ſumme Legate, cujus eſt eruditio candorque incomparabilis, inſpice haec, obſecro, & munus noſtrum, quod tibi mittimus, boni conſule, atque ita exiſtima, nihil mihi jucundius fore, quam ſi animum eum erga me retineas, quem habere coepiſti. Hoc autem ut facias, more magis, quam quo te admonendum puto, rogo. Neque enim fieri poterit, ut ab humanitate tua deſciſcas, aut te ipſe retexas. Lugd. Bat. VI. Maji CIƆIƆCXVII.

EPISTOLA CX.

PETRUS CUNAEUS

Benjamino Aub. Maurerio.

Hagam.

VIr Illuſtriſſime. Ita me penitus abdere in Bibliothecam meam ſoleo, nihil ut fere earum rerum, quae aut Hagae, aut in urbe hac contingunt, reſciſcam. Quare qui tibi nuper objectus eſt triſtiſſimus & inopinatus caſus, forte nondum ad aures meas perveniſſet, niſi eum mihi D. *Rivetus* ſignificaſſet. Equidem certus ſum, Vir maxime, in hoc tam ingenti luctu tuo plurimos e proceribus quotidie ad te adire, atque ea officia abunde tibi repraeſentare, quae ſalutantium humanitas, & mos publicus dictat, a quorum magnitudine etſi procul abeſt mediocritas mea, tamen cum is ſim, quem tu pridem ante ſingulari quadam benevolen-

tia

tia, non in aedes tuas modo, ſed in animum quoque recepiſti, nihil inepte me facturum credidi, ſi hac epiſtola teſtarer, inſigniter mihi atque vehementer doluiſſe matronae omnium lectiſſimae, praeſtantiſſimaeque, uxoris tuae, obitum. Caeterum quoniam longe acrioribus ſtimulis animus tuus, quam omnium noſter agitur, danda utique etiam opera eſt, uti ne moeſtae voces noſtrae vel exſuſcitent triſtitiam tuam, vel etiam adaugeant. Non ego hîc luculenta illa & praeclara Sapientum monita, tibi ob oculos ponam, quae tibi, Viro ſapientiſſimo, adeo non ignota ſunt, ut ea a te alii petere debeant. Lugd. 28. Octob. CIↃIↃCXVII.

EPISTOLA CXI.

PETRUS CUNAEUS

D. Benjamino Auberio Maurerio.

Hagam.

ETſi nihil quidquam mecum ferre ſoleo eorum omnium, quae valere ſolent ad conciliandas magnorum virorum amicitias, tamen ex quo tempore ad tuam humanitatem, ultro omnibus literatis obviam, aditus ſemel mihi patuit ſine parario, nunquam deinceps mihi tuam ſummam benevolentiam defuiſſe, memoria teneo. Quare equidem fiducia facilitatis tuae peccabo paulo audentius in publica commoda: &, qui identidem cum Hagam venio, ſermonibus meis morari tempora tua ſoleo, quae negotiis Chriſtianiſſimi regis impendis, is nunc etiam literis te adire, maxime Legate, non verebor. Intellexi eſſe Lutetiae Profeſſorem quempiam, qui publica voce libros noſtros de Rep. Hebraeorum confutet, atque etiam ſcriptionem adverſus nos paret. Quis ille ſit, quave indole, aut quo eruditionis praeſidio, mirum in modum ſcire cupio, idque ſciſcitatus ſum de *Caſperio Gevartio*, cliente tuo, qui illic commendatione tua in familia * cujusdam e magnatibus urbis degit.

* *Errici Memmii*, ut ipſe ſcribit mox Epiſt. CXX. & *Cambdeno* Epiſt. CCIII. & *Valer. Andr.* in Biblioth. Belg. p. 131. & Pariſiis edidit *Electa ſua* hoc ipſo anno: An. 1618. Lugduni vixit contubernalis *Jacobo Golio*, & edidit Papinianas lectiones, teſte *Gronovio*, in Oratione funebri *Golii*. *Meurſii* diſcipulum ſe profitetur Epiſtola inter Gudianas CCX. & poſtea

degit. Quare etſi oneris tibi imponere quidquam nec debeo, Vir Maxime, tamen (quod ſine moleſtia tua fieri poſſit) vehementer te rogo, ut has literas jungere tuis digneris. Utique in noſtris erroribus notandis, ſi quis ſuum velit exercere judicium, magnam is a me inibit gratiam. Primum enim maximumque animi noſtri bonum veritas eſt, cujus indagatio cum ſit multis obſtructa difficultatibus, ſane plerique, qui in interiora ſacraria admiſſos ſe putant, in veſtibulo haerent. Nunquam illa rerum domina toto ſinu ſe pandit, ſemperque, ut ait ille, Eleuſina aliquid ſervat reviſentibus. Quare, qui ſequor probabilia, nec ultra id, quod

poſtea in legati *Maurerii* contubernium tranſiiſſe ex eadem epiſtola, & ex his *Cunaei* apparet. Ejus Pater *Joannes Gevartius* fuit, cujus vitam habet *Valer. Andr.* p. 506. qui anno 1607. Hagam miſſus cum *Walravio Wittenhorſtio*, ad tentandos Belgarum animos de pace. vide *Miraei* Chronic. Belg. ad A. 1607. p. 456. & *Thuanum* lib. CXXXVIII. pag. 1267. Edit. in 8. *Miraeus* in ſcriptoribus ſecul. XVII. obiiſſe A. 1613. narrat., quem ſecutus eſt *Morerius*. *And.* vero *Valerius* A. 1623. In alterutro vitium operarum eſſe debet. *Witte* in diario ſequitur *Valerium*. Hic *Caſpar* obiit cum tota domo & poſteritate una die, ex eſu fungorum, funeſto & poſteris memorando exemplo, A. 1666. vid. Cl. *Graevium* ad Cicer. de Officiis I, Cap. 39. unde apparet *Graevium* illas notas A. 1667. jam ſcripſiſſe. nam anno ſuperiori obiiſſe docet & *Wallii* epiſtola ad *Heinſ.* XXIV. & *Graevii* ad *Heinſ.* XXVIII. Praeſagiiſſe virum clariſſimum ſibi mortem didici ex ſcheda a Cl. *Graevio* mecum communicata, in qua vaticinatus ſibi paucos dies ante obitum his duobus verſibus mortem eſt:

Mortaliſque, ſenexque brevi moriture, Gevarti,
Septuaginta anni quem grave laſſat onus;
Adjunctis binis, parvo cur tempore multa
Moliris? Voti contrahe vela tui.

Adſcripſerat Cl. *Graevius: Obiit Antverpiae* X. *Calend. Apriles* MDCLXVI. *poſt paucos dies a fuſo illo lugubri tetraſticho, Cantator Cygnus funeris ipſe ſui. Anima candida, amica, bene ſit tibi; nos, qui avia adhuc peragramus loca, ordine, quo Deus juſſerit, te ſequemur.* De ejus poſtumis notis in Manilium & Antoninum Aug. multis ſaepe cum *Heinſio* agit *Graevius* in epiſtolis; & plura de eo in mutuis *Heinſii* & *Gronovii*, quarum indices conſuli poſſunt. Haec occaſione opportuna, vulgo non omnibus nota, hîc in memoriam doctiſſimi viri publicari non ingratum literatis fore confidimus.

quod veriſimile occurrerit, progredi ſoleo, omnino & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia paratus ſum. Neque vero ulla res magis excitare ingenia noſtra poſſit, quam haec judiciorum libera concertatio: quam ii ferunt animo iniquo, qui ad quamcunque ſunt ſententiam quaſi tempeſtate delati, ad eam, tanquam ad ſaxum, adhaereſcunt, eaque neceſſitate conſtricti ſunt, ut etiam quae non probare ſoleant, ea cogantur conſtantiae cauſa defendere. Equidem magnopere cupio, aliquem exſurgere non ex infima plebe eruditorum, qui ſeſe nobiſcum componat. Reſponſum enim a nobis feret perquam honorificum. Quod ſi quem vaecordia aut inſana libido praecipitem in mea ſcripta egerit, nae ille malo ſuo diſcet, quanto ſatius fuiſſet ungues ab hac prurigine continere. Et ſunt vero non pauci, maxime Legate, qui ex ruinis alienae exiſtimationis gradum ſibi ad famam ſtruant, reperiantque fatuos, qui laudent. Juvat quippe eos perverſitas ſaeculi, quo nulla vendibilior merx vulgo eſt, quam petulans & protervus liber. noſti illud,

Cum vitia proſunt, peccat qui recte facit.

Ego id operam dabo, ut eruditioni aliorum, praeclariſque in litteris meritis pretium apud me ſit; utque etiam virtutem in quovis homine poſitam ingenua ſimplicitate ſuſpiciam atque venerer. De ſcientia autem mea adeo nihil magnifice ſentire poſſum, ut quotidie cogar cum Socrate dicere, me hoc tantum ſcire, quod nihil ſcio. Et tamen aliquid ſemper molior, ut, ſi inſcitiam expugnare non queo, ſaltem illam inultam non ſinam. Illud quidem unum paulo ambitioſius affecto, ut Tibi, tuique ſimilibus, inuſitata eruditione atque animi praeſtantia viris, non diſpliceam. Et, ſi hoc vitium eſt, eo me non carere confiteor. Vale, Vir ſummorum ſumme. Lugd. Bat. 7. Martii 1619.

EPISTOLA CXII.

PETRUS CUNAEUS

Auberio Maurerio S.

Hagam.

Vir illuſtriſſime. Etſi ſaepe antea inſigniter mihi teſtatus ſis benevolentiam tuam, quam in ſumma dignitate dictat tibi humanitas tua pene incredibilis, tamen nunquam clariora ejus rei documenta percipere potui, quam cum nu-

nuper prandio me comiter acceptum, bona ſpe atque ingenti fiducia plenum dimiſiſti. Incidebat forte ſermo inter nos de iis viris, qui hoc tempore Juriſprudentiam, diſciplinarum caeterarum dominam, pro majeſtate ornarent augerentque. Plane autem mecum, id quod res eſt, judicaſti, inter hos omnes *Antonium Fabrum*, ſupremi Senatus Sabaudici Praeſidem, ita longe eminere, nihil ut ille in ulla juris parte videretur praeteriſſe, quod quiſquam inuſitato ingenio, acerrimiſque ſtudiis ac maximo uſu cognitum & perceptum proponere aliis & tradere poſſet. Mox, cum etiam illud mihi concederes, nihil eſſe, quod ad ſe animos tam alliciat, & tam attrahat, quam ſtudiorum curarumque ſimilitudo, quae hoc quoque efficit, ut eos, quos nunquam vidimus, amemus, eoſque nobis adſciſcamus quaſi propinquitate & natura conjunctos: addebam ego jam diu me mirifice appetiviſſe amicitiam tanti viri, qua apud animum meum nihil carius haberem: ſed quaerenti mihi etiam atque etiam, nondum repertam fuiſſe aliquam viam, qua ad id, quod impatienter cupiebam, pervenirem. Ibi tu, Illuſtriſſime Legate, quae eſt fuitque ſemper tua erga me propenſiſſima voluntas, ſponte mihi operam tuam obtuliſti, effecturumque te pollicitus es, ut literae illi meae non injucundae forent. Sciebam ego quanta eſſet autoritas tua, & gratia apud eum futura, ſi illuſtre nomen tuum ad hanc rem mihi accommodares. Itaque ſcripſi, & in ipſis litteris, ita ut debeo, ſignificavi, feciſſe me hoc auſpiciis ampliſſimae dignitatis tuae. Reſtat, ut ſpei mei fructum exſpectem, quem profecto ſi conſecuturus fuero, non prius quieſcet animus meus, quam ſe expleverit perpetua recordatione tuorum erga me meritorum. Enimvero memini equidem incomparabilem eum virum, ad quem mihi aditus tua interceſſione patebit, non ita eſſe in flagrante JCtorum noſtrorum favore, ut virtus ipſius, & ſumma ingenii vis meretur. Sed quo magis cauſas ejus rei intueor, eo ardentius concupiſco, ut me voti compotem facias. Nam primum quidem urit id ignaviam & ſupinitatem multorum, quod intelligant aut hanc, quam ille adeptus eſt, gloriam ſibi praereptam, aut ſuam veterem oppreſſam eſſe, poſtquam reſtituere multa in jure ac mederi vomicis earum opinionum auſus eſt, quae venenarunt animos eruditorum. Et praeterea, illuſtriſſime Legate, vetus illud, non novum, ſeculi vitium eſt, quod praeſtantiſſimos quoque viros, dum adhuc vivunt, longe minor hominum, quam

debet, exiſtimatio proſequatur, ita enim ingenium plebis eſt,

Quae redit ad Faſtos & virtutem aeſtimat annis;
Miraturque nihil, niſi quod Libitina ſacravit.

At nos, ut dignum nobis eſt, longe longeque remotos eſſe a vulgo decet. Quare cum nemo tam ingrata mortalium judicia expertus ſit, quin aliquando ſera poſteritas decus illi ſuum ex vero rependerit: profecto, quod allatura eſt tandem ipſa diuturnitas, id praevertere conſilio, animique aequitate debemus, neque exſpectare temporis beneficium, quod repraeſentare ratione poſſimus. Lugd. Bat. Calend. Febr. 1620.

Epiſtola ad *Fabrum* mox n. 135. ſequetur.

EPISTOLA CXIII.

PETRUS CUNAEUS

Aub. Maurerio

S. D.

VIR illuſtriſſime. Cum hodie aliud agerem, caſus neſcio quis obtulit oculis meis luculentiſſimum Dionyſii Longini locum, quem ego tibi nuper laudabam, cum forte obortus inter nos ſermo eſſet de vetuſtiſſimis quibuſdam & maximi nominis auctoribus, quorum divina ingenia, ut ſupra omnem hominum mediocritatem ſunt, ita interdum propter improviſos quoſdam lapſus venia opus habent. Quos ego viros tamen nequaquam propterea poſtponendos putabam aliis accuratiſſimis terſiſſimiſque ſcriptoribus, quorum ſunt monumenta ejuſmodi, ut, cum peccata omnia ſedulo effugerint, nullas etiam virtutes aſſecuti ſint. Quare nec Homeri mendis ita offendor, ut admirari eum deſinam, quem Plato atque Ariſtoteles, & quotquot ſunt cordatiores Graeci, patrem principemque omnis ingenii & eruditionis exiſtimarunt, & multo minus hercle iis aſſentior, qui eum Sophiſtis quibuſdam Muſaeo, Colutho, Tryphiodoro poſtpoſuerunt, in quibus nihil reperias, niſi rotundum carminis ſonum, aut ἐννοίας aliquot argutas; magna cura anxie excogitatas. Utique Plinii Secundi vox de quodam amico ſuo in illis locum habet, *eo peccare ipſum, quia nihil peccaret.* Communis enim & pene plebejae indolis eſt, nusquam labi, cum id totum a ſtudiis & cura potius, quam ab ingenio proficiſcatur. Quare qui id operam dederunt,

ſane

ſane illi magis vitiis carent, quam ut aliquam magnam laudem ſint adepti. Sed haec omnia longe melius tibi Dionyſius Longinus noſter ediſcet, qui autor quoniam nondum ex Graeco Latinus factus eſt, dedi operam, ut eum locum Latine verterem ac tibi, Illuſtriſſime Legate, viro noſtrarum literarum amantiſſimo, inſpiciendum darem. *Scaligeri* epiſtolas nequaquam eo animo miſeram, ut ullo tempore ad me redirent. Ac ne nunc quidem id fieri cupio. Nam & ſine moleſtia iis carebo; & non potero haec tam exigua tibi imputare. Niſi enim alia majora praeſtitero, nulla pars vel minima compenſabitur ſummae tuae erga me humanitatis. Deus te, Illuſtriſſime Legate, diu ſoſpitem & incolumem ſervet. Lugduni Batavorum 28. Maji 1620.

Adjectus erat huic epiſtolae longus Dionyſii Longini locus ex Cap. 33. Latine a *Cunaeo* verſus, quem nobis praetermittere, cum jam in omnium manibus is liber, Latine etiam redditus, verſetur, eſt viſum.

EPISTOLA CXIV.
PETRUS CUNAEUS
Aub. Maurerio S.

Hagam.

VIR illuſtriſſime. Quod Plautus tuus tarde & ſero ad te venit, bibliopolae culpa eſt, a quo vix poſt decimum & quartum diem pertinaci efflagitatione impetravi, ut eum librum compingeret. Editio, ut voluiſti, formae elegantioris eſt, typis majuſculis protuberantibus. Notae ſunt *Taubmanni*, qui mira ſedulitate, & fide optima in compendium contraxit, quicquid in hanc rem annotatum uſquam eſſet ab eruditiſſimis interpretibus. Ego quo penitius hos commentarios inſpicio, tanto magis adducor, ut credam eſſe hunc quendam rei literariae & venuſtatis Romanae theſaurum. Si enim tranſilias moleſtam hic illic obſervatiunculam, de lectionum & emendationum diverſitate, reliqua omnia pulcra & luculenta erunt. Sane vero, Illuſtriſſ. Legate, non potes animum tuum, negotiis regiis perpetuo intentum, ulla alia re melius reficere, quam Plauti lectione, in cujus leporibus olim non quidam e plebe homines, ſed Scipio, & Laelius, atque alii Romani proceres ſuaviſſime conquieverunt. Quoniam autem & pretium adſcribi juſſiſti, conventum eſt, ut foret VI. florenorum

renorum, & 18. affinm. Gaudebo, Illuſtriſſime Legate, ſi plura nobis etiam atque etiam majora imperaveris. Reperies enim nihil tam promptum tibi paratumque eſſe, quam in omnibus rebus, quae ad te pertinent, ſtudium meum, fidem, & diligentiam. Non enim vereor tibi, de operâ meâ illud ſpondere, quod Publio Septimio de civium fortunis Antonius,

Quid concupiſcas, Tu videris;
Quod concupiveris certe habebis.

Vale, Vir maxime. Lugd. Bat. 15. Junii 1620.

EPISTOLA CXV.

PETRUS CUNAEUS

Benjamino Aub. Maurerio.

Hagam.

REcte omnino atque ex mente Plauti, Illuſtriſſime Legate, intellexiſti locum illum in Scena ſecunda,

Amphitruo ſubditivus eccum exit foras
Cum Alcumena uxore uſuraria.

Subditivus enim Amphitruo, eſt Jupiter, qui in Amphitruonis locum ſe ſubdidit, ejuſque formam adſumpſit, ut abſente illo rem interim cum uxore ejus gereret: plane quemadmodum de Mercurio, qui ſe in Soſiae vultum induerat, alibi dicitur,

Namque de illo ſubditivo Soſia mirum nimis eſt.

Ubi pariter Soſia ſubditivus eſt, ὁ ὑποβολιμαῖος, ſive is, qui habitum Soſiae mentitur. Dein de *uxore uſuraria* quod additur, omnino ita eſt, ut ſcribis, Illuſtriſſime Legate. Eam enim Plautus deſignat, qua Jupiter uteretur pro uxore ad aliquod tempus. Unde & in argumento fabulae illud extat,

In faciem verſus Amphitruonis Jupiter,
Cum bellum gereret cum Telebois hoſtibus,
Alcmenam uxorem cepit uſurariam.

Scilicet hoc voluit, uxorem Amphitruonis propriam fuiſſe, Jovis autem uſurariam. Quanquam profecto vix eſt, ut hanc lectionem ferat Romani ſermonis genuina vis. Certe quidem JCti noſtri eam damnarent, ac potius dicerent ſcripſiſſe ita Plautum,

Cum Alcumena uxore uſuaria.

Sicut

Sicut enim *uſurarium* eſt quicquid ſub uſuris habetur, ut cum acceſſione ſors reddatur: ita *uſuarium* cum dicimus, non alias cogitare res poſſumus, quam quarum nudo uſu, ſine ulla mercede, fruimur ad tempus duntaxat, ne in univerſum inutilis eſſet proprietas, ſemper abſcedente uſu. Ac de his quidem ita tecum ſentio. Caeterum rem jucundiſſimam mihi feceris, Vir maxime, ſi quae tibi deinceps obſervatu digna occurrerint, ſignificare mihi velis, non hercle quod quidquam me adferre poſſe confidam, quod te fugiat, cujus eſſe in toto hoc genere magnam judicii, induſtriae, & exercitationis vim ſaepe jam perſpexi; ſed ut ſtudia noſtra, animique alacritatem exſuſcites. Sane enim, quae ab ingenio meo haud impetrare poſſum, ea me debiturum eſſe genio tuo ſpero. Vale, Illuſtriſſime Legate, 10. Julii 1620.

EPISTOLA CXVI.

PETRUS CUNAEUS

Benjamino Auberio Maurerio.

Hagam.

PUto rem tibi jucundam facere eos, qui animi tui cogitationes quacunque via, ad otii quaedam oble&amenta abducunt: Ac multo minus hos peccare, qui tibi viro literatiſſimo, ſi non luculenta quaedam, at ſaltem vel ineptias literarias mittant, quas transverſo oculo leviter inter tot ſeria inſpicias. Rogatus nuper ſum ab Academiae Curatoribus, ut juventutem ad veterum quaedam ſtudia capeſſenda excitarem oratione publica, quam audiverunt ipſi, volueruntque a me in lucem edi. Ego, qui gloriolam captare ex re minima haud cupio, petitioni tamen eorum obtemperandum exiſtimavi, ne ad honeſtiſſimas, & laudatiſſimas artes provehendas denegaviſſe illis operam meam viderer. Si has nugas, Illuſtriſſime Domine, legere non recuſaveris, occurret quidem nihil ſacratiſſimis curis tuis dignum, ſed intelliges tamen, ſummo ſtudio id me cupere, & adniti, ut incorruptae antiquitatis reducatur exemplum. Utique ſi fato mihi is exiſtimationis fructus reſervatur, ut hoc, quod cupio, efficere poſſim, habebo quod caelo imputem. Quod ſi conatum noſtrum ſucceſſus deſtituet, at ſaltem non inglorium erit bene de ſeculo mereri voluiſſe. Deus te, Illuſtriſſime Legate, diu Gal-

liae tuae nobiſque incolumem ſervet. Lugd. Bat. 16. Januarii. 1621.

Intelligit Orationem quintam, ſive exercitationum Oratoriarum, quae Auctoritate publica in Academia inſtitutae ſunt, inaugurationem, habitam x. Novemb. CIↃIↃCXX.

EPISTOLA CXVII.
PETRUS CUNAEUS
Benjamino Auberio Maurerio.

Hagam.

VIr Illuſtriſſime. Apologiam illam, quae Venetiis prodiit, in officinis pluribus quaeſivi: neque reperire potui. Ajunt bibliopolae omnes nulla exemplaria ſe accepiſſe, ſed ne quid praetermitterem, quod ad eam rem pertineret, nundinarum Francofurtenſium duos catalogos perluſtravi, quorum alter ſuperiore autumno, alter nunc recens editus eſt. Nuſquam autem ejus tituli vel vola vel veſtigium apparet. Tum & ex collegis, quos rogavi, alii non viderunt, alii vidiſſe ſe ibi ajunt, ubi & mihi videre contigit. Equidem non deſinam porro operam dare, Illuſtriſſime Vir, ut illud ſcriptum alicunde conquiram: & ubi nactus fuero, ita ut voluiſti, mittam tibi. Interim ſignificanda haec tibi duxi, ne per ignaviam tam diu ceſſaviſſe, aut indiligenter egiſſe ea viderer, quae tibi grata jucundaque eſſe intelligerem. Fama hîc recens eſt, eaque omnium triſtiſſima, nefando parricidio interemptum eſſe Regem Chriſtianiſſimum. Quae res animum meum mire percelluit, dejecitque. Sed quia incerto autore haec feruntur, confido falſa eſſe, majoremque nobis laetitiam ex ſummo metu fore. Idque ut vere augurer, Deum Opt. Max. ſupplex rogo, qui te, illuſtriſſime vir, regi tuo ſuperſtiti florentique diu incolumem ſervet. Lugd. Bat. 1621. 21. Junii.

EPISTOLA CXVIII.
PETRUS CUNAEUS
Benjamino Auberio Maurerio.

Hagam.

VIr Illuſtriſſime. Mitto tibi eam gratulationem, quam à te acceperam, & pro lectione ejus, ita ut debeo, gra-

gratias ago. Miſiſſem citius, niſi ab urbe paulo diutius abfuiſſem. Quid ea ſcriptione voluerit autor, haud obſcurum eſt. Non obtuſa pectora gerunt Patres Antenoridae. Quare qui *Sanazario* pro exiguo epigrammate olim grandem pecuniae ſummam dederunt, plus oratori; quam poëtae, deberi intelligent. Et jam judicaviſſe eos audio, dignum eum videri, qui equitum ordini inſereretur; quem ego nominis titulum mihi, caeteriſque meae fortunae hominibus eſſe oneri exiſtimarem: *Nil moror officium, quod me gravat* —— Vidi in oratione tumorem Dithyrambicum, & grandes ἐννοίας, ſed affectatas. Multa obſcuriſſime dixit de artibus, quibus labefactantur reſpublicae, quae quo pertinerent non intellexi. De caeteris ita judico, majorem partem non cohaerere, & arenam ſine calce eſſe. Saepe interſerit ſophiſtica acumina, in quibus maſculos aut rotundos ſenſus fruſtra quaeras. De Henrico Magno quod adnectit pag. 57. luculentum quidem ac verum eſt, ſed praeter exſpectationem incidere, & veluti διοπετὲς eſſe cenſeo. Noſti illud Flacci, Illuſtriſſime Legate,

Inceptis gravibus plerumque & magna profeſſis
Purpureus, late qui ſplendeat, unus & alter
Aſſuitur pannus.

Quare recte adjicit idem Flaccus,

Sed nunc non erat his locus.

Utique argumentum, in quo verſatur, grave eſt & majeſtatis plenum: ſed in eo ipſo ingenium Graeculum, & abjecta adulatione detritum non magis latere potuit, quam aſinus ille in Apologo, qui capite in vepreta immiſſo reliquum corpus bene tegi putabat. Non convenit libertati iſti, quam tantopere praedicat, aſſentatio. Jam pridem ingenuos ſpiritus exuerant, & ſervituti adſueverant Romani, cum illud in ſcena quaeſtus eſt Syrus:

Vitium fuit, nunc mos eſt adulatio.

Maxime autem illud indignum cive noſtrae reip. eſt, quod pag. 55. ait, *naturam Venetis maris ejus, quo cincti ſunt, imperium, aliis autem uſum conceſſiſſe.* Id ego, ſi dixiſſem, magno redemptum velim. Refert quidem *Bartolus* ad l. 13. §. *ſi quis me*, de Injur. Venetos dicere, ex longa conſuetudine ſe habere Juriſdictionem in mare Adriaticum: Quemadmodum & Genuenſes mare Liguſticum ſibi ſervire volunt. Nec defuerunt, qui fronte gravi, & triſti ſupercilio contra leges & jura hoc eis perſuaſerint. At nemo tamen omnium fuit, qui id jure naturae aut gentium

M 4 tri-

tribuere eis auſus ſit. Adeo id ridiculum, & cum ſumma imperitia conjunctum fuiſſet. Vide quam a recto transverſos agat homines ſtudium placendi. Nihil hîc circuitione utendum cenſui, Illuſtriſſime Legate, cum ſciam, quale libertatis jus apud te mihi ſit, ſemperque fuerit. Quod tamen ita uſurpo, ut magis a te permiſſum, quam vendicatum a me videri velim. Caeterum, quod toties te rogavi, id iterum nunc, more magis, quam quod moneri debeas, rogabo, ut porro me ames, interque tuos numeres. Deus te, Vir Illuſtriſſime, diu incolumem ſervet. Lugd. Bat. 24. Septemb. 1621.

Cenſura haec acerbior eſt in Gratulationem a *Daniele Heinſio* ſcriptam, de foedere inter Serenis. Venetorum Rempub. & Ill. ac Praepot. Ordines Foederatos contracto, quae legitur inter Heinſii orationes pag 49. editionis 1658. cujus paginas hic notavimus.

EPISTOLA CXIX.

PETRUS CUNAEUS

Benj. Auberio Maurerio.

Hagam.

VIR Illuſtriſſime, qui liberis tuis erudiendis praepoſitus eſt, ex literis tuis mihi retulit, commendaſſe te ſerio cauſam eam Quaeſtori *de Bye*, de qua obnixe te rogaveram. Quo quidem nomine multum me debere ſummae humanitati tuae & ſingulari in me meoſque benevolentiae agnoſco, ac gratias habeo jure merito maximas. Sed qui ex plurimis aliis iiſdemque graviſſimis cauſis obſtrictus tibi ſum, non ante me vel ullius beneficii obligatione exſolvi poſſe credam, quam pro omnibus ſimul gratias, non verbis ſed re, atque opera ipſa, retulero. Quod uti fiat tandem aliquando, capeſſenda occaſio quaedam erit, quae nec excellentibus meritis tuis virtutibusque, nec nomine meo meiſque ſtudiis ſit indigna. Equidem ego, quia decrevi procul a rep. aetatem agere, nihil quicquam pro me ipſo petere a te volui; ſed affini meo, ut eodem animo eſſet, perſuadere non poteram. Nunc poſtquam intellexit, quam ſit res taedii & laboris plena ad ejusce generis honores eniti, monenti mihi, ut ſpero, obtemperavit, praeſidiumque rerum ſuarum in iis artibus ponet, quibus ſine ambitione, ac ſine prenſationibus ſumma cla-

claritudo paretur. Deus Opt. Max. te, Vir Illuſtriſſ. diu Regi tuo, nobisque omnibus incolumem ſervet. Leidae 28. April. 1622.

EPISTOLA CXX.

JANUS CASPERIUS GEVARTIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

VIR Clariſſime. Non excidit profecto mihi, qua benevolentia me apud vos agentem ſaepe exceperis, & quo teſtimonio nugas noſtras litterarias & juveniles conatus proſecutus ſis: eundemque affectum tuum in me abſentem etiamnum perdurare ex nuperis Illuſtris Viri *AUB. MAURERII*, Legati Regii litteris cognovi, qui ſeſe levia quaedam epigrammata noſtra, in Curiae Pariſienſis incendium effuſa, tecum communicaſſe, nec tibi diſplicuiſſe ſcribit. Itaque cum Vir Clariſſimus *Pet. Puteanus*, in ſuprema curia Advocatus, *Claudii* Senatoris filius, cujus infinita exſtant in litteras ac litteratos beneficia, ad vos proficiſceretur committere, non potui, quin has ad te exararem, quibus meum in te affectum pariter & obſervantiam teſtarer. *Puteanum* autem tui ſtudioſiſſimum, rogo, iis officiis ac humanitate excipias, quam virtus & dignitas viri expoſcunt. De me, ac rerum mearum ſtatu ſi ſcire aves; ago hîc in familia Illuſtris Viri *ERRICI MEMMII*, Praetoris Urbani. Nepos ille eſt ſummi Viri *ER. MEMMII*, aevi ſui omnium eruditorum Maecenatis: cui *Turnebus*, *Auratus*, *Lambinus*, non parum debent: & in primis *Job. Paſſeratius* qui duodetriginta annis in ea familia degit. Perhonorifice ille me habet, & annuo mille florenorum ſtipendio afficit. Habeo hîc modo ſub praelo tres Electorum libros, & Manilii Aſtronomicon, quibus omnibus te participabimus cum erunt affecta. Plurimos hîc tui ſtudioſiſſimos reperi, qui clariſſima ingenii tui monumenta unice aeſtimant & amant. Inter eos autem ut me ſemper adnumeres, ac perpetuum clariſſimarum virtutum tuarum praeconem credas, unice te rogo. Vale, Vir Clariſſime. Raptim Lutet. Pariſior. XXI. Julii CIƆIƆCXIIX.

Vid. ad Epiſt. CXI.

EPISTOLA CXXI.

PETRUS CUNAEUS

Jano Caſperio Gevartio
S. D.

Pariſios.

ADeo fuit miſerum in modum turbata civilibus diſſenſionibus reſpublica noſtra, Clariſſime Gevarti, ut me literarum ſtudiorumque atque etiam mei ipſius oblivio ceperit. Quare veniam mihi dabis, ſi ad literas tuas, quas ante plûres menſes accepi, nihil reſpondi, quem alioqui ſcire debes ad haec humanitatis officia fuiſſe ſemper, atque etiam fore deinceps paratiſſimum. Amorem hercle tui nulla dies mortis nobis auferet; ita me totum conciliavit ſumma virtus tua, atque admirabilis eruditio, quam in te elucere ſummus Deus voluit. Equidem non vereor, ne aſſentatiuncula quadam aucupari gratiam tuam videar, cum hoc, quod res eſt, dico. Nam neque Tu is es, qui quid ſis, ignoras; & nobis conſtat, eos potius, qui te non praedicent, invidos, quam eos, qui laudant, ineptos dici debere. Manilii Aſtronomicum & libros tuos Electorum, de quibus ſcribis, etiam atque etiam exſpecto, ut ex lectiſſimis obſervationibus tuis aliquid in uſum meum ſeponam, recondamque. Habebis me certe inter eos, qui a te diſcere multa, atque ea mox tibi ingenue accepta ferre, non erubeſcent. Nos ad duos Pandectarum titulos de Pactis, deque rebus creditis, aliquid commentamur, quod publici juris faciemus, tibique, quem his etiam ſtudiis apprime teneri ſcimus, mittemus. Dictum mihi a *Cluverio* atque ab aliis eſt, eſſe Lutetiae Profeſſorem quempiam, qui publicis lectionibus confutet libros meos de Rep. Hebraeorum & ſcriptionem etiam parat. Sed quis ille ſit, quo ingenio, quave eruditione, nondum intelligere potui. Utar igitur jure amicitiae noſtrae, & peto quid ejus rei ſit, mihi ſignifices. ſcio me hanc contagionem ex mortalitate contraxiſſe, ut ſim multis magniſque erroribus affinis: neque tam ſim mei amans, ut me reprehendi aequo animo non patiar. Quare ſi eam modeſtiam adhibuerit, quam debet, reſponſum a me honorificum feret. Pulcherrima enim erit haec judiciorum noſtrorum concertatio; & rationibus utrinque excuſſis melius patenti via ibitur ad verum. Quod

ſi

ſi indoctus quiſpiam ineptusve aut malevolus ſit, ſilentio eum ulciſcar, aut hercle jocis & multo ſale eum defricabo. Vale, Clariſſime Gevarti, & me, ut facis, ama. Lugd. Bat. 25. Februarii 1619.

EPISTOLA CXXII.

PETRUS CUNAEUS

Arnoldo Vinnio

S. D.

Hagam.

NON poteras apud alium tutius deponere animi tui cogitationes, Clariſſime Vinni, quam apud me, qui ſum, tuique ſemper tui ſtudioſiſſimus. Itaque certo ſcias, vehementer me id cupere, quod tu cupis. Etſi enim conditio illic tibi perquam honeſta obtigit, ex qua melius rem facere, quam ex Academica functione poteris, puto tamen praeclaram ingenii tui indolem debere in loco magis illuſtri enitefcere. Quare ſi quid apud Ampliſſ. D. *Honertium*, aut apud alios valebo, (exiguum autem id eſt, & nihil arrogare mihi auſim) non deſinam tibi teſtimonium ejuſmodi perhibere, quod deberi ſummis illis virtutibus exiſtimo, quas in te Deus collocavit. Equidem omnino futurum intellexi, ut feudorum Profeſſor quiſpiam conſtituatur. Et praeterea exauctoratum heri eſſe ajunt D. *Cornelium Sylvium.* Tuum eſt advigilare, & videre, an per ampliſſ. D. *Vosbergium* aut alios, qui gratia & auctoritate florent, efficere aliquid poſſis. Non poſſum de eventu divinare. Totum enim illud quantumcunque eſt, θεῶν ἐν γούνασι κεῖται: Sed tamen ſcias, nullam iis omnino ſpem eſſe, qui nihil tentant aut moliuntur. Tum & ea eruditionis documenta, quae nuper publicis lectionibus in Academia dediſti, magnum momentum habebunt ad nominis tui commendationem. Haec tibi ingenue ſignificanda duxi. Vale, amiciſſime Vinni, & occaſioni, quam in aula praeſens per amicos capeſſere & urgere potes, ne deſis. Me quidem ſemper conatuum tuorum conſiliorumque adjutorem habebis. Leydæ Cal. Septembr. 1619.

EPISTOLA CXXIII.

ARNOLDUS VINNIUS

Petro Cunaeo JCto

S. D.

Leidam.

INtellexi ex D. *Pavio*, clariſſime D. Cunaee, negotium iſtud noſtrum in proximum conventum eſſe rejectum. Spero me aliquanto fructum aliquem cogitationum mearum conſecuturum. Sed dum εὐελπιςία me conſolatur, ſollicitant me voces iſtae, quae falſo jactantur, ac quorundam animos, quos ſuſpicor eſſe commotos, vehementius incendere poſſunt. His, qua ratione ſatisfaciam non video, niſi auctore, qui mihi iſtam invidiam impoſuit, indicato. Purgavi me tamen omnibus, ut potui. Mihi conſcius ſum, nihil à me dictum eſſe, quod vel te vel illos offendere debeat. Quod ſi forte, ut inter familiares fieri ſolet, cum virtutes quorundam inter ſe conferrentur, apud alios majorem uſum juris civilis eſſe non negaverim, alios contra literatiores eſſe aſſeruerim: id, ſi à me factum eſt, incogitanter factum eſſe non diffitebor: verum non quo laudes cujusquam extenuarem, ſed omnino ut augerem tuas: ſi modo ad celebritatem tui nominis addere quidquam vox noſtra poteſt. Equidem me tuarum virtutum praedicatorem ſemper eſſe voluiſſe, tuumque judicium cum in omnibus rebus, tum in civili ſcientia magni ſemper feciſſe, multis meritiſſimiſque argumentis, ſi opus ſit, probare poſſem. Unum illud eſto (nec tu hoc ignoras) quod in hac prenſatione id maxime egerim, ut tu cauſae noſtrae ſuffragarere. Caeterorum quidem ſtudia, ut par eſt, in hoc officio expetivi: nihil autem ſine conſilio egi tuo. Mediocria homo mediocris ſperavi; ſumma nec concupivi unquam, nec deberi mihi exiſtimavi. Et tamen ego ſum ille arrogans petitor, qui non ferendis cogitationibus pectus impleam, qui me unum & litteratum, & juriſconſultum jactitem. Cur igitur non primas partes mihi depopoſci? cur non eas ſaltem, quae aliis aliquando mandatae fuerunt, quos & aetate nunc ſupero, & caeteris forte rebus non ſum inferior? Sed haec tralatitia ſunt. Facile offendit amator, facile petitor. horum quaevis offenſiuncula pro crimine eſt. Quaeſo D. Cunaee, exue, ſi quam habes, iſtiusmodi ſuſpicionem, & priſtino tuo ſtudio & amore me

com-

compleɛtere, ut non minus velle te mea cauſa, quam poſſe exploratum habeam. Memoriam hujus beneficii ſemper conſervabo. Illud porro omni cura & diligentia me effeɛturum bona fide promitto, ut, ſi unquam Spartam iſtam naɛtus fuero, vos ipſi judicare poſſitis, non minus in me eſſe praeſidii ad eam tuendam, quam ab aliis expeɛtatum fuit, quibus ante me eaedem partes tributae fuerunt. Officiis vincam expeɛtationem omnium: nec unquam committam, ut obſervantiae aut tibi aut Dominis Collegis tuis debitae minus ſatisfacere dici merito poſſim. Vale. Hag. Com. xv. Kal. Sept. MDCXX.

Nihil reperio in Aɛtis Academicis hujus anni, quod *Vinnium* ſpeɛtet. Sed hoc eodem anno *Bernh. Sutholtius* petierat, ut liceret ſibi feriis canicularibus publicas in Jure leɛtiones habere, quod conceſſum; ſed cum tempus ſibi prorogari poſt ferias poſtulaſſet, negatum. uti etiam, cum petiiſſet, ut ſibi praeſidere in Juridica diſputatione liceret, facultas non data fuit. Conjicio vero aemulos fuiſſe *Vinnium* & *Sutholtium*. *Vinnius* vero, cum privatis Scholis Leidae inſtitueret juvenes, nec ex voto ipſi ſuccederet prenſatio Profeſſorii muneris, Hagam conceſſerat, ibique Gymnaſium rexit, vid. mox epiſt. CXXVII. donec An. 1636. Leidae Juris profeſſionem eſt conſecutus. Videtur autem ex hac epiſtola de *Cunaeo* male opinatus fuiſſe, quaſi ille magis Humanitatis ſtudiis addiɛtus, Juris Romani prudentia cederet aliis, qui ſe totos illi ſtudio dedunt. Quae quotidiana Legulejorum, & qui ex compendiaria & jejuna Jurisprudentia quaeſtum captant, calumnia nondum exolevit. Magis vero *Sutholtio* faviſſe *Cunaeum*, quam *Vinnio*, ex epiſtolis ad utrumque ſcriptis facile expendenti verba patebit.

EPISTOLA CXXIV.

ARNOLDUS VINNIUS

D. Petro Cunaeo JCto.

S. D.

Leidam.

RUmoris neſcio quid afflaverat, vir clariſſime, primo quoque tempore ſucceſſorem D. *Swanenburgio* deſignatum iri: eamque ob cauſam DD. Curatores intra paucos dies iterum conventuros. Etiam in ſpem veneram fore, uti aliqua noſtri ratio haberetur, propterea quod ex non-

nonnullis audiveram, honeſtam ſuperiore conventu mei mentionem factam fuiſſe. Sed lentius res procedit, quam vellem. Quaeritur vir omni exceptione major. Recte quidem atque ordine. Sed quid audio? ἄτιμοι Ἀθήνησιν οἱ αὐτόχθονες. Extra Atticam itur. Quae Regio aut quae gens illum dabit Hectora vobis? Gallia, inquies, aut Germania: nam Alpes quidem aut Pyrenaeum ſaltum neminem tranſiturum. Quam vellem, vir clariſſime, nihil me molitum eſſe. Rectius conſuluiſſem exiſtimationi meae, qua ſalva nunc mihi videor repelli non poſſe. fortaſſis παρὰ λόγον. Sed ignoſce quaeſo aegritudini. Metuo, ne qua mala avis jam ex Gallia aut Germania advolaverit. Biſne ergo repulſam? ἀπ' ἄκρου ἄγγελος ἔλθοι. Quamdiu tu me ſperare juſſeris, animum non deſpondebo. περὶ μετιόντων τῶν ἡμεδαπῶν ut ſecurior ſim, tibi maxime acceptum fero. Obſecro te, etiam reliquam ſolicitudinem mihi exime. Potes quidem certe. Quid enim tu non poſſes, ὦ ἄριστε Ἀχαιῶν; Adnitere modo, & conatus noſtros, ſicut adhuc feciſti, porro adjuvare ne deſine. Deum teſtor, vir clariſſime, te eſſe unum maxime, cujus fidei meque remque meam committo: cui etiam, voti compos ſi unquam fiam, maxime & agam gratias & referam. Hoc ut tibi certo perſuadeas, etiam atque te rogo. Vale. Dat. Hagaecomitum IV. Idus Decemb. CIↃIↃCXXX. Commodum haec ſcripſeram, cum ad me nonnihil venaticae carnis Eindhovio à fratre meo praefecto arcis venit. Ejus te participem fieri volui. Accipe, quaeſo, hoc a me φίλιον. Iterum vale.

EPISTOLA CXXV.

PETRUS CUNAEUS

D. Arnoldo Vinnio

S. D.

Hagam.

Conſtitueram Hagam venire ſuperioribus diebus, ac coram gratias tibi pro muneribus tuis agere, Clariſſime Vinni, ſed negotiis quibuſdam impeditus deſtiti a propoſito. Quare quod unum reſtat, epiſtola hac tibi profiteor plurimum me debere humanitati tuae, quam demereri porro officiis omnibus, quibus potero, etiam atque etiam cupio. Quod peregre Germanum aliquem aut Gallum quaeri ſcribis, audiveram ab aliis quoque, ſed haud certo ſciebam.

Multo

Multo tutius indigenarum ingeniis fiditur, quorum ante perſpici & cognoſci virtus poteſt. Et fieri interdum ſolet, ut qui ex longinquis oris magna omnium exſpectatione accerſiti ſunt, ubi advenerint, & publice dicere coeperint, turpiter ſe dent, atque omnino repraeſentent χῆμα παρ' ὑπόνοιαν. Equidem ego, etſi veriſimile erat id agi, ut tentaretur exterorum aliquis, nunquam tamen vel leviſſima animi ſignificatione obnitendum duxi, ne aut cujusquam virtutem formidare, aut plus praeſidii in aliorum comparatione, quam in mea mihi diligentia, cura, atque ſtudio reponere viderer. Caeterum ſi eorum, qui foris quaeruntur, nemo venturus ſit, cur tantopere animum deſpondeas, non video cauſam. Quoties enim de his, qui muneri huic ſe offerunt, ſermo incidit, inter primos te memorari, ac de praeclara doctrina tua bene atque honorifice exiſtimari intelligo. Enimvero, cum plures eſſe video, qui hunc locum appetunt, e quibus ſunt quidam mihi amiciſſimi, illud ſemper temperamentum ſervabo, ut neque pro ullo proceres noſtros prenſem, neque adverſus quenquam moliar aliquid, ſed judicium meum, ſi id forte flagitetur, efferam libere, ac virtutem cujusque & merita agnoſcam ex vero. Vale, Vinni clariſſime, & me tui perquam amantem crede. Lugduni Batavorum 22. Decembr. 1630.

EPISTOLA CXXVI.

PETRUS CUNAEUS

D. Rocho Honertio

S.

Hagam.

VIr Ampliſſime. Venit ad te *Bernardus Sutholt*, Juris Doctor, qnem D. *Cornelius Brederodius*, Foederatorum Ordinum ad Germanos Principes legatus, noſtratibus compluribus, amicis ſuis, commendavit. Is etſi ad tuam humanitatem, ultro omnibus, non tantum eruditis, ſed & eruditorum amatoribus obviam, aditum capeſſere poterat ſine parario, voluit tamen, qua eſt modeſtia, meas literas ad te deferre: quas negare illi non potui, ne cogerer fateri minus mihi juris eſſe apud te, quam ille exiſtimabat. Accipe ergo hanc non commendatricem, ſed nomenclatricem epiſtolam; teſtimonium ipſe multo certius de ſe praebebit. Rogo autem etiam atque etiam, ut de eo tem-

tempore, quod ſtudiis tuis reſervaſti, aliquam partem hujus colloquio non male impendi arbitreris. Vale, Vir Ampliſſime. Lugd. Bat. 1. poſtridie Calend. Junias. 1620.

EPISTOLA CXXVII.
PETRUS CUNAEUS
Rocho Honertio
S.

Hagam.

VIr Ampliſſime. Niſi antea ſemper credidiſſem, ſummam eruditionem tuam, quaſi lumen aliquod, in ſanctiſſima curia veſtra elucere, poteram vel nunc ita exiſtimare, poſtquam tuum de * *Frederico Lindenbrogio* judicium mihi tuum ſignificaſti, quem ego autorem tibi non aliorum praedicatione commendatum, ſed perſpectum penitus perlectumque ex certo animi ſenſu mirifice placuiſſe intelligo. Quare quod voluiſti, ut de illo ſententiam meam ad te perſcriberem, etſi feceris magis pro humanitate tua, quam quod ita neceſſe eſſet, cum in literarum atque in juris noſtri cognitione nemini plus credere, quam tibi ipſi debeas, tamen quoniam nihil tam promptum tibi paratumque eſſe cupio, quam in omnibus rebus, quas deſideres, ſtudium, operam, atque induſtriam meam; ſumpſi mihi aliquantum temporis ad illuſtrandum etiam atque etiam pleraque, quae in barbaras illas leges exquiſito & cultiſſimo commentationis genere ſcripſit autor ille: &, ut circuitione non utar, vehementer probavi. Deprehendi in eo antiquitatis Roma-

* Egregium hac epiſtola *Lindenbrogii* doctrinae & meritis teſtimonium dat *Cunaeus*, cujus rationem hîc habitam eſſe ignoraſſe videtur diligentiſſimus *Wilerius*, qui nuper inter illuſtrium Hamburgenſium vitas etiam *Lindenbrogiorum* edidit, Teutonica lingua; quae ſumma diligentia ex ſcriptis, & praecipue Epiſtolis doctorum virorum collectae, docere poſſunt, quantum utilitatis ad Hiſtoriae literariae peritiam ex Epiſtolarum editionibus redundet. Plura edere meditabatur vir induſtrius, Urbis Hamburgi Archivarius, ſed hanc ſpem occiſam eſſe ſimul cum ejus morte, quam proximi anni menſe Octobri obiiſſe ad me perſcripſit vir omni eruditionis & humanitatis laude celebratiſſimus, *Joh. Chriſt. Wolfius*, cujus amicitiam mihi; cum nuper Leidae verſaretur, & Bibliothecae publicae ſcrinia excuteret, conciliatam eſſe gratulor & triumpho.

manae, Graecaeque, atque omnis rei literariae maximum uſum: juris vero legumque ſcientiam ejusmodi, quam in paucis admireris. Niſi omnia me fallunt, manebit ſcriptum illud perenne plus uno ſeculo. Et tamen non ſtat his finibus commendatio nominis ejus. Nam & in titulos aliquot codicis commentarios confecit. Et praeterea Ammianum Marcellinum, Statium Papiuium, Terentium, Heliodori Æthiopica, Hieronymum de SS. Trinitate, Hiſtoriam Longobardorum Pauli Diaconi, & aliorum, tum & Epicteti Dialogum, ac M. Valerium Probum Grammaticum de notis Romanorum, & poſtremo Virgilii Catalecta cum obſervationibus edidit. Haec ego omnia, ubi otium fuit, inſpexi, & ubique eundem eruditionis genium nativum vividumque reperi. Plane uti animum gerat ſupra populares ſuos Germanos, quibus hominibus ferme nunc ſumma laudis eſt oſcitari in apicibus neſcio cujus oſtentatoriae doctrinae, eaque ſcripta quotidie evulgare, quae lentore & frigore ſuo nihil aliud cordatioribus, niſi gravedinem & tusſim ferant. Patria illi Hamburgum eſt, ubi honoribus, gratia & autoritate floret, interque eos, qui civitatem conſiliis regunt, primum locum tenet. Viderunt illum e noſtris quidam ſuperiore anno hac tranſeuntem, cum a magnae Britanniae rege rediret, ad quem ab Hamburgenſibus, atque ab aliis foederatis civitatibus reipublicae cauſa miſſus erat: Idque munus identidem apud alios Principes obiviſſe, magno civium bono, dicitur. Annus jam eſt viceſimus & tertius, ex quo cum fratre *Henrico*, Ducis Holſatiae nunc Bibliothecario, vitam in diſciplinarum ſtudiis egit in hac Academia, ad quam ſi remeare nunc profeſſionis Juridicae cauſa vellet, nae ille ordini noſtro ingens lumen adferret. Et certe, cum apud animum cogito, quantum cura, prudentia & ſedulitate veſtra, atque inſuper Illuſtriſſimi Principis literis, & intercesſione effici poſſit, nihil deſperare audeo. Sed e diverſa parte metus rurſus, ne homo, civitatum negotiis, & reipublicae regundae aſſuetus, recuſet ex illa luce in hanc umbram deſcendere, quisquiliasque antinomiarum ruſpari, & pedibus fimum ſcalpturire, unde nullum granum eruitur. Accedit illud inſuper, quod qui intelligunt, quam honorifica & fructuoſa apud Germanos juris civilis ſit profeſſio, ii haud ignorare poſſunt, omnia Leidae diverſa eſſe. Utique antea quidem ita comparatum fuit, ut apud eos, quibus commiſſa rerum Academicarum cura fuerat, nullus ordo neglectior

N con-

contemptiorque, quam noſter, fuerit. Certum autem eſt, eo impendi laborem, unde emolumentum & honos ſperetur, nihilque a quoquam expeti, niſi cujus fructus antea providerit. Quae ſi quis neget defuiſſe inſigniter per ſuperiorum temporum labem, is ejus rei documenta clariſſima haec habeat, quod & ante e noſtris unus ſui muneris pertaeſus ad ferulam, & ad ſcholae regimen ſe redegerit: & nunc cum locus honeſtus, Inſtitutionum profeſſio, vacat, nemo quisquam ambire dignetur, praeter * ludi magiſtrum, cui ſcholae negotium male procedit. Sed enimvero poſtquam ex reip. inſtauratione etiam Academiae mutatio quaedam coepit inceſſere, rectius ominamur. quippe identidem obverſata cogitationi noſtrae eſt Cornicula Capitolina, quae meliorum rerum exſpectatione

Eſt bene non poterat dicere, dixit erit.

Cujus hercle ſpei ac voti fiduciam & robur aſſumpſimus, poſtquam te, Summe Senator, virum juris omnis conſultiſſimum, &, quod caput rei eſt, decoris publici apprime ſtudioſum, accepit Academia Curatorem. Itaque omnino fore exiſtimamus, ut ordini noſtro ornamenta ſua redeant, atque ut tales collegae nobis adjungantur, qui non minus dignitatis huic muneri concilient, quam ex ipſo accepturi ſint. Quod ego re per dextram tuam, per quicquid tibi charum eſt, obſecro & obteſtor, ut quibuscunque modis opus erit, efficere velis. ſi quid pro me ipſe cuperem, verecundia praepediret, quam haud velim cum omni eruditionis laude commutare. Nunc cum cauſam publicam ago, fidenter peto, ut hac in re ſtudium nobis tuum, operamque commodes, utque ita exiſtimes, magnam tibi & collegis tuis, Viris nobiliſſimis, ampliſſimisque occaſionem obtigiſſe, qua ſalvam ac ſoſpitem juris prudentiam ſiſtere in ſua ſede liceat, atque ejus rei fructum percipere, quem petitis, ut dicamini optimi ſtatus Autores. In fine illud adjiciam, ſi rogationi meae, quam pro Academia facio, locum apud te eſſe intellexero, meum erit, viciſſim efficere, ut in te ingens praeſidium ſcientiae legum jurisque fuiſſe, & nunc intelligant homines, & in poſterum memoria teneant. Vale, Senator Ampliſſime, & me, ut facis, ama. Lugd. Bat. 21. Januarii. 1620.

EPI-

* *Arn. Vinnium* puto, qui Hagae ludo literariae hoc tempore praeerat, Vid. ad Ep. CXXIII. alter an *Cornelius Sylvius* ſit, certo non ſcio, ſed credo tamen.

EPISTOLA CXXVIII.
ROCHUS VANDEN HONERT
Petro Cunaeo.

Leidam.

ACtutum ſcire te volui, habita eſſe ante meridiem de capite tuo comitia; cum enim nobis eſſet renuntiatum, illuſtriſſimos Selandiae ordines, de ſupplendo Senatorum in noſtro collegio numero, acturos: placuit, ne, re non integra, obtruſum nobis aliquem conquereremur, incommodum illud praevenire. Solennem igitur morem ſequuti, nomina quinque Jurisconſultorum obtulimus, ex quibus unus eligi debeat: in illorum quoque numero te imprimis, cujus utinam nomen caeteros antecedat. Ne autem quorum juxta te ratio eſt habita, ignores; nominati ſunt *Moermontius* Dominus de Zuytlant, *de Jongh*, uterque Zuricaeus: *Crom-om* praeterea, & *Boreel* advocatus collegii Orientalis Indiae. Religioſiſſime hac in re nos agere dubitare te nolo: cum tamen ſcirem ſaeculi noſtri ambitionem tua etiam intereſſe judicavi, ne ab iis praeoccupareris; quorum fortaſſis in hoc negotio cum quibusdam major eſt conſuetudo. Nolim tamen, honeſtiusque tibi futurum eſt, ne quis haec a me tibi manifeſtata reſiſcat: tuaeque adeo hoc fidei committo. Dominos Ordines Selandiae in proximam ſeptimanam conventum indixiſſe audio. Vale, & num has receperis, fac ut ſciam. Dat. Hag. Com. 21. Jul. 1626.

EPISTOLA CXXIX.
PETRUS CUNAEUS
Rocho van Honert

S. D.

Hagam.

PRiores tuae litterae, vir ampliſſime, quas 13. Septembr. ad me dederas, ſpem mihi fecerant adventus tui, neque quidquam jam magis cupiebam, quam ut tenuem noſtrum larem viſeres, &, cujus animum pridem occupaveras, ejus tandem aedibus & hoſpitio utereris. Sed fruſtra me fuiſſe video & dolui. Quare quod factum non eſt, id

ſaltem in poſterum fieri, quoties Leydam venire dignaberis, deſidero. Quod quidem profecto magna fiducia, atque etiam jure quodam a te petere nunc audeo, poſtquam filium tuum, cariſſimum amoris tui depoſitum, apud me eſſe voluiſti. Eum porro quod ita operoſe mihi commendas, ſupervacuum eſt. Nihil enim comminiſci poteris, quod ſponte & ſedulo facturus non ſim, ſi ita porro ſemper, quemadmodum nunc coepit, juri noſtro litteriſque operam dabit. In Zelandia nondum de Senatore veſtri ordinis conſtitutum aliquid certi erat. Quod plane praeter opinionem meam evenerat. Credideram enim fore, ut in iis comitiis, quae recens habita ante adventum meum erant, finiretur hoc quidquid eſt negotii. Ni ita exiſtimaſſem, profectionis abjeciſſem conſilium, ne veniſſe ambiendi cauſa viderer. Quanquam certe eam ſuſpicionem facile amovi, poſtquam a quibuſdam e procerum gente liberaliter & honorifice acceptus, nihil tamen petii. *Manmaekerus* pro jure Principis nitebatur, a quo eligi oportere contendebat unum e tribus, qui rite deſignandi Ordinum ſuffragiis forent. De ea re diu diſceptatum eſt, & amplius deliberandum ſequentibus comitiis videbatur. Inter *Moermontium*, *Juniumque*, & *Boreelium* omnis concertatio eſt. Vale, vir ampliſſime, cum lectiſſima uxore, cui plurimam ſalutem dico. Lugd. Bat. 20. Septemb. 1626.

EPISTOLA CXXX.

ROCHUS VANDEN HONERT

Petro Cunaeo.

Leidam.

NUlla mihi fuit occaſio conveniendi Dominum *Somerſdyckium*, *Pauvio*que fuit. Ego cum eo liberaliter de Hebraicae Linguae in illuſtriſſima hac Academia neceſſitate: qua in re cum illi mecum facile conveniret, de *Buxtorphio* juniore ſermonem injeci. neque quicquam quod ad ejus perſonam pertinere videbatur omiſi. Ille & ſuam mentem & voluntatem manifeſtabat erga virum optimum; ſed & anguſtias aerarii cauſatus, neſcio quid de *Golio* interfatus, huc tamen inclinare videbatur, ut de *Buxtorphio* cogitandum eſſe fateretur. De comitiis, quae extra ordinem indictum iri putas, nullam mentionem fecit. Illud me

me monuit, de quo nihil inaudiveram, etiam de ſucceſſore ſibi dando cogitari, idque inter articulos, de quibus Domini Ordines deliberaturi ſunt, comprehenſum eſſe, & ad Civitates relatum. Non fuit mihi otium inquirendi, ecquid ea de re actum ſit. Quo tamen Leydenſes tendant facile animadverto: nempe ut Curae tempus ad triennium redigatur, ita ut e tribus curatoribus ſingulis annis ſinguli mutentur. Quod eorum conſilium neque probare ego poſſum, neque id aut vos, aut ejus rei experientes probaturos unquam certo ſcio: multum denique illis, niſi fallor, moleſtiae exhibebit. ſed ipſi viderint. Ego ſi qua in re Academiae, quam tanquam matrem meam amo, conſulere potero, & requiſitus & non requiſitus, officioſiſſime id praeſtabo. Filium meum tibi commendatiſſimum eſſe volo. Si his feriis aegritudinem ex ſtudiorum moleſtiâ contractam apud me ad aliquot dies lenire placet, ſumma me affeceris voluptate; hoſpitem certe promitto, qui tanti amici adventum, in partem ſuae felicitatis ſit imputaturus: cum de te loquor, puto te intelligere, uxorem etiam tuam vocari. Forſitan & hoc ad promotionem vocationis Buxtorphianae aliquid faciet; erit enim tum occaſio ea de re cum Domino *Somersdykio*, quantum placuerit, agendi. Vale, doctiſſ. Domine, & ſi quid nos amas petitionis nos tam aequae compotes effice. Dab. Hag. Com. 23. Decemb. 1626. Dominus *Pauwius*, quod omiſeram, a me petebat, ut prima commoditate ſuper Buxtorphiano negotio etiam cum D. *Sommerſdyckio* agerem, ego non negligam, ſi quid hac in re prodeſſe potero.

EPISTOLA CXXXI.

PETRUS CUNAEUS,

Rocho Honerdo.

Hagam.

Quod alii officioſis ſalutationibus, Vir ampliſſime, coram faciunt, qui te cottidie nunc adeunt, id ego per epiſtolam hanc abſens agam, ne tempora tua morer, quae haud dubie negotiis Reipublicae noſtrae impendis. Reditum tuum non tam tibi, quam nobis omnibus & patriae noſtrae, gratulor, cum ex ea Legatione, cujus caput atque princeps eras, redditus tandem nobis es poſt longam ſollicitamque omnium exſpectationem. Enimvero etſi ho-

norem hunc tibi jure meritoque ab Illuſtriſſimis Ordinibus delatum gaudebam, propterea quod publice intereſſe exiſtimabam, ut ſpectata illa tua maximis rebus prudentia finem aliquem tanti & tam difficilis belli inter cognatos reges inveniret, ſaepe tamen, ut debui, caſus humanos & incertos eventus valetudinis tuae, & naturae communis fragilitatem in tam longo itinere, atque inter gentes pene barbaras extimeſcebam. Quò mihi jucundius gratiusque fuit, ex filii tui literis & proſperum adventum tuum incolumitatemque percipere, & ſimul de negotiis a te geſtis ea ſummatim intellexiſſe, quae Legationem veſtram nec infructuoſam eſſe, & pacem non omnino deſperari ſignificant. Utique quidquid ex ea re commodi ad Rempublicam noſtram redundabit, id omne iis ſapientiae dotibus, quas in te collegiſque Tuis Deus collocavit, acceptum feremus. Vale, Vir ſumme. Lugd. Bat. xv. Junii CIↃIↃCXXVIII.

EPISTOLA CXXXII.

ROCHUS VANDEN HONERT

Petro Cunaeo.

Leidam.

DOctiſſime, conſultiſſimeque Domine. Hodie literas a filio, 20. Decemb. datas Genuae, recepimus: quibus ſe plenae libertati, a ſummo Romano Pontifice reſtitutum ſcribit: ſeque & fidejuſſorem, quem dederat, cautione liberatum. Quod ego pro beneficio ejuſmodi accipio, ut ſi eum a latronibus, aut piratis dimiſſum audirem. Etſi enim Religionis noſtrae cultus, pro haereſi ab iſtis habendus eſſet, cum inter nos tamen commerciorum libertas; & commeandi utrimque facultas permittatur, quo jure hominem adoleſcentem retinere potuerint, non video. nullo praeſertim, ut hoc genus monſtrorum loquitur, quod Dominicanos appellant, ſcandalo verbis, aut re dato. Spero eum propediem domum reverſurum, id enim ſibi in animo eſſe diſertis verbis, & ex mea ſententia ſcribit. Piget me moleſtiarum, & aegritudinum, quas ejus cauſa ſuſtinui. Ego ipſum Romanum Pontificem, ne totam quidem Romam tanti facio, ut vel unius noctis inſomnium, cum ejus ſemeſtri aſpectu poſthac permutari velim. Dii deaeque omnes Porcos iſtos, & Thuſcae glandis apros, hoc eſt monachos, mille potius crucibus affigant, quam me

me ulterius ſollicitum teneant: & tanqnam fato Meleagrio abſentem exurant. Unum eſt, quod in tota hac re, aliquomodo mihi oble&amento fuit; animadvertiſſe ſcilicet, parem bonorum omnium promptitudinem & ſtudium, me in hac calamitate adjuvandi: de iis loquor, a quibus res civiles adminiſtrantur. Nam inter Theologos, ne unus quidem fuit, praeter Dominum *Walaeum*, qui me ullo conſolationis modo eſt dignatus. quod tamen ab illis erat expectandum mihi: aequum namque erat in afflictione patrem poſitum, quae illi ab educatione filii in Religione orthodoxa ſupervenit, ſpirituali aliqua recreare allocutione. Sed ego haec inter nos ridendi cauſa: nam illi tam pium educatorem eodem forte habent ordine, quo Genuenſes filium, pro haeretico accuſatum. Verum de his ſatis. Curatorum mutandorum deliberatio omiſſa eſt: aut potius ad proxima comitia remiſſa. *Sixtus* noſter inter nominatos ad Rationum publicarum cognitionem Principi oblatus eſt. Nos eum, & nonnulli amici ſatis ſerio commendavimus: eventus in ambiguo eſt. tanta quippe competitorum ejus eſt importunitas, ut de gratia noſtra ſubvereri prope cogar. quod tamen ut faciam, ominis cauſa, mihi perſuadere nolo. Salutant Te & uxorem tuam familiares noſtri; utque cauſa filii noſtri, nobis gratemini, optamus. Doctiſſ. atque Conſultiſſ. Domine, Domino opt. max. te commendo. Vale. tert. Kalend. Febr. 1632.

Ignoſce literis a feſtinanti factis: etſi enim ante biduum ſint inceptae, hodie tamen, hoc eſt Kal. Feb. ut plurimum eas pertexui; ipſa interruptione etiam neſcio quid inaequalitatis in ſtilo ac re ipſa cauſante.

EPISTOLA CXXXIII.

PETRUS CUNAEUS

Rocho vanden Honert

S. D.

Hagam.

NObiliſſime & ampliſſime Senator. Quod epiſtola tua mihi ſignificas de Theologis iſtis, bene mones. Etſi enim nihil hactenus illis de ea re dixi, conſtitueram tamen per occaſionem apud eos non diſſimulare, quam mihi diſplicuiſſet haec eorum ceſſatio in eo officii genere, quod ab

eis maxime exſpectari poterat. Nunc, quoniam ita vis, ſilebo, & eos moribus ſuis relinquam. Quod functionem annui iſtius muneris mihi gratularis, pro inſigni tuo in me amore facis. Ego, qui pridem eo honore delectabar, nunc eum ex animo averſor. Ea eſt Academiae, & rerum, quae ſe hic offerunt, conditio. Alias ſi eam dignitatem appetiviſſem, quid mihi antiquius fuiſſet, quam animi mei deſiderium exponere tibi, viro autoritate & gratia florentiſſimo, & quod caput rei eſt, apprime nobis faventi? Non putavi tamen per amicos quidquam contra faciendum aut deprecandum eſſe, ne forte ἀκκίζεσθαι & ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupere viderer. Sed nec credebam me commeruiſſe, ut a magiſtratu Leidenſi commendarer. Ac poſtremo exiſtimavi me ſatis tutum eſſe, quod duos adjunctos haberem Theologos, quibus me praeponi potuiſſe mirum eſt. De cognato meo D. *Sicxtio* pro ſumma competitorum contentione, non poſſum non eſſe ſollicitus. Dabis mihi veniam, quod literis meis cauſam ejus hodie impenſe commendaverim nobiliſſimo viro D. *Mylio*, quem & apud principem efficere plurimum poſſe, & meo rogatu multum facere velle, certus ſum. De Curatorum mutatione, ſi ita res eſt, non deſpero aliquid fieri poſſe; quod ſit ex voto noſtro. Certe operam dabo, quantum in me eſt. Vale, vir ampliſſime. Salutem officioſiſſimam adſcribi lectiſſimae uxori tuae liberisque juſſerunt uxor & ſocrus, Lugd. Bat. 7. Februarii. 1632.

EPISTOLA CXXXIV.

PETRUS CUNAEUS

Rocho vanden Honert

S. D.

Leidam.

NObiliſſime & ampliſſime vir. Filio tuo, lectiſſimae indolis ſummaeque ſpei juveni, quidquid operae ſtudiique promiſi, id omne libens meritoque exſolvam, neque quidquam ei apud me deerit earum rerum omnium, quibus promovere optimos ejus conatus poſſim. Utique ſi nihil apud me, niſi maximi parentis merita obtenderet, haberet me ſui ſtudioſiſſimum amantiſſimumque. Nunc cum etiam inſita quadam animi virtute ad omnem laudis doctrinaeque excellentiam contendat, habet ex ſe ipſe quod

quod mirum in modum aeſtimem amplexerque. Domino *Mathenesio*, dum ad VIII. hujus menſis apud nos eſſet, rem omnem expoſui, quae in fine epiſtolae a te attingitur, dixique omnia, quae Profeſſorum ordo ex publico Academiae bono deſiderat, flagitatque, & quam noſtra omnium interſit in hac Curatorum mutatione atque ſurrogatione, reddi tandem nobis eum virum, cujus auſpiciis ductuque vires ſuas & decus recipit Academia noſtra. Dixit ille ſe idem ſentire, & adfuturum in hac re noſtris votis. Conſulum & Syndici ſententiam non ſuſtinui niſi oblique tentare; Noſti quid ſpectare potiſſimum ſoleant, ampliſſime Senator, & quid agant; ſi ante comitiorum finem Hagam venero (nam ſolent haec in extremo fere tractari) faciam apud paucos quoſdam urbium Legatos quicquid potero. Quod triſtiſſimos illos caſus, qui familiam meam adflixerunt, dolueris, ex inſigni tuo in me amore eſt, & paene pars levaminis eſt, quod te ſolicitum habuerit noſtra calamitas. Ego ſummae Dei munificentiae acceptum fero, quod inter tot pericula me meoſque ad hunc uſque diem tutatus ſit, ne quid luis ultra ad nos pertingeret. Heri tamen ex alia longe cauſa maximus me invaſit maeror; Quippe inter quartam & quintam horam matutinam nutrix infanti, cum altius obdormiviſſet, interclusum uberum & brachiorum compreſſu ſpiritum extinxit, latamque culpam ac ſocordiam ſuam multis lachrymis multoque gemitu deprecata ex aedibus noſtris abiit. Acceſſerunt calente adhuc & livente puerulo vicini omnes & amici, ac funeſtum caſum doluerunt nobiſcum planxeruntque. Plura non poſſum. Vale, vir ampliſſime. Lugd. Bat. 15. Februarii 1635.

EPISTOLA CXXXV.
PETRUS CUNAEUS
D. Antonio Fabro, Praeſidi
S.

ADmirabilis eſt quaedam in noſtra Batavia tui nominis veneratio, ampliſſime Praeſes, amorque erga te ſingularis omnium cordatiorum, propter inuſitatam illam legum ſcientiam, ad quam te excellens natura tua, & ſumma ingenii vis armavit. Intelligunt enim, id quod res eſt, fato quodam hunc tibi eſſe exiſtimationis fructum reſerva-

tum, ut ſalvam ac ſoſpitem jurisprudentiam ſiſteres in ſua ſede, ejusque rei gloriam perciperes, quam petis, ſeculi ut noſtri Papinianus eſſes. Non vereor, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar. Nam neque tu is es, qui, quid ſis, neſcias; & nobis conſtat, eos potius, qui te non admirantur, invidos, quam eos, qui laudant, ineptos dici debere. Sed qui jam pridem illuſtres virtutes tuas impenſe colebam, diu tamen ſcire non potui, quo adfectu aut animo in eos eſſes, qui alloquiis aut literis teſtatam tibi facere obſervantiam ſuam cuperent. Cogitabam enim, ut fit, moleſtum tibi in ſummi muneris functionis fore, ſi reip. aut ſanctiſſimo Senatui veſtro aliquod tempus noſtra cauſa ſubtraheres. Caeterum mox, cum diligenter eos, qui iſtinc veniebant, percunctatus eſſem, omnes narrarunt id, quod prope divinum exiſtimavi, nihil eſſe te comius, nihil moderatius ad omnem rationem humanitatis. Ac tandem vero *Benjamin Auberius Maurerius*, Chriſtianiſſimi Galliarum Regis ad Reip. noſtrae Ordines legatus, vir excellenti dignitate, atque incredibili doctrina, & literarum ſtudio, ſponte ſua pollicitus eſt, omnino ſe effecturum, ut literae noſtrae tibi non injucundae forent. Itaque qui ſine tali ac tanto parario nunquam te audiviſſem, nunc id facere optimis auſpiciis ſuſtinui. Enimvero ſum is ego, Praeſes maxime, qui cum antea multam, & ſedulam operam in re literaria illuſtranda atque exornanda poſuiſſem, mox divinis ingenii tui monimentis excitatus, atque ad Juris civilis profeſſionem in hac Lugdunenſi Batavorum Academia traductus, te unum ob oculos mihi ponere, tuisque adhaereſcere veſtigiis praecipuum ſtudiorum meorum fructum judicavi. Utique, etſi nullum tibi adjicere incrementum noſtra poteſt opinio, neque ullum virtutum tuarum praemium dignum ipſis extra ipſas eſt, tamen ſi delectare magnorum hominum mentes haec cogitatio ſolet, quod reputent, ſe profuiſſe quam plurimis, libens meritoque nomen ego meum inter eos profiteor, qui omnia tibi debent. Idque ut & nunc intelligant mortales, & in poſterum memoria teneant, ſedulo etiam atque etiam efficiam in iis commentationibus, quas paro. E quibus prae caeteris maturare ſtudeo tractatum de juris & facti differentia, cujus rei ſubtilem eſſe diviſionem ait Imperator in L. *Donationes* 25. C. de Donat. int. vir. & uxor. Eum librum, ubi in lucem prodierit, ad te, Praeſes ampliſſime, JCtorum omnium prin-

principem, & dictatorem mittam; Nam libros quidem noſtros, de Rep. Hebraeorum, atque alios inſuper literarii generis commentarios ante a me editos offerre tibi non audebam, propterea quod peccare eos in publica commoda credebam, qui ſacras curas tuas vel paululum a jure civili ad alias res diverterent. Utinam vero, poſt exantlatos feliciter tot illuſtribus ſcriptis labores, conſummare etiam ea poſſes, quae noviſſime conſilio ſapientiſſimo ſuſcepta a te ſunt. Juris Prudentiam Papinianaeam & Rationalia dico. Cujus profecto incepti ea eſt in utroque genere utilitas, ut quod ſua aetate de Philoſophia ajebat Ariſtoteles, merito nunc de Juris prudentia liceat dicere, tantam paucis annis acceſſionem factam eſſe, certa ut ſit ſpes, brevi tempore abſolutam eam fore. Ad eam ego rem tibi annos de meis annis largiri, ſi liceret, cuperem. Nam ut te ſummus dignitatis apex, quem virtute duce, comite fortuna adeptus es, acquieſcere partis ante laudibus jubeat, id vero fieri poſſe haud opinor. Scis enim certe non debere te naturae injuriam facere, quae, poſtquam omnibus te dotibus cumulavit, ſuo jure exigit, ut univerſas ſibi repraeſentes; Et inſuper meminiſſe potes, haud eſſe ullam ſatietatem ejus gloriae, quae homini ingens adfert ſolatium mortalitatis. Enimvero, Divine Praeſes, cum & aetas noſtra oppido brevis ſit, & fortunae atque honorum iſta inſignia fere cum corpore cadant, ſola illa vita, quam ingenii nobilitate quaeris, ſacratum te in omnia ſecula poſteritati dabit, quae annis adeo non conſumetur, ut vires ſit ab illis acceptura, & tempore ipſo major meliorque futura. Multo autem minus frangere excelſi animi tui indolem illud debet, quod iniqua quorundam ingenia experiris, qui reprehenſione tui inclareſcere, quam rectiſſima inventa tua comprobare ingenua aſſenſione maluit. Utique ego quidem, cum eos video, ſaepe illud de te, ceu de Neſtore Homeri dixi, *ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.* Sed recedit rurſum ex pectore meo Indignatio, cum mecum reputo, neque illos ea nominis exiſtimatione eſſe, ut febriculoſa eorum ſcripta ferre aetatem queant, & veterem mortalium eſſe morbum, eminentes virtutes per invidentiam laceſſere, atque eorum affectare ſimultatem, quorum deſperant ſimilitudinem. Quare hos tu patres eſuritionum non alia re acerbius, quam contemptu vindicabis. Nam triumphum agere, res magnitudini tuae ingloria foret, cum vincere eos non minus facile poſſis, quam Hercules ridi-

ridiculos apud Philoſtratum Pygmaeos, quos ille omnes correptos leonis pelle involvit. Et novi ego ex illis quosdam, quibus unum hoc aegre eſt, quod, cum omnia tentarent, nondum hoc aſſecuti ſint, nominari ut a te contigerit. Equidem ego, Praeſes ampliſſime, ita velim de me exiſtimes, nihil mihi in omni vita prius aut carius fore, quam ut nominis tui aſſertor ſim acerrimus. Ejus rei etſi plurimos habebo ſive ſocios, ſive aemulos, tamen cupiam hîc, ſi quid valebo, primas tenere. Deus opt. max. te & filios tuos, virtutis paternae veras, ut audio, imagines, diu nobis & ſeculo incolumes ſervet. Lugduni Batavorum Calend. Februarii. 1620.

EPISTOLA CXXXVI.
PETRUS CUNAEUS
Joanni Onuphrio
Libero Baroni de Swartſenberch S.

GEneroſe Baro. Ex literis tuis, quas ſero admodum accepi, libenter intellexi, conſtantem eſſe te in ſuſcepto mei amore. Praeter opinionem iſtud erat, quod viderem te ſedem poſuiſſe Roſtochii: memineram enim, cum a nobis diſcederes, propoſitum tibi fuiſſe Marpurgum adire. Sed tamen quoniam triſtes Germaniae motus propoſitum tuum mutarunt, non poteras alibi melius ſtudiorum cauſa, quam Roſtochii, commorari. Nam & noſtrates complures novi, qui juris civilis ſcientiam illic mirum in modum feliciter aſſecuti ſunt, & Academias fere non urbium & vicorum nitor, aut amoenitas, ſed Profeſſorum nobilitat claritudo. Quod e doctoribus, qui illic ſunt, *Thoma Lindemanno* familiariter uteris, recte facis. ſed autor tibi ſum, ut & D. *Cotmannum*, & D. *Griphium*, eximia eruditione JCtos, in pretio habeas. Tum & rem gratam feceris, ſi D. *Griphium*, cum quo per occaſionem aliquando una hîc eſſe mihi contigit, meis verbis ſalutes. Puto peregrinationis fructum apprime magnum in eo poſitum eſſe, ut, ſi qui uſpiam ſint, qui laude aliqua & virtute praecellant, inviſantur atque compellentur: tum & ut in moribus cujuſque gentis, quid ſingulare & pulchrum maxime ſit, obſervetur, ut inde ſibi quiſque, ſuaeque reip. quod imitetur, capiat. Sed ad haec monitore opus non eſt tibi, qui jam pridem animo conſtituiſti, non ad oblectatio-

nem

nem hoc iter, ſed ad fructum, atque ad prudentiae uſum conferre. Ego, qui tui amantiſſimus ſemper fui, eodem animo in poſterum eſſe non deſinam, ac literas interdum tuas exſpectabo, ex quibus quid agas, aut ubi locorum ſis, & quibus ſtudiis oblecteris, certior fiam. Deus Opt. Max. Generoſe Baro, diu te incolumem ſervet. Vale. Lugd. Bat. pridie Cal. Quintiles. 1621.

EPISTOLA CXXXVII.
PETRUS CUNAEUS
D. Bernhardo Sutholtio
S. D.

Harderovici.

ORationem, qua profeſſionem tuam exorſus es, amiciſſime Sutholti, magna cum voluptate perlegi, & ſic omnino judicavi, eſſe eam egregium eruditionis tuae & ingenii monumentum. Quare & pro eo munere gratias tibi habeo, & recte, atque ordine te feciſſe exiſtimo, cum haec inſtituti tui praeclara auſpicia in lucem emiſeris. Sane ſi & conatibus meis, & tuis honeſtiſſimis deſideriis optatus eventus reſpondiſſet, jam pridem te nobis collegam habuiſſemus. ſed quod hactenus fieri non potuit, id ut tandem aliquando fiat, operam in poſterum etiam atque etiam dabimus. Fortaſſis autem commodius faciliuſque, & cum majore nominis tui exiſtimatione id impetrabimus abſenti, quod praeſens obtinere tot amicorum interceſſione non potuiſti. Caeterum, mihi crede, ad eam rem tempore opus eſt. Nam neque tibi decorum fuerit ſtationem eam, quam recens nactus es, e veſtigio deſerere, & nullum periculum eſſe puto, ne hoc anno alius quiſpiam, te praeterito, ad Inſtitutionum profeſſionem vocetur. Interim praeclara ingenii tui indoles in hoc loco tam illuſtri, atque in publico munere, magis indies magiſque inclareſcet. Quae res ad tui commendationem maximum habebit momentum. Quod ſi tamen Academiae noſtrae Curatores citius, quam nunc opinor, negotium iſtud urgere intellexero, certo ſcias omnia me ſedulo facturum, quae ab homine tui ſtudioſiſſimo amantiſſimoque expectare potes. Vale Lugd. Bat. 20. Julii 1622.

EPISTOLA CXXXVIII.

PETRUS CUNAEUS
B. Sutholtio
S. D.

Harderovicum.

BInas tuas literas accepi, vir clariſſime, quibus de *Barclaji* Satyra, quae Argenis appellatur, ſcribis. Eam ego nunquam vidi, nec prodiiſſe ſcio. Sed neque *Scriverius* noſter a me compellatus quidquam de ea re audiverat, tantum abeſt, ut clavis aliqua reperiatur, qua reſerare poſſis tam horribile arcanum. nunquam ego probare eorum conſilium potui, qui commendationem ſcriptis ſuis ex obſcuritate quaerunt, & res ſaepe frivolas ſub aenigmatum involucris tractant, ut vulgi admiratio excitetur, & pro magnifico habeatur, quidquid occultum eſt. Quod cum clariſſimo Viro Dn. *Pontano* multus es, gratulor tibi. Et ſi poteſt in candidum pectus livor cadere, etiam tibi invideo tantae rei fructum. Commentationes tuas, quaecunque a te prodibunt, avide exſpectabo, optime enim ſcio, quam ſint omnia praeclara ab iſto ingenio tuo exſpectanda. Quod nuper Leida abiiſti me inſalutato, non admitto quidquid praetexis cauſae: Cur enim excuſare, quam non peccare maluiſti? Non eram vates, ut divinare potuerim, quo momento venturus eſſes. At tu, ſimul ut veneras, abiiſti, vel, ut melius dicam, tantum veneras ideo, ut abires. Id ne fiat in poſterum tuum eſt videre. Non enim hoc erat pro amicitia noſtra. De profeſſione Inſtitutionum nihil conſtitutum adhuc eſt, &, ut opinio mea eſt, non ita cito quidquam decernetur. Vale, amiciſſime Sutholdi, & me ama Lugd. Bat. 5. cal. Februar. 1623.

EPISTOLA CXXXIX.

PETRUS CUNAEUS
Bernardo Sutholtio
S. D.

Harderovicum.

PRo munere, quod mihi miſiſti, gratias tibi habeo maximas, clariſſime Sutholti. Quid de commentationibus tuis judicem, non debes nunc a me reſciſcere, qui jam

jam ante ex pagellis, quas a te acceperam, tibi ſignificavi, quam bene & praeclare de hoc tuo inſtituto ſentirem. Illud recte feciſti, quod non Theſes, ſed diſſertationes inſcripſeris. Multa enim ſunt luculenta admodum, & non plebejae pulpae, quae mihi adeo placuerunt omnia, ut uno ſpiritu totum ſcriptum perlegerim cum ſumma non oblectatione tantum, ſed & cum admiratione induſtriae tuae & inuſitatae eruditionis. De lectionibus communibus per ordinum foederatorum univerſam ditionem decernendis, noviſſimo Curatorum conventu nihil fere actum eſt, quia nec D. *Honertus* aderat, & caeteris ſerio ac dedita opera de re maximi momenti pleniore conſeſſu proxime ad VIII. Novembris deliberandum videbatur. Ego interim ſedulo enitar, ut laudabili veſtrae voluntati, qua ſuccurrere cupitis labenti rei literariae, ſatisfaciam, atque ut intelligatis, idem nos vobiſcum & velle & facere. Sane ſi conatibus noſtris veſtriſque ſucceſſus non defuerit, ingenti beneficio demerebimur hoc ſeculum. Vale, vir clariſſime. Lugd. Bat. 27. Auguſti, 1623.

EPISTOLA CXL.
PETRUS CUNAEUS
D. Bernhardo Sutholtio.

VIr Clariſſime. Gratulor tibi ex animo amoris tui ſucceſſum, ac Deum Opt. Max. ſupplex rogo & veneror, ut matrimonium tibi laetum fauſtumque faciat, ac ex conjunctione tam auſpicata ſobolem nobis det, tali patre ac tam praeclaris virtutibus dignam. Gaviſus hercle ſum, cum ſilentii tui juſtam cauſam intellexi. Nam quid comminiſcerer neſciebam, neque ullo modo ſuſpicari poteram, excidiſſe tibi noſtri memoriam, aut quidquam imminutum eſſe de propenſiſſimo tuo erga nos adfectu. Cupio amicitiam noſtram quotidie in majus meliusque procedere. Certe niſi id fiat, in te culpa omnis erit. Me quidem promptum paratumque ad omnia humanitatis officia reperies. De profeſſione Inſtitutionum ita conſtitutum eſt, ut verbo tibi noviſſime ſignificaveram. Etenim praeter exſpectationem appetiit hoc munus curiae Hollandiae advocatus *Nicolaus Dedel*, qui & fratrem haberet ejusdem curiae Senatorem, & conſanguineos propinquosque numeraret multos ex Conſulibus aliiſque Magiſtratibus Leydenſibus. Is

caſus

caſus mirifice obſtitit votis tuis. Sed nondum omnium dierum ſoles occiderunt. Noſti quam facile occurrere praeclara aliqua occaſio poſſit, quae te in Academiam noſtram traducat. Equidem ego nullam temporum aut rerum opportunitatem negligam, ut tu tandem, quod & tu cupis, & ego ardentiſſime deſidero, conſequaris. Exſpectabo interim tractatum tuum de Juriſdictione, quem ego accuratiſſimum, &, ut ſunt omnia tua, incomparabilem fore auguror, ſi mihi otium eſſet, recognoſcerem ea, quae de juris & facti cauſis tumultuatim commentatus ſum. Nunc nondum vacat. Sed quocunque tempore id fiet, valde gaudebo, ſi te judice probabuntur quae ſcripſimus. Accepi his diebus literas humaniſſimas & amoris plenas a Cl. V. *Bacchovio*, quibus incluſa erat haec ad te * epiſtola, quam tibi nunc mitto. Vale V. Cl. & amiciſſime, & cum conjuge ſuaviſſima diu felix ac proſper vive. Lugd. Bat. 6. Novembris, 1624.

* Vide infr. Ep. CLIV.

EPISTOLA CXLI.

BERNHARDUS SUTHOLT

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

VIr Clariſſime & Conſultiſſime. Redditae mihi ſunt pridie hujus diei literae tuae, quae uti jam à multo tempore mihi cum deſiderio ſunt exſpectatae, ita me, ſupra quam credas, exhilararunt; idque hoc potiſſimum nomine, quod videam, ob mutatam à me religionem nihil te de priſtino in me affectu atque amore remiſiſſe. Si ea eſſent aequitate alii, jam Leidae tibi adeſſem, & veteres amicos reviſerem. Sereniſſimus enim Princeps meus comitem me eſſe voluit ejus legationis, quam ſuſcepit ad Potentiſſimos Belgii Ordines noſter Mareſchallus *Baro de Spieringh*, atque eo nomine poſtulavit mihi pridem commeatum tum a Sereniſſima Infante, tum & ab Ordinibus, & Brandeburgicis. Proceſſi cum legato noſtro Veſaliam, inibi expectaturus diploma a Brandeburgicis; ſed fruſtra fui. Ita enim iſtos homines in me aſperavit mutatio religionis, ut contra fas gentium commeatum mihi non erubuerint denegare. Hinc adeo turbatae ſunt multum res meae; deſtinatum

ſtinatum enim mihi erat per occaſionem hanc & amicitias veteres focillare, & ſimul conſummare in Belgio ſperatum diu matrimonium; quando vero fide publica ire non fuit datum, ingratiis debui Veſalia pedem retro ferre, inque tuta patriae hujus redire. Ne tamen per id ſperata mea relinquatur ſqualori & malis, queiſcum luctata per tempus eſt, impetravi à legato noſtro, uti paranymphus ſponſam meam e Belgio Duſſeldorpium ſecum abducat, una cum uno & item altero e cognatis ipſius, ut ita hîc & in leges matrimonii convenire, & totum negotium conſummatum ire poſſimus denique. Spero ſponſam ea in re obtemperaturam neceſſitati; ſi enim mihi in intima Belgii penetrare licuiſſet, non laboraſſem de illa evocanda; nunc quando per aliorum iniquitatem ita facto opus eſt, nollem ſponſam meam vel ſibi vel mihi deeſſe. Sed iſta jam miſſa facio. Quod videam, parum abeſſe quin credas, ambitione me vel lucri ſtudio alias partes ſecutum, id vero vehementer me urit. Haberem tibi reſpondere, Cl. Vir., quod S. Auguſtinus Secundino Manichaeo: *Si mihi accommodares credendi benevolentiam, quoniam latebras animi mei arguis, quas utique promere ad oculos tuos & demonſtrare non poſſum, facilè de ipſo mutares ſententiam.* Sed apud te, qui ingenium pernoſti meum, tanto minus debebam iſta ſuſpicione laborare: Si enim lucro metiri voluiſſem ſtudia, & bonis fortunae inhiare, elegiſſem aute multum tempus, cui me parentis etiam voluntas dudum deſtinarat, forenſe vitae genus, ut quod magis facit πρὸς τὰ ἄλφιτα. Jam vero ego & parentis & aliorum conſilio neglectim habito, Academicum vitae genus, utpote innocens & meo accommodum genio, elegeram, uti procul negotiis innocenter vitam agerem, nulli adverſus, & amoena ſtudiorum ſectarer, caetera ſecurus. Et jam tum, cum Catholicis mentem meam & conſcientiae abdita aperuiſſem, quidvis aliud cogitabam, quam ſtationem iſtam deſerere, & ſcholam aula permutare. Paulo poſt enim ab Archiepiſcopo Salisburgienſi ad Profeſſionem Pandectarum invitatus, vel ideo tam cupide ipſi operam meam, tempore mihi nimis importuno, addixi, uti ne ab Academiis, quae apud Catholicos in Germania ſunt rariores, abſtraherer, atque adeo cum longius locus iſte abeſſet, quam ut ſupellex mea ſine magno ſumptu & moleſtia eo tranſportari poſſet, magnam librorum meorum partem, non minimo damno, divendidi; ſed cum ſponſa mea nullis moveri poſſet rationibus; ut eo conce-

deret, neque mihi in Academia Catholica vicina temere pateret locus, paſſus fui, me in gratiam ſponſae in aulam detrudi, & ne jam quidem, licet in fragranti ſim apud Sereniſſimum meum gratia, & obvius mihi ſit omnium aulicorum favor, tantopere mihi probatur aula, ut in ea cupiam conſeneſcere. Neque deſpero, quin olim adhuc eadem nos ſit habitura Academia; nec enim adduci poſſum ut credam, ei, qui in antiquitate qua Eccleſiaſtica, qua prophana tam diligenter verſatus eſt, improbari poſſe religionem catholicam. In diſcurſu meo Coloniae nuper publice inſtituto, tria tantum attigi, nempe de Eccleſia, de judice controverſiarum, de moribus Eccleſiae Catholicae, quia illa capita, quod ingenue fateor, me moverunt potiſſimum; quae adduxi firmandae meae ſententiae ex S. Scriptura & ſanctis Patribus ſunt deprompta, ut qui haec accuſat, ipſum S. Auguſtinum & Cyprianum accuſet neceſſe ſit; neque ego videre poſſum, cur non vel eo nomine debeat cordato cuilibet ſuſpecta eſſe *Calvini* doctrina, quod ipſe eam quinque amplius a nato Chriſto ſeculis in Eccleſia viguiſſe affirmare audeat, impudentiae columen. Sed manum de tabula; nolim enim divergere ad diſcurſus minus gratos. Si licuiſſet tibi coram adeſſe, inſuſurraſſem tibi in aurem, de quibusdam magnis JCtis & fama & doctrina tibi notis, brevi in noſtra quoque tranſituris caſtra. Horum * eſt qui nuper inter caetera ad me ſcripſit in haec verba: *Quod attinet* (recito bona fide verba hominis doctiſſimi & tibi amiciſſimi) *doctrinam de purgatorio, invocatione*

* *Bachovium* intelligi puto, quem fluctuaſſe admodum in religionis negotio conſtat. a tranſitu ad Papiſmum infra ſe Cunaeo purgat Epiſt. CLVI. ſed ex Epiſtola CLXXII. defeciſſe tandem videtur: quamvis nihil certi de eo repererim nec ipſe *Gundelingius* in Otiis ſuis part. I. c. V. ubi de *Bachovii* vita agit, certi affirmare aliquid audet, niſi ex conjectura, quod à *Maximiliano* Bavaro Heidelbergenſi profeſſioni reſtitutus ſit; nec an obierit Pontificiae ſectae addictus, ſcire ſe fatetur. *Sutholdum* vero ejuraſſe ſacra puriora ſatis ex his literis conſtat. neque tamen meliori & feliciori loco res ſuas collocaſſe docent nos Miſcellanea Leibnitiana, ubi pag. 146. haec leguntur. *Sutholdus ad extremum conſiliarius Neoburgicus, pene pro fatuo & ad res tractandas inepto habitus eſt, rectiusque Daventriae Profeſſor manſiſſet: credo Harderovici* debuiſſe ſcribi, ubi Profeſſor Juris fuit, neſcio an & Daventriae.

ne ſanctorum, ſacerdotum caelibatu, jejuniis ſtatis, neceſſitate baptiſmi, meritis bonorum operum, libero arbitrio, &c. ſi abuſus tollas, & ut hodie à PP. Societatis explicantur, cum ab antiquiſſimis Doctoribus Eccleſiae ea probata videam, facile aſſenſerim. Et ſaepe deſidero frontem, & impudentiam miror Calvinianorum & Lutheranorum, quod Patres in ſuas partes trahere audeant, cum hoc unum agere videantur, ut nihil illis cum priſca Eccleſia ſit commune: & veteres Doctores omnes hic erraſſe, nunquam mihi patiar perſuaderi. Quod incepit Deus boni operis in iſto viro doctiſſimo, & in lectione SS. Patrum jam a multis annis verſatiſſimo, dignetur provehere ad nominis ſui gloriam. Ad juvanda juris noſtri ſtudia, Clariſſime mi, ego porro neſcio an quid conferre poſſim; neſcis enim quam ſit negotioſa vita aulica. Cancellariae ut glebae adſcripti ſumus; ibi continuamus quotidie horas octo aut amplius, & ſaepe occurrunt, quae vel tyro juris poſſit expedire, potiſſimum quae in facto poſita ſunt. Ecce quanta eſt iſta miſeria homini, ad alia nato & natura prono, & tamen exiſtimare quis auſit, iſtam me miſeriam redemiſſe cum cauterio conſcientiae; quin contra, certo tibi velim perſuadeas, Clariſſime vir, omnes iſtas adverſitates, quae mihi ob mutationem religionis obvenere nec paucae, nec leves, iſta me una re ſolari ſemper potuiſſe, quod ſim in gremio ejus Eccleſiae, extra quam nulla ſalus. Vale etiam atque etiam, vir auree, & patere me animam tuam quotidianis meis precibus Deo noſtro commendare, id quod facio ſedulo. Salutem adſcribo Clariſſimis Collegis tuis, quos, uti feci hactenus, & colo & veneror. Dabam propere Duſſeldorpii 4. Maji. 1616.

Qui has ad te perferet, Clariſſime vir, in aula quoque noſtra vivit, quem ad ſponſam juſſi ire, & meo nomine quaedam ei oretenus exponere, hic ſi quid porro de rebus meis tibi narraverit, fidem merebitur. Vale iterum, chariſſime, unanime (utinam fas ſit per omnia dicere) mi, & reſcribe propediem. Vale tertium, amice magne, & bene omnem rem age.

EPISTOLA CXLII.
PETRUS CUNAEUS
Cornelio Pynackero
S.

SCriverium tuum, poſtquam diu ab urbe abſuiſſet, ac bis vocatus eſſet, tandem ad me venientem ac ſedulo ſe excuſantem, non deſii etiam atque etiam monere, ut bonam fidem agnoſceret, nec pateretur judicio ſe ad id compelli, quod jam pridem facere ſponte ſua debuiſſet. Reſpondit ille, etſi praetextu debiti reſtitutio rei commodatae non probabiliter recuſari poſſit, tamen immitius ſecum, & inhumanius agi, quod in judicium vocetur, qui ipſe ex eadem cauſa ob Genealogiam quandam gentis *Scaligerae*, olim tibi commodatam, litem Tibi movere poſſit; quod ille ſcriptum ſibi fuiſſe chariſſimum, ac nunquam poſtea in his provinciis fuiſſe conſpectum, ait: neque tamen propterea tibi ullam moleſtiam ante factam à ſe eſſe, quod haec amicorum officia mutuis conſtare praeſtationibus exiſtimaret. Addidit inſuper, paratum ſe eſſe, ut Chronicon Hollandiae manuſcriptum, quo jam abunde uſus eſt, e veſtigio reſtituat. Caeterum in ſtatutis Voorniae quaedam adhuc reſtare, quae deſcribenda, aut certe diligentius inſpicienda ſint. Quare petere ſe ab humanitate tua, ut eum librum aut retinere adhuc aliquantiſper, aut certe pretio aliquo tolerabili emere a te poſſit. Rogavit porro me, ut haec tibi ſignificarem, antequam ulterius ſecum lege & judicio ageretur. Denique ſyngrapham ſe tibi daturum promittit, qua perpetuo commodatum repetere, ac tabulis obſignatis agere ſecum poſſis. Tuum eſt videre, vir ampliſſime, utrum judicio rem perſequi, an viam hanc leniorem, quae minus offenſae dare inter amicos ſolet, eligere malis. Me quidem conſultore ad ea, quae facturus ſis, nihil opus habes, cum nihil adferri poſſit, quod tibi ſponte cogitanti non occurrat promtiſſime. Sed tamen cuperem hoc quicquid eſt negotii cum bona veſtra gratia amice componi. Lugd. Bat. 28. Auguſt. 1623.

EPI-

EPISTOLA CXLIII.
HECTOR BOURICIUS
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

Literas tuas 24. Martii ad me datas doctiſſimus Vir *Martinus Wibinga* mihi reddidit, in quibus raras quaſdam eximiae in me humanitatis & benevolentiae notas deprehendi, atque animitus mihi ſum gratulatus de pectore tam candido & amico, quod ut hoc aevo rariſſime cuipiam obtingit, ita me perpetua quadam ſui veneratione devinxit. Ac, principio quidem, quod ad gratulationem attinet, de novo munere, quod cum honeſtiſſima profitendi Jus civile functione commutavi, amicas tibi, prout par eſt, gratias habeo: non ignarus eam eſſe genuinae amicitiae indolem & condicionem, ut non minus amicorum, quam ſuis bonis laetetur & applaudat. Et quidem, uti ſcribis, Eruditiſſime Cunaee, non contemnenda functio, in collegio Juſtitiae ſupremo aſſidere, & partium jura ex ore ſuffragantium Senatorum excipere, in acta redigere, & edicere pro tibunali, ſed haec omnia longe vincebat tranquillitas in ſtudiis anteacta, niſi me invitum quaſi & reluctantem ad expetendum hoc munus domeſticae rationes perpuliſſent. Cave enim credas, Ampliſſime Vir, illam eſſe temporum noſtrorum ſectam, aut morum in Friſia noſtra incorruptam diſciplinam, ut ſine petitione aliquod obtingat? Novercante enim fati neceſſitate ſuperiori aeſtate accidit, ut ſocero meo acerbiſſimum vulnus infligeretur, quod etiam conſtantiſſimum quemque de gradu dejicere ac deturbare potuiſſet, denata ſocru fideliſſima conjuge, & tot pignorum lectiſſima matre; adhaec domeſtica mihi orbitas, quam grandaeva mater ex obitu parentis mei, viri optimi, experitur, affectus uxoris & rerum quoque mearum ſtatus, Leoverdiam me ablegabant, natale ſolum, & quod alioquin Academiae lubens poſthabuiſſem; Itaque induci me paſſus ſum, ut peterem, ſed ea lege, ut ſtudioſe caverem, ne quid in legem ambitus committerem. Eſt enim, ut tu unus omnium optime noſti, longè aliud honorem petere ſuffragio aut fiducia virtutis, & quod caput rei eſt amicorum, aliud per ſordes & impudentiſſimas prenſationes ad magiſtratus eniti. Atque utinam quod tu auguraris, vir

Clariſſime, Friſii noſtri veram & incorruptam virtutem ſectarentur, minusque tribuerent favori, ſaepe per flagitium emendicato, in conferendis honoribus: id ſi fieret fallor, aut multos virtute & eruditione praeſtantes viros Reſpublica numeraret, nec videret Nonios ſubinde in Curuli; ſed haec hujus non ſunt loci. De Domino *Wibinga* quae adſcribis, ultro lubens illi mea officia, ſi quae ſunt, devoviſſem, niſi Ordines noſtri hanc petitionem matura vocatione praevortiſſent, deſignato mihi ſucceſſore Domino *Hoffmanno*, in Academia Heydelbergenſi, dum res & fata ſinebant, ordinario Profeſſore. Extorſerat quoque ſingularis modeſtia & eruditio * *Everardi Balck* Daventrienſis mihi praerogativam ſuffragii, ſed cujus petitionis ſpes jam decollavit. Itaque ſi quid de tertio fieri poſſit, cum ſocero agam diligentiſſime, non tantum ob id, quod populari favere aequum eſt, quem dotes quoque ſuae commendant, ſed quia tu, vir Ampliſſime, cujus amicitiae totum me offero (tantum abeſt ut quidquam negem) eum tam honeſto elogio & amica commendatione dignaris. Bene vale, Ampliſſime & Conſultiſſime Cunaee, atque ita exiſtima nihil eſſe, quod quidem a me aut meis proficiſci poterit, quod in tui gratiam non ſim paratus omni induſtria & contentione perficere. Leoverd. 3. Kalendas Apriles MDCXXIV.

* Hic Profeſſor Juris Hardervovicenſi in Academia fuit, & obiit 1. Mart. 1628. Vide *Revii* Daventr. lib. VI. p. 673.

EPISTOLA CXLIV.
HECTOR BOURICIUS
Petro Cunaeo
S. P.

Leidam.

QUod nuper conteſtatione quadam animi mei feci, offerendo tibi orationem funebrem, dictam a me honori & memoriae † Clariſſimi Collegae, illud nunc meliorem occaſionem nactus per ornatiſſimum Juvenem *Balthaſarum Thomae* Sileſium facio, ac me amicitiae tuae, Vir Cl. inſinuo; quam quemadmodum tacita quadam veneratione antidhac am-

† *Timaei Fabri* Juris Profeſſoris, qui obiit XIII. Kal. Octobr. CIƆIƆCXXIII. vide Valer. Andr. Bibl. Belg.

ambivi, ita uti inter nos bonis ominibus coiri poſſit, unice peto. Accedit huc hereditarium quodammodo vinculum amicitiae, quod cum *P. Regemortero* Viro, ut nobiliſſimo, ita mihi amiciſſimo contraxi, plane ut nullus dubitem, quin in communionem honeſti affectus ſis admiſſurus, quem tam conſtans jam ab olim cognati ſeu avunculi nexus copulavit. Paticris ergo hac in parte communem me quodammodo amicitiae hereditatem cernere; praeſertim cum accidat communium ſtudiorum par profeſſio, in qua quemadmodum anteiri me a tantis viris volupe eſt, ita non deſinam adlaborare, quamdiu amicitiam non extorſero. Ei rei teſtandae quoque alterum ocii mei argumentum mitto, orationem de Ambitu, qui utinam a Republica alioquin ſumma exularet, quam uti amice ſuſcipias te rogo, & me in amicos adlegas cujuslibet admiſſionis. Vale, Vir Cl. & Eruditiſſime, & me ama. Franekerae Kalend. Majis MDCXXIV.

EPISTOLA CXLV.

HECTOR BOURICIUS

Petro Cunaeo

S. P.

Leidam.

ACcepi literas tuas, vir Ampliſſime, & conſultiſſime Domine & amice honorande, meram benivolentiam ſpirantes & affectum, quo nomine maximas tibi ago gratias, tametſi enim nullus dubitabam, quin, quae tua erat jam ante mihi depraedicata humanitas, argumentum ſcriptionis meae ceu amicitiae oblatae teſſeram laeta fronte eſſes excepturus, tamen gratulatus ſum mihi illud, quod ultro venabar, tam feliciter ſucceſſiſſe, itaque inpoſterum tanti amici acceſſione auctus, non committam, ut aliquid, quod ad amicitiam conſervandam atque augendam pertinet, in me ſis deſideraturus. Quae autem tibi placuit in commendationem levidenſis iſtius munuſculi literarii addere, tametſi facile intelligo ex affectu proficiſci, nihilque in me agnoſco tali laude dignum, tamen ita interpretor, ut ſtimulum & calcar mihi addant, inoffenſo poſthac pede, in literario hoc curſu progrediendi: nec enim me latent, quam aut cura ſubactum, aut induſtria limatum & perpolitum eſſe debeat, quod hoc ſeculo tam docto & delicato, concoquendo aetatis noſtrae faſtidio par eſſe valeat. Ego, quod jam

ante profeſſus ſum, vir maxime, in te illas dotes animi & ingenii ſuſpexi, quibus jam dudum effeciſti, ut tam luculento omnium literarum inſtrumento dotatus, ſolus hac tempeſtate labantem juris noſtri politiem, & ad barbariem ſuam, quae illam peſſime ſuperiori memoria exceperat, properantem, cum laude qua par eſt, & ad genium priſcae diſciplinae ornare ac tractare poſſis. Itaque non deſperabo, amplius claſſico quaſi nominis tui excitus, aetatem in hiſce ſtudiis ponere, poſtquam conatus noſtros tenues & inconditos vobis, viris hujus ſeculi primariis, non omnino diſplicere intelligo, molior jam diu, materiam Legis Juliae de ambitu diffuſius tractare, inſperſis ac ſignatis, non ex Romana antiquitate tantum, ſed & Graeca, quae eo pertinere videntur, veſtigiis; ſi quid hic ſubſidii ex reconditae doctrinae tuae quaſi myrothecio ſit, ultro & gratiſſima mente agnoſcam. Vides, vir praeſtantiſſime, quo evadam, ac ut intelligas, quam mihi in tua amicitia fiduciam collocarim, qui amicitiae tuae me ipſum ingeſſi, nunc alios quoque tuae benivolentiae commendare non vereor. Eſt hic, quem vides, adoleſcens *Arnoldus Penninck*, aliquamdiu in Academia noſtra verſatus: verſatus autem ita, ut modeſtiae & doctrinae laudem ſuo merito retulerit, is cum ad vos iret, ſtudia juris abſoluturus, aditum ſibi ad notitiam, & ſi meretur, amicitiam quoque tuam per me dari petiit, id quod libenter feci, rogans ut illum commendatiſſimum habeas, ac ſi quid ad nos perferri velis, illi concredas. exequetur, qua praeditus eſt humanitate, fideliſſime. bene vale, Clariſſime Cunaee, literarum & jurisprudentiae noſtrae ornamentum, ac me, nobiliſſimo Equiti D. *Regemortero*, ſi qua fieri poſſit, ſerio commenda. cujus amicitiam Vir Ampliſſ. ſocer meus, non ſine jucunda & grata memoria ſolet recolere, in tanta hodie verorum amicorum penuria. Collegis quoque tuis, & inprimis Clariſſimo *Bronchorſtio* ac *Swanenburgio*, ut me officioſe commendes, etiam atque etiam peto. Dabam feſtina manu praeſtolante tabellario, poſtrid. Eid. Quintilis MDCXXIV.

EPI-

EPISTOLA CXLVI.

PETRUS CUNAEUS

D. Hectori Bouricio

S. D.

Franekeram.

QUod literis tuis, quas poſtridie Eid. Quintilis ad me dediſti, vir Clariſſime & amiciſſime, hactenus non reſponderim, initio per occupationes quaſdam factum eſt, quae otium mihi omne paene abſtulerunt. Mox ſubſecutae feriae noſtrae ſunt. Quo tempore cum ab urbe ſeceſſiſſem, reverſus deinde neminem e ſtudioſa juventute reperi, qui iter ad vos faceret. Nunc autem commode ſe offert ornatiſſimus hic juvenis, veſter *Cornelius Buttinga*, quem ſine literis meis dimittere nolebam. Sane equidem non arbitror ceſſationem hanc anxie excuſari debere apud te, qui, cum in amicorum tuorum numero me eſſe voluiſti, meminiſſe potes, permultum eſſe, quod amicis liceat, ut etiam peccare interdum ex amoris fiducia tutum ſit. Gaviſus inprimis ſum certum tibi eſſe explicationem L. Juliae de ambitu diffuſius exſequi, eamque ex antiquitate Graeca & Romana illuſtrare. Quod nemo quiſquam te uno rectius accuratiuſque facere poterit, cum tibi abunde in pectore eruditiſſimo conſultiſſimoque ſitum ſit, quicquid ad eam rem, quae ſane luculentiſſima eſt, pertinebit. Quare ſupervacuum eſſet, ſi facerem id quod petis; hoc eſt, ſi quid ſuggererem tibi, viro oculatiſſimo, καὶ πρὸς ταύτην τὴν πραγματείαν ἀπηκριβωμένῳ. Sed nec vereri debes, ne cum hoc malum veris vivisque coloribus depinxeris, reprehendiſſe id vitium videaris, cui ipſe obnoxius ſis. Intelligo enim, (quod etiam admiratus ſum) cum omnia tibi adſint, quibus ad alios honores atque ad rei publicae regimen eniti poſſis, te in his diſciplinarum ſtudiis libenter aetatem agere, quibus ſine prenſatione, ac ſine ambitu, ſumma nominis claritudo paratur. Utique ſi dignitatem muneris noſtri ex vero aeſtimamus, non exigua res eſt legum ſcientiam profiteri, ac de jure conſuli & reſpondere. Saepe mihi in mentem venit id, quod relatum a Pomponio eſt in l. 2. §. *poſt hunc* de orig. jur. Labeonem conſulatum ſibi ab Auguſto oblatum ſpreviſſe, quod in hoc ſtudii genere verſari honorificentius credebat: & Maſſurium Sabinum, cum in Tiberii flagrante gratia eſſet, eaque conſequi omnia poſſet, quae

per mortales avide cupiuntur, in hujus muneris amplitudine conquieviſſe. Itaque rogo te, vir amiciſſime, ut in propoſito vitae genere, ita ut coepiſti, pergas, atque ut tua ope jurisprudentia noſtra ornetur, & ſtabiliatur, quae hac labe temporum ita ſtrata atque perculſa jacet, praedicetur ut ab omnibus oſtentandi, credo, gratia, a paucis intelligatur. Vale, φιλτάτη κεφαλή, & me ſubinde per otium literis tuis viſe. Salutem tibi adſcribi voluit avunculus meus *Regemorterus*, qui nuper mihi adfuit, ac nunc rurſus in Angliam profectus eſt. Iterum vale. Lugd. Bat. 17. Octobr. 1624.

EPISTOLA CXLVII.

HECTOR BOURICIUS

Petro Cunaeo

S. P.

Leidam.

DEdi ad te non ita nuper literas, quibus & tuis, ut tum res meae ferebant, eram enim totus in migrationis moleſtiis, humaniſſime ad me datis reſpondi, & quis mearum rerum ſtatus eſſet, abunde tibi ſignificavi. Inprimis gratias tibi egi, pro inſigni, quae tua eſt, humanitate, qua mihi gratulari dignatus es de Graphiarii munere nuper ſuſcepto; ſcripſeram tum temporis id, quod res erat, vir Cl. me privatis magis & domeſticis rationibus adductum, quam quod ex eo munere mihi aliquam dignitatis acceſſionem fieri rebar, ad commutandam cum honeſtiſſima functione Academica hanc provinciam acceſſiſſe; utpote & in qua conſeneſcere mihi non inglorium duxiſſem, & caetera genio meo ſic accommoda, ut ſi domeſticas rationes excipias, fortiſſimam ad expugnandum animum machinam, prae leviſſima honoris oſtentatione, aetatem in Muſarum ſanctiſſimo larario, ceu portu tranquillo, ab omni ſtrepitu ſemotus conquieſcere & morari exoptaſſem. Illas an acceperis ambigo; ſpondet enim ſingularis tua humanitas, licet optimis quotidie occupationibus diſtricta, te candidum Amici, quamvis longo intervallo imparis, ingenium haudquaquam fuiſſe aſpernaturum. Inter alia cum, tu vir cl. mihi virum Doctiſſimum D. *Wibinga* de meliore nota commendaſſes, feci id quod amici inprimis ſerii & conſtantis

eſſe

eſſe arbitrabar, ut prius ea de re, quid animi eſſet Ampliſſimis Dominis Curatoribus, tecte inveſtigarem; quam hominem, ſola tua commendatione mihi amicum, ad ambiendam profeſſionem ſine ulla certa ſpe impellerem; Caeterum longe aliter judicia Dominorum Curatorum affecta deprehendi. Poſtquam enim me Academiam reliquiſſe, ex ſoceri & Amicorum voto, nunciatum eſt, mox de inſtauranda Academia non perfunctorie cogitarunt, praevio praeſertim funere triſtiſſimo magni & ingentis ſollertiae viri Domini *Sib. Lubberti*, in cujus exequiis, etiam magnam partem exequias Academiae noſtrae iri, viri ſagaces augurabantur. Itaque ſerio in illam curam animatis Dominis Curatoribus, eo res perducta eſt, uti non niſi de viris celeberrimis in hanc Academiam aſciſcendis Illuſtres Ordines cogitarint, adductis in hanc ſententiam ſummo illorum annixu Proceribus, ut quos pari celebritatis fama, hanc ſpartam exornaturos confiderent, eosdem praemiis quoque & ſtipendiis condignis ornarent. Itaque cum verba feciſſent Ampliſſimi Domini Curatores, de fama Academiae propaganda, ſubſtituendisque idoneis Profeſſoribus, agentibus hoc in primis Ampliſſimis viris Domino *Sacchma* & ſocero, quos notos tibi ſcio, vel ex Avunculi viri nobiliſſimi & politiſſimi commendatione, honoraria extra ordinem decreta luculenta, & quae myſtas ſcientiae ſuae ornare poſſint. Cum autem de Celebri JCto ageretur, tu quoque inter primos extitiſti; qui dignus viſus es, ut in Academiam noſtram, dummodo de voluntate tua aliquatenus conſtare poſſit, invitareris. Non ſum ego neſcius, Cl. Cunaee, quam tibi abunde ibi ſatisfactum ſit, tum fama nominis tui, qua Europam paene conturbaſti, tum merita Ampliſſimorum Hollandiae Ordinum benignitate. hoc tantum volui indicare, ut ſi mille ducentorum honorarium, ceu operae & migrationis annuum precium tibi adlubeſcat, ſi Clariſſimorum Virorum de te luculenta judicia aeſtimes, poſſis hîc, in amaeno & tibi olim cognito & inſeſſo loco, bene de ſtudiis Jurisprudentiae mereri. Nec vero hîc de commoditate loci, de annonae vilitate, caeterisque privatae ac domeſticae rei compendiis agam. Hoc tantum ſpondere auſim, nullibi virtutes tuas, atque ingenii dotes melius habitaturas. Coles hîc humanitati tuae ancillantes municipes, & maximis iisdemque humaniſſimis viris gratus, procul ab omni aemulatione, ambitu, ſorde Cunaeum, hoc eſt virum doctiſſimum & optimum, bonae ac ſerae poſteritati

ritati commendabis. Atque haec a me ſcripta ita velim interpreteris, Vir Cl. quaſi ab eo profecta, qui non incertis neque adeſpotis rumoribus, hanc rem actam & confectam praevideat, optet certe: modo tu Judicii tui exactiſſimum calculum adjeceris, agetur enim tum porro, & conditiones tibi non poenitendae, ut ſpero, transmittentur, quam primum de voluntate tua per me Ampliſſimis Dominis Curatoribus conſtabit, non quod hac in re quicquam certi auſim affirmare, ſed quoniam rariſſimas ingenii & doctrinae tuae dotes, hoc merituras autumo, ut nihil omiſſuri videantur Ordines, quod faciat ad illorum Academiam exornandam. Bene Vale, Ampliſſime Cunaee, & ſi occupationes permittent, quamprimum quid agas, quid mediteris, aut denique quo animo erga nos affectus ſis, fac ſciam. Leoverdiae 5. Kalend. Octobris MDCXXV.

EPISTOLA CXLVIII.

PETRUS CUNAEUS

D. Hectori Bouricio

S. D.

Leovardiam.

DOleo, Vir Ampliſſime, non eſſe tibi redditas poſtremas literas meas, quibus tibi ſignificavi vehementer mihi probari eas cauſas, ob quas te maluiſſe intelligebam in curia Juridica luculentiſſimum munus obire, quam in Academica functione, quae ſatis per ſe honeſta eſt, aetatem agere. Equidem ego, cum te pridem depraedicabam, quod profeſſorio munere contentus viveres, haud fui ſane hoc animo, ut nollem te eam dignitatem ſuſcipere, quae foret homini jurisperitiſſimo maxime accommodata. Illud duntaxat laudavi, quod inter illos non eſſes, quibus quaelibet occaſio prenſandi populi placet, ut aliquam partem Reip. gerundae capeſſant, atque ut ea adipiſcantur, quae ſicut nihil, niſi lucrum, & vana quaedam honorum inſignia habent, ita animum hominis, etiam cordatiſſimi, longe non tantum a Jurisprudentiae, ſed ab omni etiam literarum ſtudio abducunt. Nunc cum in illud collegium translatus es, in quo eſt flos delibatus eruditiſſimorum hominum, quos integritas ſua & ſanctimonia, atque in primis legum noſtrarum excellens quaedam ſcientia in ſublimi poſuit, rem te obtinuiſſe, quae ſit virtutibus tuis digniſſima, exiſtimo,

ſtimo. Quod de celebri aliquo JCto in Academiam veſtram adſciſcendo Illuſtres Friſiae ordines cogitant, omnino e re publica eſt. Caeterum inter eos, quos nominis fama, in hoc ſtudii genere ſeculo commendet, neutiquam me agnoſco. Etſi enim quaedam commentari coeperim, ac jam penitus ad finem ſit perductus commentarius noſter de Cauſis juris & facti earumque differentiis, nihil tamen horum editum a me in vulgus eſt, cum ſint quaedam, quae me morantur. Sentio interim pulchrum mihi & glorioſum illuxiſſe illum diem, quo nuper immerenti mihi, ac nihil tale exſpectanti graviſſimum judicii ſui teſtimonium dederunt viri ampliſſimi & incomparabiles, D. *Hillema*, ſocer tuus, & D. *Sacchma*. Cum enim omnes ſic exiſtiment, quaſi lumen aliquod in veſtra curia elucere & religionem & doctrinam eorum, cogitabunt eos neque gratiae cauſa iſtud mihi tribuiſſe, qui religioſiſſimi eſſent, neque judicio temere potuiſſe falli, quod ab eruditionis ſuae ſenſu proderent. De migratione & muneris mutatione quid animi futurum mihi ſit, dabis, uti ſpero, mihi veniam, vir ampliſſime, ſi nunc per has literas reſpondere nondum tibi poſſum. Communicanda enim conſilia erunt cum amicis meis, quos habeo in hac provincia, atque in ipſo Curatorum Academiae conſeſſu, optimos fidiſſimosque, quibus inconſultis deliberare, nedum ſtatuere velle, imprudentiae eſſet. Pulchrum eſt, ut noſti, in patria vivere, ubi majores honores appetere ſi non velis, at non prohibearis tamen, ſi velis. Nondum me Profeſſorii muneris pertaeſum eſt. Quod ſi taederet, jam inter candidatos eſſem, poſtquam nuper ſupremus Senatus Juridicus Hollandiæ, Zelandiæque pro more ſuo ordinibus Zelandiae trium JCtorum nomina propoſuit, e quibus unum in Senatoris Zelandi vacuum locum ſubſtitui poſſe judicaret. Inter quos & me eſſe voluit. Hoc & antea factum ſemel eſt, ſed neque ea tempeſtate aliquid tentavi, neque nunc ut id faciam, inducere animum poſſum, etſi res integra adhuc eſt. Quid tamen ſcio, an qui nunc nihil ejusmodi concupiſco, creſcente aetate per aliquam hujusmodi occaſionem majora dignitatis incrementa ſectaturus non ſim? Haec tibi ſcribo, non ut quidquam glorier, ſed pro ea libertate, quam mihi amicitia noſtra dat. Adhaec cum de mille ducentorum honorario annuo ſcribas, ac inſuper addas, fore ut porro agatur, & conditiones mihi non poenitendae tranſmittantur, quamprimum de voluntate mea

con-

conſtabit, cuperem paulo explicatius ex te reſciſcere, quae ſint eae conditiones, quae exſpectari poſſint. Scire autem debes, Vir Ampliſſime, ſatis me benigne hîc haberi, cum ex aerario publico mille treceuti quotannis mihi numerentur, quibus accedunt multa emolumenta, quae communiter ſenatui Academico, & in primis facultati Juridicae obveniunt. Ut taceam poſſe facile a Curatoribus Academiae noſtrae majorem ſummam mihi decerni. Cujus rei fidem pene certam ſponte ſua mihi ante fecerunt. Igitur ex reſponſo tuo, quae ad muneris illius apud vos conditionem pertinent, exſpectabo, ut deinde cum amicis meis deliberem, atque animi mei ſententiam tibi perſcribam. Illud tibi ſpondeo, quicunque futurus eſt hujus rei exitus, ſemper me tui fore ſtudioſiſſimum. In quo etſi plurimos habebo ſocios, cupio tamen hîc, ſi quid valebo, primas tenere. Caeterum nihil faciam inſolenter, neque te hortabor, ut qui optimo ſemper affectu erga me fuiſti, eadem voluntate porro ſis. Scio enim non poſſe te a temet ipſo deſciſcere, ſed in eo quod coepiſti, non ſolum humanitatis, ſed etiam conſtantiae tuae cauſa perſeveraturum. Vale, vir ampliſſime. Lugd. Bat. 23. Octob. 1625. ſtylo novo.

EPISTOLA CXLIX.

PETRUS CUNAEUS
Hectori Bouricio
S. D.

Leovardiam.

VIr Ampliſſime. Ad literas tuas, quas 5. Calend. Octobr. ad me dediſti, mox tibi prolixiori epiſtola reſpondi, quam nautae Leowardienſi *Petro Houviges* commiſi, ut non dubitem, quin recte eam acceperis. Ex ea te perſpexiſſe arbitror, quam ſit exiguum aut pene nihil, quod de me ſperare debeas. Interim neque literas a te accepi, neque ex aliis intelligere potui Juriſconſultum quenquam in Academiam veſtram aſcitum eſſe. Quare quoniam omnia adhuc eſſe integra exiſtimo, non ceſſabo tibi ſignificare, quod maxime e re veſtra futurum exiſtimo. Scio apud vos non obſcurum eſſe nomen ſummi acutiſſimique Juriſconſulti *Reinardi Bacchovii*, qui Heydelbergae jus civile cum maxima laude profitetur. Is, ut ſaepe ante perquam fami-

miliariter ad me ſcribere ſolet, ita noviſſimis literis ſuis conqueſtus eſt, magnam Academiae iſtius mutationem à Bavaro parari, qui nullos deinceps Profeſſores ferre velle videtur, niſi plane ὁμοδόξους, qui ſacrificio iſti incruento, quod opinionis ſibi errore finxerunt, intereſſe velint. Quod à ſe nunquam impetrari poſſe ait. Itaque ſe locum circumſpicere, qui ſe illinc ejectum recipiat: & dum cogitat, quo ſpes ſuas mittat, occurriſſe Belgium noſtrum, & in eo Lugdunenſem Academiam noſtram, ubi patere ſibi exſuli locum ſperat, ut liceat ſaltem privatim operam dare ſtudioſis. Haec ille totidem verbis; ac poſtremo ſententiam meam exquirit, & ſcire cupit, an nobis gratus ſit futurus. Mihi crede, vir ampliſſime, vehementer animo commotus fui, ut praeclari hominis tam iniquam ſortem cognovi Quare per dextram tuam, per quidquid tibi charum & jucundum eſt, etiam atque etiam te obteſtor & rogo, ut de ejus viri ornamentis & commodis cogites, neu tam bonam occaſionem elabi patiaris, qua ordinem Juridicum Academiae veſtrae conſpicuum ſupra omnes, & illuſtrem facere poteſtis. Ego ei reſpondi, haec me ſignificaturum vobis. Idque ut facerem, ſuaſerunt mihi D. *Camerarius*, & D. *Altingius*, viri praeſtantiſſimi doctiſſimique, quos in Comitatu ſuo Rex Bohemiae habet. De ejus viri humanitate, deque benigna & optima indole, ac denique de ſincera religione non vanis & incertis ſermonibus, ſed incorruptis judiciis teſtimoniiſque credere eorum hominum poteris, qui apud vos nunc ſunt, ac diu cum eo in publico munere vixerunt. Inter quos D. *Altingius*, Theologiae quondam apud Heydelbergenſes Profeſſor, primas tenet, qui animum vobis omnibus explebit. Aliud quod tibi ſcriberem hoc tempore nihil erat. Iterum te rogo, ne Academiae veſtrae deeſſe nunc velis. Vale, Vir ampliſſime, & me ama. Lugd. Batavorum, poſtridie Calend. Januarii. 1626.

EPISTOLA CL.

PETRUS CUNAEUS

Hectori Bouricio

S. D.

Leovardiam.

Vir Ampliſſime. Cum in Zelandiam nuper profecturus eſſem, *Gulielmus Stakemannus*, popularis veſter, ſalutem

tem mihi tuis verbis dixit retulitque, id quod nondum intellexeram, jam te in ordinem ſupremi ſenatus juridici allectum eſſe. Eo nuntio nihil jucundius gratiusque longo tempore ad aures meas accidit. Quare quod per ſuſceptum iter facere mihi hactenus non licuit, id nunc domum reverſus jure merito facio, eamque dignitatem ex animo tibi gratulor, quam tibi non incertus populi favor, ſed ſumma virtus tua & ſpectata omnibus eruditio attulit. Enimvero non alia re Friſia veſtra magis ſolari damnum ſuum poterat, quod ex ampliſſimi viri D. *Hillemae* obitu acceperat, quam cum ille ſucceſſore tali genero deceſſit, qui reip. univerſas eas animi dotes repraeſentabit, quae in ſocero elucebant. Ante octo menſes, cum noviſſime ad te ſcriberem, cauſam D. *Bachovii* Heydelbergenſis tibi commendavi, qui deteriorem Academiae ſuae ſtatum pertaeſus facile ad vos emigraret, ſi qualicunque conditione Franequeram vocaretur. Equidem ego vos pro ſapientia prudentiaque veſtra tam bellam occaſionem haud praetermiſſuros arbitror ſine gravi aliqua cauſa, quae forte nos latet. Nam quod vulgo fertur, id ei nunc officere, quod identidem a nobili JCto, D. *Lyclema*, aperte diſſenſerit, levius videtur, quam ut valere apud vos, acerrimos libertatis hujus vindices, poſſit, qui condonandum aliquid ingeniis, praeſertim in juris civilis interpretatione ſcitis. Quod ſi ſaltem Groningae aut alibi locum ei poſſe eſſe credis, rogo te ne ei deeſſe velis apud illos, apud quos efficere aliquid autoritate aut conſilio poteris. Illud certe affirmo, nullam me hîc rem privatam agere. Una tibi mihique ac denique omnibus, qui doctrinae ſenſum aliquem habent, communis ac publica cauſa eſt, ne praeclaros praeſtantesque viros in egeſtate vivere, aut animi dolore torpeſcere ſinamus. Vale, vir ampliſſime, ac diu reip. incolumis vive. Lugd. Bat. 6. Octobr. 1626.

EPISTOLA CLI.

H. BOURICIUS

Petro Cunaeo.

S. D.

Leidam.

AD literas tuas humaniſſimas, vir Cl. jam diu prout oportuit reſponſum tuliſſes, niſi vis quaedam major hîc inter-

terceſſiſſet: facile enim, quae tua eſt humanitas, per te judicare potes, quantum mors Ampliſſimi Soceri mei non rebus tantum domeſticis meis, ſed & ſtudiis noſtris mutationis & intertrimenti attulerit; obiit quidem ille gravis aetate, feſſus curis, vitae etiam ſatur, ſed obiit liberis ſuis, quos omnes minores reliquit, immaturus: itaque tota illa moles in me incubuit neſcio an parem, & tota domus coepit nunc onus eſſe meum. Caeterum cum divinae voluntati reluctari, ſummae eſſe ſciam aut inſcitiae aut temeritatis, conor emergere & parem me ſi non facere; ſaltem praeſtare oneri, non ſponte ſuſcepto. Illud apprime me delectat, quod filios reliquit paternarum virtutum germanos, ſi fata deusque ſinent, heredes, quorum ſenior juvenis viginti & quod excurrit annos natus ea pietatis, modeſtiae & induſtriae indicia toto triennio, quo in Academia patria vixit, edidit, ut haud dubie ad optimam frugem ſit perventurus; reliqui duo aetate minores ſpe nos opima fovent fore, ut paternam virtutem aemulentur. Conſtitui illos ad proximas Kalend. Maji Lugdunum ablegare, ut a tua ſuada penduli humanitatis ſtudia cum civili ſapientia conjungant. Nullus dubito quin ob memoriam patris, illis, quae nemini negare ſoles, pro tuo candore benivolentiae & humanitatis officia ſis tributurus. Habitant nunc in convictu viduae Domini *Raphaëlis Clingbii* Med. Profeſſ. quondam: atque haec hactenus. Dolui ſerio ſortem Cl. JCti *Bachovii*, cujus in jure excellentem eruditionem ſaepe ſum admiratus. Itaque ſerio quantum potui id mihi negotii dedi, quo poſſet illius viri ratio haberi apud Dominos Curatores. Rem tibi dicam; Cl. Cunaee, negotium hoc facillimos explicatus habuiſſet, niſi laeva mors falcem injeciſſet, & Ampliſſ. *Lyclamae*, & ſocero, utrique Curatori. Illorum deceſſu Collegium Dominorum Curatorum mutatum eſt, aſcitis in id Collegium tribus novis, quorum facile primus Dominus *Saeckema*: apud eum cum verba feciſſem de illo viro, deprehendi illum literis Domini *Aitſma*, qui nomine Illuſtriſſ. Ordinum penes Anſeaticas commoratur, praeoccupatum, ac de vocando *Petro Ryſenbergio* cogitare: nam quod de minutiis altercationum ſcribis, tantum abeſt, ut illi impedimento futuras fuiſſe crediderim ut, ſi τῷ μακαρίτῃ *Lyclamae* dicendum fuiſſet ſuffragium, primum in deſignando Profeſſore Domino *Bachovio* fuiſſe futurum confidam. Licuit hoc ſemper viris doctis, hec faciunt hoc ſine magnis exemplis. Apud Groningen-

P ſes

ſes rem eo perduxerim, ut niſi Dominus *Mathaeus* jam ordinibus noſtris obſtrictus, iniqua quorundam aemulatione retroactus, ſpem adventus ſui eluſiſſet, jam decreta fuiſſet Domini *Bachovii* vocatio. vides, Ampliſſime & Doctiſſime Cunaee, quam iniqua virorum doctorum hoc ſeculo ſors ſit. Teſtatus ſum palam in ſenatu, cum ejus rei mentio incidiſſet, offerri Ordinibus patriis hoc tempore occaſionem vocationis, quam fruſtra in poſterum ſibi pollicerentur. Quod de ſucceſſione in dignitatem Soceri mihi gratularis, facis tu pro ſolita humanitate. Illud certe, ſi nihil aliud, gaudio mihi fuit, quod necquicquam frementibus multis & tribunitio more huic Senatusconſulto intercedentibus, Civitatum delegati concordi ſuffragio propalam in Comitiis, mihi illam dignitatem impoſuerunt; Deum precor, ut mihi mentem divini & humani juris intelligentem largiatur, quo omnia mea conſilia, dicta facta ad illius gloriam, ad Reipub. ſalutem dirigantur. Habes verboſam epiſtolam, Vir Ampliſſ., & profectam a febrili manu, quam lapſantem alibi excuſa & vale, delicium literarum, tuaeque profeſſionis primarium ornamentum. Leoverd. 8. Kalend. Novemb. MDCXXVI.

EPISTOLA CLII.

PETRUS CUNAEUS

* *Coeleſtino Miſleutae*

S. D.

VIR clariſſime, Exercitationes tuas Lexicologicas & Criticas ad Ezechielis locum cap. 33. accepi, &, ut mos meus eſt, avide perlegi: gratias tibi ago maximas pro tam inſigni munere, quod ex omni parte luculentam & inuſitatam auctoris ſui oſtendit eruditionem in eo genere literarum, quod ego apprime ſemper amavi atque amplexus ſum. Rogo te ut porro id facias, quod te & excellenti ingenio tuo dignum eſt, hoc eſt, ut bene mereri pergas de ſaeculo hoc noſtro, ac plura nobis edas ejuſmodi monumenta. Libros meos de Rep. Hebr. omnes jam pridem diſtraxit typographus, qui de nova editione cogitat. Alioquin exemplar

* *Misleuta* hic Profeſſor Theologiae Regiomontanus fuit, cujus vitam vide apud Reinh. Henr. Rollium in Biblioth. nobilium Theologorum, Sect. 11. Cap. 1. §. 21. p. 180.

plar tibi miſiſſem, cui haud diſplicuiſſe commentationes noſtras gaviſus equidem ſum vehementer. De D. *Georgio Polkein*, qui in Academia hac noſtra ſtudiorum cauſa aliquamdiu vixit, vere affirmare poſſum, eſſe juvenem promptiſſimi & elegantiſſimi ingenii, qui literarum ſtudiis non modo gnaviter, ſed feliciter etiam incubuit, plane ut futurus ſit aliquando patriae ac Reip. magno uſui ac ornamento, ſi deinceps eodem ardore in optimarum artium diſciplinis verſetur. Caeterum, ut eſt pectore candido & aperto, facile fieri potuit, ut non ſemper pari conſtantia evitaverit eas adoleſcentiae lubricas vias, quae transverſas agere interdum ſolent etiam rectiſſimas optimasque mentes. Ego, cum ejus rei aliquid ſubtimeſcerem, pro meo in illum adfectu operam dedi, ut optima inſtituta ſua perſequeretur. Quod ille fecit bona fide, & monenti obtemperavit. Si diutius hîc apud nos manſiſſet, omnia, quae proficiſci à me potuiſſent ad laudabiles ejus conatus juvandos, ea ipſi prompta ac parata fuiſſent. Nunc, cum viſere parentes conſtituerit, id, quod unum ſupereſt, faciam, ac te, vir clariſſime, rogabo, ut ſtudiis ejus faveas, atque ut parentes ejus ex te intelligant, quam debeant omnia praeclara ab ejus ingenio exſpectare, ſi ad exitum ea perduxerit, quae tam pulcre occoepit. Vale, Vir clariſſime, & me, ut facis, ama, tui amantiſſimum ſtudioſiſſimumque. Lugd. Batavorum, 25. Maji 1624. ſtylo novo.

EPISTOLA CLIII.

PETRUS CUNAEUS

Aelio Everardo Vorſtio,

Collegae honorando.

VIR Clariſſime. Intellexi quartum Conſulem hodie ad comitia profectſurum, atque etiam *Burgersdicium* jam ab urbe diſceſſiſſe. Quod tibi ſignificandum duxi, non ut a meridie ad ruſticum praedium tuum abires, quod conſtituiſſe heri videbaris, ſed quo intelligeres tanto magis nunc me cupere, ut in judicio Academico adeſſe nobis velis. Scis enim quanti conſilium tuum faciam, quo nullum ego rectius, nullum in conſeſſu noſtro eſſe liberius aut prudentius memini. Etſi autem per quorumdam abſentiam fortaſſe

 nul-

nulla ſententia feretur, tamen, quoniam * *Voſſii* junioris cauſſa diſceptari incipiet, eam tibi bene probeque cognitam ac perſpectam eſſe noſtra omnium intereſt. retulit mihi Chirurgus vulnus noſtri vigilis, qui nuper laeſus a ſtudioſo eſt, cum magno fluxu arteriae & vehementi febre ſubito revulſum hodie eſſe ad diem criticum. Qua in re quid facto opus eſt, mature deliberandum eſt. Quare etiam atque etiam te rogo, Vir Clariſſime, ne te hodie fruſtra exſpectem. xx. Junii CIↃIↃCXXIV.

* *Joannes* vocatus, qui non ea diligentia in ſtudia incubuit, qua reliqui fratres, licet natu eſſet maximus. poſtea in Angliam tranſiit, & fuit ſocius Collegii cujuſdam Cantabrigiae. Deinde in Indiam abiit, & Fiſcalis Advocati munus conſecutus. vide paſſim Epiſtolas Patris in Selectis CXXVIII. & ſeq. CLIII. CLX. CLXVI. CCCX. & CCCLIV. Cauſſa, de qua in hac epiſtola agitur, non fuit magni momenti: petulantius aggreſſus videtur Voſſius cum ſodali aliquo quosdam Germanos, Leidae operam ſtudiis navantes, quare a Praetore vocatus ad judicium fuit, ſed cum damnatum fuiſſe acta non indicant: vel deciſum cum Praetore, vel intermiſſam accuſationem crediderim.

EPISTOLA CLIV.

REINHARDUS BACHOVIUS

Petro Cunaeo.

Leidam.

Scripſit ad me ſemel atque iterum D. *Bernhardus Sutholt*, qui hactenus in illuſtri Gymnaſio Harderovicenſi publicum profeſſorem egit; & quoniam ſubveritus ſum, ne ex ſilentio, neglectis aut parum ſinceriter cultis amicitiis me reum ageret, cum nulla alia curandi epiſtolam hanc occurreret ratio, viſum eſt ire ad Te, cujus inſignis eruditio, quam nunquam non comitatur humanitas, jam literato innotuit orbi. Ea tua fortuna eſt & mea, praeſertim hoc afflictiſſimo rerum noſtrarum ſtatu, ut nihil reperire poſſim praeter verba, quibus animum hujus officii memorem promitto. Gratus eſt, inquit ille e Stoa ſapiens, quisquis bono animo beneficium accepit, bono debet. Confidentius hoc a Te peto, quod ex ἰυφημία libelli D. *Sutholt* praefero, notum eum tibi & amicum eſſe intellexi. Ignoſce, Vir Ampliſſime, huic interpellationi, & has literas ad D. *Sutholt* cura. Ita Deus Opt. Max. procellas & fluctus illos, quibus

bus Academia noſtra pene obruta eſt, longe arceat a veſtra, & Te Collegasque tuos, & in his Clariſſimum imprimis *Heinſium* & Dn. *Meurſium*, ante XVI. annos mihi Heidelbergae cognitum, bono publico ſoſpitet & conſervet. Ita voveo. Vale, Ampliſſime D. & ſalve, ex Muſaeo Heidelbergae 16. Septembris 1624.

EPISTOLA CLV.

PETRUS CUNAEUS

Reinardo Bachovio Echtio,

JCto & Profeſſori Heidelbergenſi

S. D.

Heidelbergam.

AMpliſſime & clariſſime vir. Diu jam eſt, cum cogitanti mihi de iis viris, qui hoc ſeculo jurisprudentiam, diſciplinarum dominam, pro majeſtate ornant augentque, unus tu occurriſti, qui illuſtribus tuis monumentis ita inter omnes eminebas, ut exiſtimarem nihil a te in ulla juris parte eſſe praetermiſſum, quod quisquam inuſitato ingenio, acerrimisque ſtudiis, ac maximo uſu cognitum & perceptum proponere aliis, & tradere poſſit. Non ignoras utique quantam vim ad conciliandos animos habeat ſtudiorum curarumque ſimilitudo, quae hoc quoque efficit, ut illos, quos nunquam vidimus, amemus, eosque nobis adſciſcamus quaſi propinquitate & natura conjunctos. Itaque cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror reprehendendâ, amicitiam tuam appetebam, eaque apud animum meum nihil eſſe carius poterat. Sed quaerenti etiam atque etiam nulla adhuc reperta erat via, qua ad illud, quod tam impatienter cupiebam, pervenirem, donec tandem tuae ad *Sutholtium* literae commodam occaſionem praebuere, per quam ſimul me quoque humaniſſima atque amiciſſima epiſtola tua compellaviſti. Enimvero is dies longe mihi jucundiſſimus illuxit, quo intellexi benevolum erga me affectum ejus viri, quem inter praecipua ſeculi decora exiſtimabam. Audeo tibi bona fide ſpondere, ſi deinceps in amicorum tuorum numero me eſſe velis, omnia tibi apud me prompta atque parata fore, quae exſpectare ab homine tui obſervantiſſimo poteris. Equidem ego, etſi in caeteris rebus omnibus, ac praeſertim in ſcientiarum ſtudiis amplificandis egregie ceſſator ſim, & fatali languore pene ob-

 tor-

torpeſcam, valde tamen ſedulus eſſe in ea parte ſoleo, quae ad amicos pertinet. Hos enim poſtquam ſemel colere coepi, non modo conſtanter, ſed ſollicite etiam ac tenerrime aſſectari omnibus officiis annitor. Ita meus mos atque indoles fert, idque ſi vitium dicendum eſt, eo me non carere fateor. Caeterum non deſinam te rogare, vir clariſſime, ut quemadmodum hactenus ſcriptis tuis, quae incomparabilia ſunt, eos omnes tibi devinxiſti, qui rectam utramque legum interpretandarum rationem amant, ita porro tui ſimilis eſſe pergas, ac ope tua conſilioque jurisprudentiam nobis omnem in ſolido conſtituas, quae a tua unius induſtria plurimum & praeſidii exſpectat, & acceſſionis. Coepi per otium nuper commentarium ſcribere de Cauſis juris & facti, earumque differentiis. Quae res tractationem habet non inutilem. Eum librum, ſimulac prodierit, ad te mittam. Vale, vir ampliſſime, & me in tuorum numero pone. Lugd. Bat. pridie Cal. April. CIƆIƆCXXV.

EPISTOLA CLVI.

REINHARDUS BACHOVIUS
Petro Cunaeo.

Leidam.

MUltae inter nos ſunt terrae, multi montes, quae difficile & incertum faciunt commercium literarum. Et quae humanitas eſt tua, quam undique, quas ante hos ſex menſes ad me dediſti literas, ſpirabant, certo ſcio, Te reſponſurum fuiſſe meis, ſi recte curatae fuiſſent. Itaque itero ſcriptionem & repeto, hunc diem me ſignaſſe albo lapillo, qui primus mihi aperuit amicitiis tuis fores. Quantus in literis ſis (nihil auribus tuis hîc datur) quae in publicum dediſti, oſtendunt. Itaque, ſi quid monitoris eges tu, etiam atque etiam te moneo & rogo, ut ne invideas ſtudioſis, quae ad jus noſtrum & pro Jurisprudentia excolenda moliris: utinam vero liceat, in tuos & Clariſſimi *Heinſii* (in cujus me olim pene a puero adhuc, vulgata Tragoedia, *LIBERTAS AVITA* rapuit admirationem) aliorum, quos Belgica veſtra terra dives alit, coram ruere amplexus, dextrae jungere dextram, & veras audire & reddere voces. Me quidem jam pridem cepit taedium & ſatias hujus coeli, hujus ſoli: & quem vero non capiat? faciem miſerrimam hujus terrae, hujus urbis & Academiae im-

imprimis, ſi vetera conferuntur, nemo fando ſatis explicare & deſcribere poſſet. Et forte etiam ingratiis migrandum erit: conantur enim Bavari noſtri moliri omnino reformationem hujus Academiae. Crediderit quis forte nullum mihi eſſe periculum. Et ſcio ſane de transfugio meo ad Pontificios late, & fortaſſis etiam ad vos, & imprimis ad Collegam meum D. *Altingium*, pervaſiſſe famam. Sparſerunt hanc illi, quibus Pontificii & Antichriſti (ita enim loqui amant) mancipia audiunt, qui nullius addicti jurare in verba magiſtri, ſive *Calvini*, ſive cujuſcunque tandem, improbare vel non omnino probare audent aliqua, quae ipſi pro oraculis & foliis Sibyllae habent. Profiteor ingenue, ex quo, etiam ante has turbas, paulum evolvere caepi veteris Eccleſiae Doctores, quos magno numero habeo, ſubmirari me caepiſſe, qua fide & qua fronte plerique noſtrum ex patribus plurima dogmata, ceu recentia inventa Antichriſti Romani, & doctrinas Romanorum traduxerint, quae ego deprehenderam in Eccleſia, toto orbe diffuſa ante hos mille & ducentos annos & amplius, & a Doctoribus iſtius Eccleſiae, quibus aevi noſtri nomen Sanctorum invideat, recepta & probata fuiſſe, cum Antichriſtus Romanus necdum natus, & cum adhuc non ens eſſet. De his dum paulo liberius diſſero, quae tamen, ſi neceſſum ſit, facile premere poſſem, calumniandi iſtis hominibus praebui occaſionem. At enim Pontificii non ferent, niſi plane ὁμοδόξους, qui ſacrificio illi incruento, quod opinionis ſibi errore finxerunt omnes, intereſſe, & Numen ab ipſis confectum & creatum ab omnibus adorari volunt, quod a me nunquam impetrabunt. Itaque circumſpicio locum, qui me hinc ejectum recipiat. Et dum cogito, quo ſpes meas mittam, dum omnia colluſtro, occurrit Belgium veſtrum, & in eo celeberrima Lugdunenſis Academia. Patebit, ut puto & ſpero, exuli ibi locus, & licebit ſaltem privatim operam dare ſtudioſis: ceteroquin quod ex patrimonio mihi reliquum fecerunt miſeriae belli, vix alendo mihi in alterum annum ſufficiet. Hoc an ſperare mihi liceat, rogo ut uno verbo facias certiorem. Vale, Vir Clariſſime, & Clariſſ. *Heinſium* ſaluta, itemque Ampliſſimum Dn. *Caſparum Vosbergium*. Vidi proſcriptione nominis ejus frontem orationum Heinſii munitam. Ille ante XXVI. annos in hac Academia, & in aedibus parentis commenſalis mihi & amicus ſummus fuit: quae viri humanitas eſt, ſpero hanc veteris amicitiae refricationem ipſi non fore ingratam. Ite-

rum Vale, vir Ampliſſime, & fave tui obſervantiſſimo. Heidelbergae XXII. Octobris CIↃIↃCXXV.

EPISTOLA CLVII.

PETRUS CUNAEUS *Reinhardo Bacchovio* S. D.

Heidelbergam.

Litteras tuas, Vir Ampliſſime, quas XXII. Octobris ad me dediſti, accepi. Nam priores illae, de quibus ſcribis, redditae mihi non ſunt. Ad quas certo ſcire debes, me ſtatim reſponſurum fuiſſe, ſi in manus meas perveniſſent. Equidem ego rebus veſtris adverſis triſtibuſque magis indoleſcerem, niſi intelligerem per hanc cauſam fieri poſſe, ut quemadmodum coepiſti, ita porro animum inducas ad nos venire, atque in his terris ſedes ponere. Utique ſi profeſſionis Juridicae aliquod munus hic vacaret, nihil mihi facilius foret, quam apud eos, ad quos haec res pertinet, efficere, uti honeſto aliquo ſtipendio ad nos invitareris. nunc, cum ceſſet haec occaſio, adfirmare tibi poſſum, ſi, ut ſcribis, apud nos vivere conſtituiſti, fore uti ſummam omnium noſtrum experiaris humanitatem atque benivolentiam, utque in oculis, atque in admiratione ſis florentiſſimae & cultiſſimae juventutis. Caeterum quia te, virum inſigni dignitate & maximis laudibus perfunctum, privatae vitae ſors non decet, quae tibi honorifica eſſe, neque adferre rebus tuis idoneum emolumentum poteſt, recte atque ordine me facturum exiſtimo, ſi tentavero an alia via prodeſſe magis tibi queam. Jam duo menſes ſunt, ex quo Ordines Friſiae profeſſionum pandectarum, quae in *Franequerana* Academia vacat, mihi obtulerunt, promiſſo in eam rem ſtipendio mille & ducentorum florenorum, ac ſimul ſignificaverunt ſe porro alias conditiones non poenitendas tranſmiſſuros, quamprimum de voluntate mea conſtaret. Egi illis gratias, quia & liberalius me Batavi excipiunt, & multae me rationes hinc vetant diſcedere, ubi amicorum plurium ac propinquorum fruor conſuetudine. Igitur haec tanta tam praeclari rei oportunitas ne a me praetermiſſa videatur, confeſtim ad ſummum amicum meum D. *Hectorem Bouricium* ſcribam, qui nuper ex juris profeſſione Graphiarius Curiae factus eſt, & ſocerum habet D. *Hillemannum*, Curiae

Curiae ejusdem Senatorem primarium, ac Academiae Franequeranae Curatorem. Is, ſi ea profeſſio nondum alii demandata ſit (quód nondum factum arbitror) facile pro ſingulari ſua & prudentia & eruditione intelliget, quam poſſit magno lúmine Academiam iſtam perfundere nominis tui celebritas. Hoc & collega tuus vir clariſſ. D. *Altingius* vehementer probat, &, ut ita facerem, hortatus eſt. Quod ad calumnias attinet, de quibus ſcribis, nemo hîc fere audivit, certe nemo credidit. Conſtantiae autem tuae, & optimo in religionem noſtram adfectui luculentum apud omnes teſtimonium D. *Altingius* perhibebit; de quo ut certus ſis, literas ipſe ſuas meis nunc jungit. Ubi ex Friſia aliquid intellexero, perſcribam ad te ſedulo. Vale, vir Ampliſſime, & me, ut facis ama: Salutat te clariſſimus D. *Heinſius*, & Ampliſſimus *Vosbergius*, quos habes nominis tui & dignitatis ſtudioſiſſimos. Lugd. Batavorum 7. Decembris 1625. ſtylo Gregoriano.

EPISTOLA CLVIII.

REINHARDUS BACHOVIUS

Petro Cunaeo.

Leidam.

LIteras tuas 7. Decemb. Anni 1625. ſcriptas, longo poſt intervallo & demum 17. Martii anni ſequentis accepi, quibus adhuc a lectione quaſi calentibus reſpondi. Equidem ad utramque fortunam, ita ſe quemque comparare decet, ut nec rebus ſecundis extollatur, nec frangatur adverſis: & hi bellici tumultus multos magnosque viros, magnis exutos dignitatibus, in privatae vitae deduxerunt ſtatum, quem illi & fortunae novercantis injuriam excelſo animo ferunt: poſſim & ego ferre privatae vitae ſortem, maxime ſi in Academia liceat mihi per Profeſſores ſtudioſae juventuti privatim operam navare. Nam quod ſpem facis Profeſſionis apud Franekeranos, fruſtra eſt. Ad vacantem eam profeſſionem jampridem *Joh. Goeddeus* Marpurgo, & *Phil. Hofmannus* Argentina, ubi jam privatim vivit, evocati fuerunt. Clariſſ. *Gruterus*, qui pro me laboravit, & non unam eâ gratiâ epiſtolam in Belgium; & ad eos, qui plurimum Franekerae poſſunt, miſit; ſignificavit quid obſtiterit, quominus ea functio mihi deferretur. Sed jam ex Clariſſimi . . . . ad *Gruterum* literis intellexi, obſtare mihi

P 5 quo-

quorundam occulta odia & invidiam, cur hactenus litare non potui. Itaque cum & Tu tacite diſſuadere videaris iter meum in Belgium, hîc mihi haerendum, aut alio ſpes cogitationesque mittendas intelligo; quamquam quo mittam vix habeam; cui nec apud Danaos uſquam locus, inſuper ipſi Dardanidae infenſi. vix enim eſt, imo non eſt, ut cum Pontificiis, aut cum Calvinianis plane ſentire poſſim. Vidi Epiſtolam Clariſſimi *Altingii*, Collegae mei, ſcriptam ad fratrem, quâ narrat incidiſſe ſe in literas meas, quibus ſtudioſe ego purgem & Apoſtaſiae crimen, & ſuſpiciones criminis illius. Non arbitror eum alias vidiſſe literas, quam quas ad Te; & iis hoc tantum ſcripſi, injuriam mihi fieri ab his, qui omnino in caſtra Pontificiorum me tranſiviſſe criminantur. Ceteroquin nunquam diſſimulavi, in non paucis me ſentire cum Pontificiis, in quibus ſcilicet ipſi ſentiunt cum veteri Eccleſia, & cum ejus Doctoribus priſcis, quos ipſi Calviniani & Lutherani (liceat mihi interim uti his nominibus) Sanctorum elogio ornant. Neque ego hîc temere credulus aliis: nec defugient auctoritatem patres, ex quibus (& eos pene omnes in mea Bibliotheca habeo) quae dico confeſtim probabo. Et quî igitur, ut maxime velim, etiam a ſuſpicionibus me purgare poſſim apud eos, qui omnia placita ſua pro oraculis, & qui ab illis diſſentiunt, pro Apoſtatis haberi volunt? Sed iſtud ἐν παρέργῳ. Ego illi, qui ſupra nos negotia curat, haec omnia & me totum permitto, quod non fors feret, ſed quod ille volet, aequo feram animo. Ego interim, Vir Ampliſſime, pro affectu, quo me amplecteris, gratias ingentes me tibi debere fateor. Paria facio, quâ poſſum, verbis & animo. Gratus eſt, ut ille e Stoa ſapiens ait, quiſquis bono animo beneficium accipit, bono debet. Ego vero debeo, & Te bono Reip. literariae quam diutiſſime procul ab iſtis turbis, quae nos exagitant, ſuperſtitem eſſe & incolumem, ex animo voveo. Heidelbergae Id. Martii 1626.

EPISTO-

EPISTOLA CLIX.
PETRUS CUNAEUS
D. Reinhardo Bacchovio JCto.

Heidelbergam.

VIR Ampliſſime & Clariſſime. Ad literas tuas, quas Id. Martii ſcripſeras, mox ſtatim tibi reſpondi, & abunde tibi, ut opinor, animum explevi, ne crederes me tibi voluiſſe diſſuadere iter tuum in Belgium. Ex eo tempore non potui intelligere quo jam loco ſint res tuae. Equidem ego de profeſſione Franequerana, de qua fruſtra cogitari ſcribis, nondum deſpero. Per varias enim moras pene ad conſilii inopiam redacti Friſii ſunt, dum nihil eorum, quae hactenus tentavere, ſucceſſit. Enimvero poſtquam *Goeddaeus* & *Hofmannus* conditionem ejus muneris aſpernati ſunt, tandem ad *Antonium Matthaeum*, qui Groningae nunc vivit, itum eſt. Is cum benigne reſpondiſſet, atque etiam illis ſe addixiſſet penitus, miſſionem tamen impetrare a Groningenſibus non potuit. Quare quo ſe vertant, aut quem ſolicitent, vix ſciunt. Interim puto ceſſare nunc occulta quorundam odia, quae tibi obſtitiſſe ſignificas. Ea enim unde fuerint, dum exquiro, cauſam ex eo natam audio, quod D. *Marcum Lyckeman a Nieholt*, JCtum, Academiae ejus Curatorem, cujus ſcripta quaedam evulgata ſunt, paulo acrius reprehendiſti. Sed profecto invidiam eam, ſi quae fuit, mors ejus viri exſtinxit, cum is jam ante menſes aliquot obiit diem ſuum, neque liberos ullos, aut conſanguineos reliquit, qui pro illo induant iram offenſamve, in ea praeſertim gente, quae hujus libertatis ſe vindicem fert, & cum in aliis diſciplinis, tum vel maxime in juris civilis interpretatione ſcit eſſe plurima, quae condonari oporteat diſſentientibus. Scripſi his diebus ſerio ad amicum meum D. *Bouritium*, qui curiae ſupremae Senator factus nunc eſt, atque ad alios, qui gratia & autoritate florent apud Friſios, monuique ut etiam atque etiam de te cogitent, neu tam bonam occaſionem elabi patiantur, qua nunc Academiam ſuam ſupra omnes facere conſpicuam & illuſtrem queunt. Quid ejus rei ſit futurum, cito intelligam. Sane ſi ſucceſſerit, erit quod tibi mihique & reip. noſtrae gratuler. Vale, vir ampliſſime, & amiciſſime. Lugduni Batavorum 6. Octobr. 1626.

EPISTOLA CLX.

REINHARDUS BACHOVIUS
Petro Cunaeo,

Leidam.

LIteras, quarum, initio poſteriorum tuarum 6. Octobr. ſcriptarum meminiſti, vidi nullas, (alias tamdiu ſilentium non tenuiſſem) itaque ſpem illam omnino depoſui, & animum meum compoſui ad quietem: Et caepi meliora ſperare de rebus noſtris, poſtquam videtur jam graviſſimorum iſtorum motuum ἀκμὴ & praeteriiſſe, & res ſpectare ad declinationem; ſed quia lenta ea res eſt irem ſane, quo me melior fortuna vocaret. De Dn. *Lyklama* recte conjectaſti, & jam pridem ſignificavit Dn. *Gruterus* eum ſolum obſtitiſſe. Et facile manum do clariſſimo illi viro: ſunt enim, quae ſcribimus, & in publicum damus, fructus ingeniorum, quos longe impenſius, quam parentes liberos ſuos, amamus, eo nos reprehendi ferimus quam impatienter. Et hoc vitium mihi eſſe non negaſſem, ut liberius alios reprehendam, & fortean in eorum vitiis & erroribus cernam acutum, mea oculis videam inunctis. Scilicet vitiis nemo ſine naſcitur: & Tu, Vir Ampliſſime, humaniter in eorum numero id ponis, quibus venia dari poſſit. Mortuum eſſe Dn. *Lyklamam* ex eodem *Grutero* intellexi, ſed ille, ſi non liberos, at forte amicos, ſucceſſores odii reliquit. Sed enim ſortes noſtrae in manu Domini. Ego ex conſilio Ciceronis optabo & ſperabo optima, cogitabo difficillima, & feram quaecunque erunt. Ex quo Jurisprudentiae operam addixi, hunc ſcopum mihi propoſitum habui, profeſſionem in Academia, quem etiam pertinaciter urſi ſemper, quae & in aula & alibi offerebantur, neglectis conditionibus, & ea gratia iis ſtudiis, quibus hanc ſpartam ornare poſſem, pro tenuitate mea animum inſtruxi, ubi ubi ero, operam meam accuſari non ſinam. Dicam audacter; cum his, quos Franequeram vocatos intelligo, ſtadium hoc facile me decurrere poſſe. Sed quicquid futurum eſt, feram aequo animo, quo ſi in re mala utare, adjuvat. Interim Tibi, Vir Ampliſſime, pro ſtudio & affectu tuo, ingentes me tibi fateor debere gratias: Nec habeo, quod reponam, niſi verba, cum quibus ſimul & animum tibi devoveo meum. Gratus eſt, inquit Seneca, quisquis bono animo beneficium accipit, bono debet.

Ego

Ego vero debeo & debebo dum vixero: Vale, Vir Ampliſſime. Ex Muſeo Heidelberg. 7. Decemb. ſtylo Gregor.

EPISTOLA CLXI.
PETRUS CUNAEUS
Franciſco Villerio
S.

CUpio tibi pro amicitia noſtra ſignificare, praeſtantiſſime Villeri, quam mihi curae ſit literarum decus. Videbam eos omnes, qui ex diſciplina tua ad Academiam noſtram veniunt, ita inſtitutos formatosque eſſe ad omnem doctrinae cultum, ut magno animo capeſſere ſublimiorum artium ſtudia poſſint: cum caeteri fere, qui ex aliis urbibus huc accedunt, a Graecis Latiniſque literis mire imparati ſint, ut pene fruſtra ſcientias eas attentent, quae optima fide apud nos traduntur. Itaque Academici Senatus interceſſione apud Illuſtriſſimos Ordines Bataviae effeci, uti omnia gymnaſia, quae uſpiam in his noſtris urbibus ſunt, ad eundem modum, atque ad ſimilem docendi rationem componerentur. Quae res uti felicius procederet, datum id negotii nobiliſſimis Academiae noſtrae curatoribus eſt, uti quoſdam e primariis ſcholarum Rectoribus publica autoritate convocarent, quorum de hoc negotio ſententia exquireretur. Ibi cum me praeſente inter eosdem DD. Curatores ſermo incidiſſet de pluribus veſtri ordinis, quos in conſilium adhiberi oporteret, nemo omnium tam & ſplendide & honorifice nominatus eſt, quam tu, vir amiciſſime, qui ſolus nobis videbaris inſtar omnium eſſe. Nihil inſolenter faciam, neque te tali ingenio & natura praeditum rogabo, ut cum ad nos veneris, ſerio juvare velis tam grande ſeculi commodum. Tute enim ipſe per te hoc facies: neque te ipſe retexere, aut a praeclaris virtutibus tuis deſciſcere poteris. Illud te non celabo, cum in eodem Curatorum conſeſſu de profeſſione Graecae linguae ageretur, quam *Meurſius* noſter ſub primam aeſtatem relinquet, ſaepius atque ſerio judicatum eſſe, poſſe te hanc provinciam non tueri duntaxat, ſed etiam unice ornare. Quare vehementer ex te ſcire velim, quid tibi animi foret, ſi hoc munus tibi deferretur. Certe ſi locum mutare, & in hac Academia vivere nobiſcum recuſes, at ſaltem autor tibi eſſem, ne diutius apud te detineres filium tuum natu maximum,

verum

veram vivamque doctrinae & virtutis paternae imaginem. Multo melius in hac eruditorum hominum luce inclareſcent magnae illae ingenii dotes, quas ſummus Deus in ipſo collocavit. Equidem ego, ſi illum ad nos mittere velis, ut ſaltem ad tempus cum Profeſſoribus, amicis tuis, conſuetudo aliqua ei ſit, futurum tibi ſpondeo, ut brevi admodum tempore quaedam & lauta vitæ conditio ipſi obtingat, quam anteponere praefecturae trivialium Scholarum poſſit. Quid facturus ſis, rogo, ut ad me perſcribas quam celerrime. Vale, vir eximie, & me ama. Lugd. Bat. 25. Januarii 1625.

EPISTOLA CLXII.

PETRUS CUNAEUS

D. Henrico ab Eſſen

S. D.

VIR nobiliſſime & ampliſſime. Cum nuper juſſu tuo nepos tuus ex fratre me adiret, rogaretque an JCtum aliquem tuae Ampl. ſignificare poſſem, qui in illuſtri Gymnaſio veſtro Hardevicenſi profeſſione juris bene recteque fungeretur, mentio inter nos incidit *Reinardi Bachovii*, Profeſſoris quondam Heydelbergenſis, a quo literas pridem me accepiſſe nepos tuus intellexerat, quibus ille Germaniam relinquere, ac maxime in his noſtris regionibus honeſta aliqua, ſi fieri poſſet, conditione deinceps vivere ſe velle ſcripſerat. Sed cum jam biennium elapſum eſſet, neque ſcirem, quo nunc loco res ejus eſſent, dixi, ſi quis mihi alius e JCtorum ordine occurreret, haud me id celaturum. Equidem ante caeteros omnes ſtatim cogitavi de juvene praeſtantiſſimo D. *Gerardo Bronchorſtio*, Cl. Viri D. *Everardi Bronchorſtii*, collegae quondam noſtri, filio. Sed an is Leyda noſtra, & Batavia excedere vellet, dubitabam. Nunc cum id ei haud difficile fore ex ſermonibus ejus accepi, non vereor tuae Ampl. affirmare, adeo inſignem eſſe in eo juvene indolem animi, induſtriamque & eruditionem, ut augere Gymnaſii veſtri ornamenta & commoda poſſit. Accedet paterni nominis fama, quae auſpicium pulcherrimis ejus conatibus faciet, faventemque omnium concitabit exiſtimationem. Si profeſſio aliqua juris in hac Academia vacaret, promptiſſimam propenſiſſimamque Curatorum Academiae voluntatem fore ſcio, ut neminem alium requirere

cu-

cuperent. Haec omnino ſcribenda tibi duxi. Deus Opt. Maximus te, Vir Ampliſſime, reip. noſtrae diu incolumem ſervet. De me autem exiſtima, eſſe me tui nominis obſervatiſſimum ſtudioſiſſimumque. Lugd. Bat. 6. April. 1628.

EPISTOLA CLXIII.

PETRUS CUNAEUS

D. Johanni Iſacio Pontano

S. D.

Harderovicum.

Vir Clariſſime. Scripſi nuper ad nobiliſſimum virum D. *Henricum ab Eſſen*, illuſtris Gymnaſii veſtri Curatorem, eique ſignificavi, quam ſit praeſtanti doctrina, animique indole & induſtria D. *Gerardus Bronchorſtius* JCtus, clariſſimi viri D. *Everardi Bronchorſtii*, collegae quondam noſtri, filius, plane ut e re, atque ex honore Illuſtris veſtri Gymnaſii fore videretur, ſi is apud vos profeſſione juris publica fungeretur. Idem ut ad te nunc ſcriberem, fecit ſumma humanitas tua, qua fretus etiam atque etiam a te peto, ut pro ea, qua vales, gratia & autoritate praeclarum hunc juvenem ornare, collegisque tuis, viris clariſſimis, commendare velis. Rem feceris non modo mihi gratiſſimam jucundiſſimamque, ſed etiam Illuſtri Gymnaſio veſtro apprime utilem. Nam & ad famam ejus momentum aliquod habebit paterni nominis ſplendor, & ipſe vigilantia ſua ac propriis animi dotibus, ut confido, omnium exſpectationem. Vale, vir celeberrime, & clariſſimum collegam tuum D. *Henricum a Dieſt* meis verbis ſaluta. Lugd Bat. 9. April. 1628.

EPI-

Haec Epiſtola edita a Cl. *Matthaeo* in Sylloge ſua n. XXXVII. & adjecta reſponſio *Pontani*, unde apparet *Ger. Bronckhorſtium* ſimul cum *Antonio Matthaeo* ad Profeſſionem juris vocatos fuiſſe.

EPISTOLA CLXIV.
JOH. ISACIUS PONTANUS
Petro Cunaeo J. C.
S. D.

Leidam.

CLariſſime Vir. Literis tuis humaniſſimis, quibus me dignatus es ſuperiori menſe Aprili ſalutare, ac ſimul commendare de nota meliori D. Doctorem *Gerhardum Bronchorſtium*, collegae veſtri τ̃ μακαρίτυ filium, ut in locum defuncti collegae noſtri, legum Profeſſoris, D. *Balckii* ſurrogaretur, nunc demum, re feliciter & ad optatum vobis nobisque finem perducta, reſpondeo. Eſt enim a Velavicae tetrarchiae Deputatis noſtrique Gymnaſii Curatoribus atque ephoris, conſentientibus omnium ſuffragiis, electus ac deſignatus ad juris atque ethices ordinariam profeſſionem D. Doctor idem *Gerhardus Bruncborſtius*, ut & D. Doctor *Antonius Mathaeus*; utrique Clariſſimorum Juriſconſultorum, & hic quidem praeſtantiſſimi parentis *Antonii Mathaei*, qui hodieque in vivis agit; ille defuncti Clariſſimi Doctoris *Everhardi Bronchorſtii*, Profeſſoris olim, dum fata Deusque ſinebant, Academiae veſtrae, filius. Nec dubitamus, quin & quisque eorum, ſi non, ut inquit ille, paſſibus aequis, ſaltem aemulatione & affectu omni ſequetur ac referet patrem. Quod reliquum eſt, Deus Opt. Max. conatibus ipſorum ac ſtudiis adſit, eaque ad nominis ſui laudatiſſimi gloriam, ac juventutis multifarium profectum dirigat ac promoveat. Qui & te, vir clariſſime, incolumem ac florentem diu ſervet ac proſperet. Reſalutat quam diligentiſſime, quam ſalutatum volebas, collega noſter Doctor *Dieſtius*. Dabam Hardewici 13. Maji ſtili veteris. Anno 1628.

EPISTOLA CLXV.
PETRUS CUNAEUS
D. Gerardo Niportio
S. D.

Ultrajectum.

VIr Ampliſſime. *Juſtus Lyraeus*, vir omni doctrinae laude cumulatus, ſcholam Middelburgenſem ſumma

&

& induſtria & prudentia plurimos annos ita rexit, ut, (quod magni intereſt ad decus ejus civitatis) ſaepe iſtud, quod ingenue praedicare ſoleo, experti mecum confeſſique ſint etiam Collegae mei, Academiae hujus Profeſſores, ex ea urbe quam plurimos adoleſcentes ad nos tranſmitti, quorum eſt pectus bene recteque inſtructum, ad ea omnia capeſſenda, quae in gravioribus hiſce noſtris diſciplinis, atque in artium ſubliniore tractatione verſantur. Cujus rei magnam profecto inopiam in pleriſque aliis, qui aliunde quotidie huc veniunt, perſentiſcimus; Is, etſi apud Middelburgenſes publice privatimque in flagranti gratia eſt, tamen cum nunc regimen gymnaſii veſtri literarii vacet, muneris iſtius functionem magis ſibi expetendam exiſtimat, ejusque ſententiae juſtiſſimas cauſas habet, quas amicis ſuis omnibus probavit. Rogo te, vir Ampliſſime, ut D. Conſuli parenti tuo, caeteriſque civitatis veſtrae Magiſtratibus, apud quos autoritate valebis, etiam atque etiam hunc virum commendes, efficiaſque, ut intelligant apprime illud ex re atque ex honore gymnaſii veſtri fore, ſi ei apud vos praefectura rei literariae committatur. Vale, Vir Ampliſſime, & nobis, atque adeo publicis omnium commodis hanc, obſecro, operam da. Equidem ego ſpondere tibi audeo nunquam futurum, ut te ejus rei poeniteat. Iterum vale, & me, ut ſoles, ama. Lugduni Batavorum 4. Junii. 1630.

EPISTOLA CLXVI.

PETRUS CUNAEUS

D. Joanni Niportio JCto.

S. D.

Ultrajectum.

Vir Clariſſime. Intellexi id nunc a magiſtratu urbis veſtrae agi, ut illuſtre condat gymnaſium, in quo praeter literas artiumque diſciplinas theologia etiam & jurisprudentia tractetur: atque inſuper ſerio de evocandis ad eam rem viris doctis cogitari. Ego, etſi conſilium ſuggerere reip. veſtrae moderatoribus, viris ſapientiſſimis, & prudentiſſimis, nec debeo nec poſſum: tamen vehementer te rogo, ut ex te intelligant, *Joannem Cabeljavium* JCtum, literarum & jurisprudentiae ſtudiis egregie excellere, atque eruditiſſimis ſeculi noſtri hominibus *Erycio Puteano*, *Clau-*

dio Salmaſio, *Danieli Heinſio*, aliiſque quam plurimis de meliore nota cognitum probatumque eſſe, atque omnino id ex gymnaſii veſtri honore publico fore, ſi is apud vos profeſſione juris fungatur. certe quicquid hîc effeceris, in eo non tantum rem mihi praeſtiteris jucundam, ſed etiam de gymnaſii veſtri cauſa bene praeclareque merueris. Vale, vir clariſſime, & ampliſſimo Senatori fratri tuo ſalutem a me dic. Lugduni Batavorum poſtridie Calend. Januarii. 1634.

EPISTOLA CLXVII.

JOANNES NIPORTIUS
D. Petro Cunaeo J. C.
S.

Leidam.

Mitto tibi, Vir Cl. Athenaei noſtri Inaugurationem unà cum Orationibus & Poëmatibus inauguralibus, quae in unum corpus collecta edi ac divulgari Ampliſſ. Magiſtratui noſtro viſum fuit. Volui citius, ſed non potui propter Typographorum ſive tarditatem, ſive penuriam. Nam Diſſertatiuncula mea ante menſes aliquot impreſſa jacuit, ſocias exſpectans: quippe incomitatam prodire nolebam, quamvis cothurnata non ſit, ſed humi repat ſermone pedeſtri. Habes hîc ſatis multa, quae legas ubi moleſtum non erit, ubi voles, ubi tempus tibi erit. Sed cum venia legi peto, quae ego meditatus horis ſubſicivis, ut anſer inter olores effutii rogatus; hoc eſt, ut ego interpretari ſoleo, juſſus a Dominis meis. Rude opus, neque tuarum aurium, in quo non pauca haud dubie reperies, ubi ad emunctiſſimi judicii tui obruſſam exegeris, cenſoria virgula caſtiganda. Decoctius aliquid meditari per occupationes non licuit, ut nec, id quod rude, expolire. Prodeunt igitur eadem quae dixi. Ne tamen mihi controverſia moveatur ex illo capite, quod plus dictum forte quam ſcriptum; ingenuè fateor me monitum ab amicis currente prelo expunxiſſe paucula, quae fortaſſis ab iniquis obſervari, & a malevolis rapi in pejorem partem poſſent. Ego enim, ſicut meus eſt mos, liberius paulo proceſſeram, dum me quorundam pigebat taedebatque. Illud etiam vehementiam ſtili exaſperaverat, quod recentia quaedam animo meo oberrabant exempla vitiorum, quae intacta tranſire non poteram.

teram. Neque tamen aperte rem ipſam locutus, ſed circuitione aliqua uſus eram. Scrupulum nihilominus injiciebant ne unus & alter, quorum magna autoritas eſt, dictum in ſe inclementius exiſtimarent, neve id gravius ferrent, aut aliorſum, atque ego, illud acciperent. Ita enim comparatum eſt hac tempeſtate, ut quae vitia reprehenderis, malevolentia & invidia dicta putent. Ad hoc cum moroſiora plerumque ſint legentium quam audientium judicia, metuebam ne offenderent nonnulla, quae forte aures auditorum praetervolarant.

Sic ego majoris fugiens opprobria culpae,

prorſus a me opinionem hanc amotam volui: nam nec mihi animus quempiam laedere, nec id velle videri volui. Itaque imperavi egomet mihi, ut illa omitterem, e quibus aliam mentem mihi poſſent affingere ex ſua mente. Non videntur haec & talia a nobis, qui aliquam Reip. particulam attingimus, tuto proferri poſſe, quae a vobis & veſtri ordinis hominibus aequis animis accipiuntur. Vide quam libere agat D. *Voetius*, inſigne Gymnaſii noſtri ornamentum, carpens eos, quos tu olim concitaveras, in eamque rem te quoque autorem laudans. Valetudo mea, ut & dulciſſimae conjugis jam confirmata: (Deo propitio dixerim) ſane noſtra amborum vita in dubio fuit, uti te quoque intellexiſſe arbitror. Vale, Vir Cl. & me, ſi placet, ama. Ultrajecti a. d. IX. Decembris A. CIƆIƆCXXXIV.

EPISTOLA CLXVIII.

PETRUS CUNAEUS

Joanni Niportio JCto

S. D.

Ultrajectum.

ILlo ipſo tempore, cum acciperem diſſertationem tuam, qua illuſtre Athenaeum veſtrum inauguraſti, Vir clariſſime, durus quiſpiam atque improviſus caſus familiam meam adflixerat, quem te ex aliis ſatis intellexiſſe opinor. Ea res effecit ut magnitudine periculi exterritus, ac ſubinde ab urbe abeſſe coactus, multa intermiſerim officia, quae repraeſentare amicis ſolebam promptiſſime. Nunc, poſtquam tantae luis metu me liberavit ſumma Dei benignitas, nihil mihi antiquius fuit, quam ut & chartas tuas a bibliopego repeterem, & eas perluſtrarem accurata lectione. Gratias

tibi ingentes ago pro munere tuo, in quo ab omni parte elucet cum admirabili dicendi vi eruditio tua & prudentia. Mihi vero nihil quidquam novi hîc ſe obtulit, qui jam a longo tempore cognitas perſpectasque habui praeclaras illas animi ingeniique dotes, quas in pectore tuo ad publica ſeculi noſtri commoda & ornamenta Deus opt. max. collocavit. Quare vehementer patriae tuae gratulor, quae oſtentare eximiam indolem tuam doctrinamque inter prima gloriae ſuae decora poteſt. Quod te pedeſtri & inculto ſermone uſum eſſe ſcribis, id alii mecum tribuunt modeſtiae tuae, quae caeteras virtutes tuas ideo conſummat, quia haec una praeſtantiſſimos mortalium deeſt, & a Deo immortali aeſtimatur. Ita vere ſentio, neque hinc aliquid diffindo. Quid quantumve dixeris de ordine illo, quem vitio vacare, ac caeteris ſpecimen eſſe oportet, non ſatis ſcio. Certe quae edita a te extant, paucis verbis rem ipſam, & rectiſſimum animi tui ſenſum continent. De D. *Voetio* quid dicam? Variam ejus diffuſamque per plurimas diſciplinas ſcientiam, probitatis pietatisque propagandae ſtudium, & ſummam in caſtigandis turpiſſimis moribus libertatem amo mirum in modum aeſtimoque. Adeo ubique gravitatem, maſculamque fiduciam, & ingenuos vividosque ſpiritus habet ejus ſermo. Videtur mihi alter aliquis Hercules natus eſſe, qui Augiae ſtabulum perpurget, & immania vitiorum monſtra proterat vincatque. Equidem ego virum eum, etſi Leidae aliquando vixit, nunquam tamen de facie me noviſſe memini. Cupio autem eum propius noſſe, ubi per occaſionem potero. Nunc, ut meis verbis amanter eum ſalutes, te rogo. Sed & petere non verebor, ut ampliſſimis viris, parenti tuo, fratrique Senatori, & D. *Holick* Conſuli offeras officia mea omnia. De periculo vitae tuae, lectiſſimaeque uxoris retulit mihi dudum *Haymannus* affinis meus, atque ex eodem reſtitutam utrique valetudinem accepi. Quod ex animo vobis gratulor. Vale, vir clariſſime & amiciſſime. Lugduni Batavorum 13. Februarii 1635.

EPI-

EPISTOLA CLXIX.
JOANNES NIPORTIUS
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

HAbes hîc, Vir Cl. Inaugurationem recentis Academiae noſtrae, una cum Orationibus inauguralibus. Videbis ibi meam quoque, quam legi velim cum venia: Nunquam enim minus compoſito animo ad ſcribendum fui, quam cum illam meditarer, impeditus tum infirma valetudine, tum crebris, imo infinitis interpellationibus, quae me ſaepiſſime ſcriptum e manibus deponere coëgere. Equidem nihil moleſtius mihi videtur, quam ſi quid orſus avocaris alio, faciliusque abſolvis inſtituta, quàm abrupta confers. Cum tamen a me peteretur ut Illuſtr. Ordinibus publicas, Civitatis nomine, gratias agerem, dixi pauca, quae grata mens ſuppetebat, quaeque a loco & tempore non aliena videbantur. Mos nempe gerendus erat iis, qui non modo impetrare, ſed & imperare poſſunt quicquid mihi in manu eſt. Quae erant igitur meae partes? autoritatis tantum, quantum in me Magiſtratus eſſe voluit, uſus aut exercitationis pauxillum, ingenii vix quicquam. Itaque cum nihil aliud poſſem, voluntatem attuli prolixam, atque id conſecutus ſum, ut qui eruditionem in me requirent, utique conatum & navatam operam agnoſcent; & benigni rerum aeſtimatores eo facilius veniam dabunt, quod oratio omnis non meae fuit autoritatis, ſed publicae. Quippe ab ampl. Senatu denuo in proſcenium extruſus, ut in tragoedia comicus, perſonam ſuſtinere debui in ore atque oculis tantae frequentiae, auditores habens multos, ſpectatores plures, qui ad novum hoc Athenaeum inaugurandum incredili multitudine confluxerant. Principio ſilentii ſatis impetrabam, ſed cum poſtea admittendis advenis, qui plurimi ſerius appulerant, fores templi aperiuntur, ſimul irruunt pueri, mulieres & ex infima plebe innumeri, qui novitatis ſtudio commoti convolant, tumultuantur, vociferantur, pugnant de loco. Atque ita ſimili uſi fortuna, ut in Principatibus aliisque id genus Inaugurationibus, quorum ſacra ſine tumultu conſtare non ſolent. Qui me ſecutus, eruditiſſimus *Æmilius*, clamore ſummo, cum labore maximo, elegantiſſimam Orationem ſuam recitavit

partim, quae integra jam quoque prodit. Vides quemadmodum vobiſcum conſpiremus in accommodandis iis, quae ad optimis artibus imbuendam juventutem ſpectant; quo nomine Proceres noſtros ſine invidia laudem inventuros confido. Te certe huic inſtituto favere certus ſum Reip. literariae cauſa, quae hac ratione etiam promovetur. Neque mirum ſi amor patriae urbis & Academiae me nonnihil transverſum rapuit; eique errato non gravate ignoſces ſcio, qui tuus eſt in literas amor; praeſertim cum nemini interdictum ſit optima ſeculo augurari; aut cogitatione praecipere. Non minimum Athenaeo noſtro decus accedit admirandis verſibus nobiliſſimae doctiſſimaeque civis noſtrae. Plurimum quoque debemus eximio D. *Barlaei* ingenio, quem rerum noſtrarum praeconem nactos eſſe nos ſerio triumphamus. Vale, Vir Cl. & me, quod facis, ama. Ultrajecti poſtridie Calend. Majas Ann. cIↃIↃcXXXVI.

EPISTOLA CLXX.

PETRUS CUNAEUS

D. Joanni Nipertio, JCto.

S. D.

Ultrajectum.

Cum amicus meus, D. *Joſephus Vorſtius*, Curiae veſtrae patronus eruditiſſimus, reditum ad vos aliquantiſper differret, fecit ea res, ut tardius tibi reſpondeam. Redditae mihi ſunt litterae tuae una cum diſſertationibus, quas adjunxiſti. Inter quas haec, quae tua eſt, tantum elegantiae, gravitatis, & prudentiae ſupra caeteras habet, ut excellentis induſtriae viris, qui mox te excepere, praerepta, non praebita a te dicendi facultas ſit. Quare quod te excuſas, ſane in eo εἰρωνείαν tuam agnoſco. Scis enim tute ipſe, quam praeclare in hoc genere exuberes. Sed quicquid cauſatus fueris, ſervabo tamen morem meum, & ſummam tuam eruditionem atque expromptam ad omnia facundiam apud alios honorificentius, quam apud te, praedicabo. Hoc enim & modeſtiae tuae & meae verecundiae eſt conſentaneum. Ut coepta veſtra huic ſeculo ad doctrinae & literarum incrementum ad decus proficiant, ex animo voveo. Etſi non deſunt, qui ſecus ominantur, & ex tam multis inter finitimos vicinoſque Academiis naſciturum fortaſſe aliquod credunt bonarum artium faſtidium. De

De cauſa tua, quae Middelburgi pendet, ita apud affinem meum judicavi, ut te niti optimo certiſſimoque jure ex me intellexerit. Ultra autem aliquid a me fieri neque periveras, & haud ex re tua videbatur. Adeo eſt obfirmati propoſiti is, quem curatorem uxor tua habuit, & omne ſibi momentum eſſe poſitum putat in pactione, quae facta a te cum D. *Perrio* eſt. In quo fallit illum vehementer ratio, ſi quid ego tecum recte ſentire didici. Vale, vir clariſſime, & veſtrae florentiſſimae civitati diu perenna. Lugduni Batavorum 12. Junii 1636.

EPISTOLA CLXXI.

PETRUS CUNAEUS

D. Gerardo Bronchorſtio

S. D.

Harderovicum.

VIr Clariſſime. Quod literis tuis, quas ad me 22. die Januarii dediſti, enixe petis, id ego tecum una opto vehementer cupioque, neque in ea re deerit tibi ſtudium meum, & propenſiſſima voluntas, ut illud conſequaris, quod tibi & jura civilia publice in illuſtri loco profitenti, & celeberrimi anteceſſoris filio debetur. Video equidem hactenus nihil effectum eſſe, propterea quod per Gallias Germaniamque quaerebatur aliquis, qui ex locis procul hinc ſitis lucem aliquam & ſplendorem ſecum adferret in hanc Academiam, ſed fruſtra tamen eam operam fuiſſe apparet. Quare niſi morbus D. Praeſidis, & alia quaedam fortuita impedimentum feciſſent, hoc nupero Curatorum conceſſu decretum peractumque fuiſſet, quicquid id eſt, quod ad noſtrates pertinet, qui huic muneri ſe offerunt; nunc mora intercurret, ſed brevis. Quippe intra paucas ſeptimanas conventui tempus conſtitutum eſt. Non debes porro ignorare nomen tuum eſſe apud eos cariſſimum, qui Academiae noſtrae praeſunt. Adeo cauſam tuam luculenter commendant multi Reip. noſtrae proceres, quorum & fides & autoritas eſt longe maxima. Vale, clariſſime Bronchorſti, & me ut coepiſti ama, tui tuorumque omnium amantiſſimum ſtudioſiſſimumque. Lugd. Bat. 11. Februar. 1631.

EPISTOLA CLXXII.
JOACHIMUS CAMERARIUS
Petro Cunaeo.

Leidam.

VIr Clariſſime. Confiſus veteri benevolentiae tuae audeo ſine ampliori prooemio in commoda ſimul publica & tua hac potiſſimum de cauſa peccare. Intellexit Pater *Reinhardum Bachovium* JCtum non ita pridem ad te dediſſe * literas, in quibus cum caetera conſideratione aliqua digna, tum quaedam ſint, quae cum defectione ejus & caſtrorum, in quae tranſiit, diſciplina non omnino congruant. Eſt autem vir ille etiam propinquitate nobis junctus, & ut ad nos non exigua pars tam acerbi caſus ſpectavit, ita laetaremur, ſincerioris pietatis & fidei ſemina in illo non prorſus fuiſſe extincta. Quicquid illud ſit, niſi literae de illarum ſunt genere, quas propalare religio eſt, enixe petimus, ut participibus eſſe liceat eorum, quae ſcire noſtra quaſi intereſt. Rem praeſtabis, vir humaniſſime, patri meo inprimis gratam; caeterum quae me, qui jam ex illo tempore, quo veſtra me Academia & comitas tua beatiorem fecerunt, plurimum tibi debeo, arctiori adhuc obligationis vinculo conſtringet. Viciſſim autem à nobis, ſi quid poſſumus, ſi quid valemus, aut quod viribus noſtris negatum eſt, à promtitudine & ſtudio quaeſo exſpecta. Vale, vir Clariſſime, & fave. Hagae 28. Martii 1631.

* Vide ſupr. Epiſt. CLVI.

EPISTOLA CLXXIII.
PETRUS CUNAEUS
D. Joachimo Camerario

S. D.

LIterae D. *Reinhardi Bacchovii*, quas a me petis, juvenis nobiliſſime, ante plures annos ad me ſcriptae ſunt, cum nondum ille a cauſa religionis noſtrae deſciviſſet. Quare ab hoc crimine, quod vulgi ſermonibus jam tum circumferebatur, ſe purgat, & nunquam ſe ad Pontificis Romani ſacra acceſſurum ſignificat. Caeterum ita totam eam rem attingit, ut tamen haeſitaſſe eum, & mutaviſſe non obſcure appareat. Si quid poſtea ſecus, quam cordatum

virum

virum decuit, factum ab eo ſit, neceſſitati temporum id ab illo datum eſſe, & rectae bonaeque mentis femina in eo adhuc ſupereſſe, exiſtimo. Equidem ego tunc id enixe operam dabam, ut Franequeram ad profeſſionem juris, quae vacabat, accerſeretur. Sed ne id feliciter ſuccederet Friſiorum quorundam ſcrupuloſa effecit ſuperſtitio, qui eum a D. *Marco Lycklama* JCto liberius paulo & acerbius diſſenſiſſe indignati ſunt. Literas eas, de quibus ſcribis, ad te mitto, ut videas nihil eſſe, quod tibi negandum putem. Illuſtriſſimo Viro, parenti tuo, Regis Sereniſſimi Legato, officia omnia, & promptiſſimam obſervantiam debeo, cui ut me commendes, etiam atque etiam te rogo. Vale, nobiliſſime juvenis, & me tui amantiſſimum crede. Lugduni Batavorum. Calendis April. 1631.

EPISTOLA CLXXIV.

JOACHIMUS CAMERARIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

Vir Clariſſime. Remitto, quorum mihi copiam humanitas tua fecit, cum actione gratiarum, quanta equidem poſſum. Volebam cum aliqua etiam quaſi compenſatione eorum, quae non ita pridem Sereniſſ. Rex in agro Megapolitano proſpere geſſit, novo in illa temporis aſperitate exemplo. Sed & horum praecipua jam in omnium ſunt manibus, & ego nunc quidem quibuſdam occupationibus & curis in valetudine utriusque parentis diſtineor. Matrem pedis malum, ex quo reliqua eſt gradiendi difficultas, hactenus lecto affixit; patrem vero die Lunae praeterita acrior febris non ſine ſolicitudine periculi invaſit, cujus cum jam viderimus declinationem, expectemusque certiorem, remiſerit inſuper capitis gravedo & virium debilitas, in benignitate Dei de ſanitate ejus bona nobis ſpes eſt. Quae literis ſuis *Bacchovius*, ea memini me ſaepius ex ejus ore totidem paene verbis audire, quamvis non tanta tum cum nutatione, quae paulatim virum in caſum dedit. Horribile vero ſacrificium, ad quod ſeſe tandem etiam cum pompa duci paſſus eſt, ſcio non ſemel fuiſſe execratum. Quo ſtudioſius videntur cavenda eſſe hujus praecipitii principia, curandumque, ubi non omnia inter illos, qui in re etiam ſanctiſſima humani aliquid pati ſolent, nobis placere poſſunt, ne cum periculo communium ſacro-

rum & noſtro majori diſſentiamus, exeamusque paulatim ut ita loquar, de noſtra & eorum, quae nos antea retinebant, poteſtate. Abyſſum eſſe miſericordiae divinae ſacris monemur literis, quo & ego rem totam refero. Nec plura nunc licet. Salutat te diligenter cariſſimus pater. Te, V. C. mei amantem eſſe & gloriae mihi duco & felicitati. Hagae 5. Apr. 1631.

Ex hac epiſtola conficeretur *Bacchovium* a ſacra puriora ejuraſſe, & tranſiiſſe in Papiſtarum caſtra, & adoraſſe numen ab illis creatum & confectum, quod negaverat ſupra Ep. CLVI. ſe unquam facturum. Dubitatum de hoc ejus tranſitu fuiſſe vidimus ad Epiſt. CXLI.

EPISTOLA CLXXV.

PETRUS CUNAEUS

D. Joanni Meurſio

S. D.

Soram.

VIr Clariſſime. Hiſtoriam rerum Danicarum, quam admirabili ſucceſſu contexere coepiſti, atque item Denarium Pythagoricum, ambos ingenii tui luculentiſſimos foetus, ex munere tuo tradidit mihi Collega noſter amiciſſimus * D. *Voſſius*. Nihil mihi fuit gratius jucundiusque, quam penitus perſpicere veterem illum ſummae tuae eruditionis genium, quem pridem, cum apud nos eſſes, colui ſuſpexique. Gratias tibi ingentes pro donis tuis habeo, ac, ut referre aliquando poſſim, opto. Gaviſus vehementer ſum, conſtantem eſſe te in ſuſcepto ſemel mei amore; in quo debes credere, mutuum facere me, neque in affectus ſinceritate tibi concedere. Rogo te, ut de ſeculo noſtro bene mereri, ac rem literariam praeclaris ſcriptis tuis & commentationibus augere pergas. Cum enim amplius aſpectu tuo alloquioque perfrui nobis non liceat, unum illud ſupereſt, quo lenire poterimus tui deſiderium. VV. CC. *Voſſius* & *Barlaeus* a nobis Amſterodamum abeunt. ubi diſceſſerint, idem in illis, quod in te nobis continget. Abſentes ſubductoſque quaeremus fruſtra, ac vitio humani ingenii praeſentia dona apud nos eviluiſſe dolebimus. Quid porro agas tentesve ſcire aveo. Quippe res a moribus atque ab inſtitutis tuis alieniſſima otium eſt; & me, aliosque mei ſimiles, qui per ignaviam conſeneſcimus, in rubo-

* Vide Voſſii Epiſt. Select. CLXIII. & CLXIV.

borem das. Vale, vir clariſſime, & me ama, ac ſubinde ad me ſcribe: Ego in eo officii genere nunquam ceſſabo. Lugduni Batavorum pridie Calend. Maji 1631.

EPISTOLA CLXXVI.
JOANNES MEURSIUS
Petro Cunaeo

Leidam.

VIx credere poſſis, Vir Clariſſime, quam conſpectae literae tuae animum exhilararint; cum conſtantiam mutui in me amoris teſtarentur: quam deinceps ut retineas, etiam atque etiam rogo. *Danicam Hiſtoriam* meam, *Denarium Pythagoricum*, placuiſſe, in majorem modum gaudeo. Nempe eorum, quos amamus, dona quoque grata habemus. Sed, judicium quanquam optem, de quo plane nil affectus delibaverit; tamen gratum illud etiam, ſi affectus ſe adjungat. Neque quicquam eſt quod vetat recte ſane judicare etiam de iis rebus, in quas animis propendemus. Sive tamen error iſte eſt, ſeu judicium, cuperem ſic omnes tecum judicare, aut errare. *Voſſium* noſtrum, & *Barlaeum* Amſtelodamum commigraſſe, maxime miratus fui; neque enim quicquam minus exſpectaveram. De *Barlaeo*, fateor, jam intellexeram: ſed de *Voſſio*, ne per ſomnium cogitaveram. Doleo vicem Academiae, quae non parum obſcuratur, his luminibus ſubtractis: neque facile reparare damnum erit, ſi quid video. Nempe fere uſu venit, ut praeſentia contemnamus, aut non aequo ſatis pretio aeſtimemus: ac ſublata doleamus, quanquam ſero, & quaeramus. Pars felicitatis quaedam eſt haud exigua, bona ſua non ignorare. Magna laude digni Amſtelodamenſes, qui oſtendunt, & amare ſe virtutem, ac doctrinam; & vero pretio aeſtimare didiciſſe. Quod de ſtudiis meis quaeris; nunc *Solonem* incepi edere: quem typographus, ſatis lentus, cum abſolverit, exemplaria vobis mittam. Comites quoque illi venient, *Piraeeus*, *Reliqua Attica* & *Familiae* item *Atticae*. Sed tu, quando *Joſephum* dabis? Debes, publice promiſſum; & ut fidem liberes, vide. Vale, vir clariſſime; & amare me, quod facis, conſtanter perge: ego certe operam dabo, ne hic quicquam in me deſideres. Sorae, ad diem IV. Junii CIƆIƆCXXXI.

EPI-

EPISTOLA CLXXVII.

JOANNES MEURSIUS

Petro Cunaeo.

Leidam.

VIr Clariſſime. Quanquam ſcriptione dignum nil haberem, tamen, occaſionem nactus, committendum non putavi, quin vel pauca iſta verba ad te darem. Mitto nunc Solonem meum, qui probare utinam ſe tibi poſſit. Deſcripſi etiam Cretam inſulam, illam olim, uti noſti, ἑκατόμπολιν; inveſtigavi regnum ejus antiquiſſimum, atque reges omnes ordine: tum rempublicam ſubſequutam, quae Minois legibus adminiſtrata, & antiquitates alias, atque ſtatum item inſulae univerſum, per ſucceſſionem temporum. nullus dubito, quin hanc operam tibi, ac ſimilibus tui, id eſt, doctis adeo omnibus, admodum ſim probaturus, niſi nimium me amo. utinam occaſio edendi detur; nam typographi hîc noſtri nihil niſi quaeſtum captant, ut & veſtri. Non jam *Aldi* ulli ſuperſunt, non *Frobenii*, aut *Oporini*; neque *Stephani*, aut *Plantini*. dudum ad plures abiere illae vere ſeculi aurei reliquiae: ſed quid volumus? haec noſtrorum temporum fata, quae multo rectius ferimus, quam accuſamus. Scis *Scaligerum* quoque patrem, at quantum virum! cujus nos vix umbra quidem ulla ſumus, ſuo tempore lucubrationibus ſuis, vere aureis, vix typographum inveniſſe. Durum eſt, ſed levius fit patientia, quicquid corrigere eſt nefas: ut haec Lyrici uſurpem. Iſthic deſino; & te rogo, Vir Clariſſime, ut me porro, quod feciſti hactenus, amare velis. Uxor mea tibi, & lectiſſimae uxori tuae, ſalutem officioſam dicit. Vale, Raptim, Sorae Danorum, ad diem XXVI. Aprilis. CIↃIↃCXXII.

EPISTOLA CLXXVIII.

PETRUS CUNAEUS

D. Joanni Meurſio

S. D.

Soram.

VIr Clariſſime. Etſi nihil habebam, quod ad te perſcriberem, tamen cum ex *Elzeviriis* noſtris aliquis ad te iter pararet, nolui in ſuſcepti ſemel officii ratione videri ceſſa-

ceſſaviſſe. Qui enim veteris amicitiae obſervantiaeque inter nos cultum eſſe perpetuum cupio, haud peccare me poſſe exiſtimavi, ſi qualibet occaſione id tibi ſignificarem. Neſcio an intellexeris vocatum ad nos eſſe *Claudium Salmaſium*; qui Pariſiis huc commigraturus eſt, non ut lectionibus publicis operam Academiae noſtrae navet, ſed ut commentationes ſuas, quas ad ſcriptores hiſtoriae Eccleſiaſticae parare coepit, conſummet porro edatque. D. *Rivetus* a nobis menſe Majo Hagam abit, titulumque retinebit profeſſoris honorarii. An hiſtoriam Danicam pertexas, ſcire aveo. Certe non debebas intermittere tam praeclari operis inceptum. Quod ſi horum temporum componere annales velis, excitare divinam animi tui indolem poterunt ea, quae magno auſu, & admirabili ſucceſſu in Germania nunc geruntur. Vale, vir ſumme, & me inter eos numera, qui te impenſiſſime colunt. Lugduni Batavorum. 27. April. 1632.

EPISTOLA CLXXIX.
PETRUS CUNAEUS
D. Joanni Meurſio
S. D.

Soram.

EX quo tempore, vir clariſſime, literas meas ante biennium ad te pertulit idem hîc *Elzevirius* noſter, nullum a te reſponſum accepi. Quare ſi moram meam culpes, erit quod regeram. Sed puto nos ambos fiducia potius amicitiae ceſſaſſe, quam ex ulla mutati animi cauſa. Scio quippe eam eſſe arctiſſimam conjunctionem, quam nulla levioris officii intermiſſio abrumpit. Ego ea ipſa tempeſtate, cum paulo ante ad te ſcripſiſſem, Solonem tuum accepi, ſed ſine literis. Pro quo munere cum gratias tibi agere conſtituiſſem, neminem reperi, qui iter ad te faceret. Enimvero pro luculentiſſimo illo munere, ut gratias tibi ago maximas, ita plurimum tibi debet Juriſconſultorum ordo, eorum praecipuè, qui leges Romanas illuſtrare cupiunt ex Athenienſium antiquiſſimo jure. Nihil jam a multo tempore edidiſſe te memini, quod magis adjuvet cauſam Juriſprudentiae noſtrae. Utinam leges Atticas jam pridem a *Scaligero* collectas evulgarent tandem illi, qui epiſtolas ejus, praeter auctoris mentem ac fortaſſe etiam contra amicitiae aequiſſimas leges, publicaverunt.

Va-

Vale, vir clariſſime, & diu reip. literariae ſoſpes ac incolumis vive, meque ut facis, tui obſervatiſſimum amantiſſimumque redama. Lugduni Batavorum Calendis Maji. 1634.

EPISTOLA CLXXX.
JOANNES MEURSIUS
Petro Cunaeo

Leidam.

Libentiſſimus certe vidi literas tuas, Vir Clariſſime; quas ferebat *Elzevirius*, cum ad nos negotiorum cauſâ accederet. Etſi vero, ut dicis, nulla facta ceſſatio à mutatione animi, ſed fiducia amicitiae, quam mors ſola finitura eſt. Gratulor mihi, quod Solonem ita placuiſſe ſcribas; magis etiam, quod obſtrictum ordinem Jureconſultorum. Commune mihi tecum votum eſt, ut *Scaligeri* leges Atticas evulgarent etiam illi, qui malo jure, malo more, Epiſtolas ejus, praeter mentem τȣ͂ μακαρίτȣ, amicitiaeque leges, quas inviolatas eſſe oportebat, in lucem publicam protruſere, ut tu quoque recte cenſes. Sed defectum hunc ſupplebit aliquando mea *Themis Attica*; ſive, *De legibus Athenienſium*, opus: quod conſcribere coepi. faxit Deus, ut perficere, & in lucem edere, poſſim. Jam progreſſus aliquousque, molior porro, quantum occupationes aliae id patiuntur: minime ſane quieturus, dum abſolvam. quod ut liceat, iterum ſummum numen precor. *Gulielmus Blavius*, typographus Amſtelodamenſis, Opera mea univerſa, in quatuor tomos diſtributa, edere parat. In illis erunt multae etiam lucubrationes novae, nunquam hactenus vulgatae: quarum indicem ne hîc repetam, ſi exiſtimabis tanti, inſpicere poteris in epiſtola, quam nunc ſcripſi ad communem amicum noſtrum, *Adolphum Vorſtium*. Vale, vir clariſtime, & me amare, quod facis, perge. Uxor mea tibi, ac tuae, ſalutem adſcribit plurimam. Sorae Danorum, ad diem XXVI. Octobris CIↃIↃCXXXIV.

EPISTO-

EPISTOLA CLXXXI.

PETRUS CUNAEUS

D. Joanni Meurſio

S. D.

Soram.

SOleo ego diligenter, vir Clariſſime, pro ea, quae inter nos eſt, amicitia, ex omnibus, qui iſthinc veniunt, de te tuiſque ſciſcitari. Omnes autem ea referunt, quae intelligere vehementer cupio. Ad nos quod attinet, quanta calamitas ex lue peſtifera terris noſtris, ac praeſertim huic Leydae incubuerit, ignorare neutiquam ex fama potes. Abfui ab Academia, & partim in Zelandia, mox in praedio prope Delphos cum familia vixi per menſes integros quinque, & quod excurrit. Pariterque ex ordine noſtro ſeceſſerunt, ut ſe ſubducerent ingruentibus malis. Caeterum ſingularis in Academiam Dei benignitas effecit, ut incolumes evaſerint omnes, etiam qui muneris ſui functionem non intermiſerant. Et jam utique tanta omnium ex diverſiſſimis regionibus ad hoc Lycaeum adfluentium multitudo eſt, ut ad ſtabiliendas augendaſque Academiae res praeceſſiſſe triſtis ille & miſerabilis caſus videatur. Quare nihil jam aliud Deum Opt. Max. rogo, niſi ut ſummis muneribus ſuis addat perpetuitatem. Haec tibi, cum nihil, quod ſcriberem, eſſet, ſignificanda duxi, vir amiciſſime, propterea quod nec *Elzevirium* ſine literis meis dimittere volui, & te quam optime velle patriae tuae ſcio. Hiſtoriam tuam Danicam omnes exſpectant, qui, quae ante edidiſti, jure meritoque admirantur. Salutamus te uxoremque lectiſſimam, & liberos tuos ego, uxor, liberique. Vale, vir ſumme. Lugd. Bat. 13. April. 1637.

EPISTOLA CLXXXII.

JOANNES MEURSIUS

Petro Cunaeo.

Leidam.

GRatae mihi majorem in modum, Vir clariſſime, literae tuae, quas per *Elzevirium* tuum ad me mittere voluiſti: nam valere te, tuoſque omnes, recte, & conſtantem amorem veſtrum, nuntiabant. de quo quamvis nil omnino dubitarem, tamen voluptati mihi non exiguae, denuo

nuo poſt intervallum quoddam temporis illud ipſum intelligere. Peſtem nihil Academiae nocuiſſe, ſerio gratulor; & Deum opt. max. precor, uti porro illam ſervet, ac vos omnes in eadem. Sialandia noſtra vehementer nunc laborat; Hafniaeque aliquot millia ſunt extincta. Nos, per Dei gratiam, adhuc immunes tanti mali; &, ut deinceps item praeſtet, merito illum veneramur, quaeſumusque. *Hiſtoria Danica, quam tam avide exſpectare omnes ſcribis, nunc excuditur; ſed typographus lente admodum progreditur: quanquam ſpero, nunc majorem tandem diligentiam adhibiturum. Noſtri itidem hic deſiderant, & mature editionem abſolvi vellent. *Voſſius* noſter ſedulus eſt ἐργοδιώκτης, nec urgere virum ceſſat: ſed & ipſe cruciatur, quod ex voto non procedat. Certe jam eſt quadriennium, quod nos trico ille differt, ac procraſtinationi ſemper aliquid praetendit: & haec quidem, ſi praeſciſſem, nunquam illi lucubrationes meas tam multiplices excudendas permiſiſſem; nunc ferendum patienter, quod nequimus emendare. Scripſi aliquoties *Voſſio*, ut remitteret, quae miſiſſem; ſed, ut viri optimi quique ſunt facillimi, patitur ſe blandis verbis, & compoſita in ſpeciem excuſatione differri. nec accuſo virum longe amiciſſimum, optime mihi, publicoque, cupientem. Vale, Vir clariſſime, & amare me conſtanter perge. Salutamus te, uxoremque lectiſſimam, & liberos tuos, ego, uxor, liberique. Raptim, Sorae Danorum, pridie Kal. Octobris cIↃIↃCXXXVII.

* Vide Epiſt. Select. *Voſſii* CCCCI. & CCCCXIV.

EPISTOLA CLXXXIII.

FRIDERICUS LINDENBROGIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

QUod litteris ad te meis inviſo, gemina cauſa eſt. Una, quod juvenis hic procudendi ingenii cauſa ad Athenaeum veſtrum proficiſcens, tibi a me commendari maximopere expetiit: altera, ut in cauſa teſtamentaria ſententiam meam exactiſſimo tuo tuorumque collegarum examini

ni atque judicio ſubmitterem. Dabis igitur hoc, ut confido, nomini noſtro; dabis ipſi Juſtitiae & cauſae meritis, ut & juvenem, quem dixi, favore atque benivolentia tua dignum cenſeas, & ſententia mea, collato cum collegis tuis, Viris eruditiſſimis, conſilio recenſita aut adprobetur, ſi recta dixi: aut ſi erravi, ut refutetur. Utrumque ſi a te impetrari patieris, ſummo me beneficiò devincies, viciſſimque in omnibus, ubi ubi occaſio erit, me tui ſtudioſiſſimum experieris. Feliciter. Datum Hamburgi Kal. Maji, Anno Chriſti CIↃIↃCXXXI. Honorarium pro opera impenſa ſi forſan domini collegae poſtulaverint, id quale eſſe oporteat, me certiorem ut facias rogo. Iterum vale.

Lindenbrogiorum vitas nuper edidit vir egregius *Wilerius* Hamburgi 1723. ubi §. XVIII. de lite hac mota circa teſtamentum Conſulis *Sebaſtiani Bergii*, & conſilio hoc late agitur. Si has Epiſtolas *Cunaei* vidiſſet vir induſtrius, inter *Friderici* amicos ſine dubio *Cunaeum* retuliſſet, & quid de eo in Academiam Batavam evocando actum fuiſſet, ex Epiſtola ad *Honertium* CXXVII. prodidiſſet.

EPISTOLA CLXXXIV.

PETRUS CUNAEUS

Frederico Lindenbrogio

S. D.

Hamburgum.

Literae tuae, Vir Nobiliſſime, his diebus mihi redditae fuerunt, quibus juvenem ingenuum *Vincentium Fabricium* mihi commendas. Non debes dubitare, quin gratisſimi & jucundiſſimi mihi ſint omnes, qui illinc a te veniunt. Adeo nihil mihi magis curae eſt, quam ut perſpicias in omnibus rebus, quae ad te tuosque pertinent, ſtudium meum, operam, atque diligentiam. Reſponſum tuum in cauſa teſtamentaria legendum atque excutiendum ordini noſtro propoſui. & omnia exactiſſimo tuo judicio, & praeclarae legum ſcientiae, atque ipſi aequitati conſentanea eſſe cenſuimus. Quare ea ſuffragiis noſtris comprobavimus, ac ſolenni more ſignata transmittimus. De honorario fruſtra ſollicitus es. Effeci enim apud collegas, ne quid ſibi deberi exiſtimarent. Rogo te ut, quemadmodum coepiſti, ita me porro ames tui amantiſſimum, atque ut

omnia humanitatis officia cumulate a me exſpectes. Vale, Vir Clariſſime. Lugd. Batavorum 21. Junii. 1631.

EPISTOLA CLXXXV.
FRIDERICUS LINDENBROGIUS
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

QUANDOQUIDEM mea commendatione adjutus humanitatem tuam ac benivolentiam affatim adeo nuper expertus eſt *Vincentius Faber*; quaeſo eadem etiam uti frui *Petrus Rentzelius* ut poſſit, a te impetrari ſinas. Sanguine junctus eſt Viro Cl. *Johanni Brantio* J. C. & Reipub. hujus Senatori, amico meo ſummo; cujus etiam rogatu factum, ut litteris hiſce aditum illi ad te patefacere voluerim. De ſtudiis nil addo: ipſus frugem eorum periclitaberis, & ad meliora dirigere, ubi ubi opus erit, haud grave, ut confido, putabis. Sed & *Fabrum* noſtrum porro adjutare, manumque data occaſione illi praebere ut velis, ſummopere obſecro. dolendum enim foret, fundamenta non male jacta fortunarum haud adeo amplarum culpa ſubrui, aut quidquid illis hactenus ſuperſtructum eſt, transverſim rapi debere. Ceterum, Vir amiciſſime, gratias tibi pro opera optime nuper in negotio teſtamentario collocata, permaximas ago: viciſſimque bene de te, bene de collegis tuis, quos pariter officioſiſſime ſaluto, merendi occaſionem mihi dari opto. Feliciter. Hamburgi Kal. Octobr. An. CIↃIↃCXXXI.

EPISTOLA CLXXXVI.
PETRUS CUNAEUS
D. Frederico Lindenbrogio
S. D.

Hamburgum.

VIr Nobiliſſime. *Rentzelius* veſter, inſigni modeſtia & ſingulari virtute ſua, adeo ſemet ipſe omnibus probat, ut ad affectum meum promerendum nihil opus habuerit parario. Nunc cum etiam literas tuas mihi tradidit, efficiam ut non parum ſibi profuiſſe tanti viri ſentiat commendationem. Senatoris ampliſſimi D. *Johannis Brantii* JCti prae-

clara

clara in remp. veſtram merita neque apud nos ignorantur, & nuper cum legatus ad Caeſarem miſſus eſt, magnam accepere acceſſionem. Quare cupio ut ex te intelligat, fore me ad omnia, quae proficiſci a me poterunt, paratiſſimum promptiſſimumque. *Vincentius Faber*, de quo & ante ſcripſeras, & nunc iteraſti, meliore fortuna dignus eſt, neque defetiſcar ego unquam experiri, donec aliquid, quod ad illum juvandum pertinet, effecero. Video ingenium ejus eſſe literis artibusque apprime excultum, cujus naſcenti laudi & optimis conatibus rem anguſtam obſtare ingens foret ſeculi dedecus. Qui hanc epiſtolam tibi traditurus eſt, popularis veſter eſt, *Petrus Hartzwichus* JCtus, qui multo rerum uſu longaque peregrinatione, & eximia doctrina ut nobis omnibus jucundiſſimus gratiſſimusque fuit, ita civium ſuorum pronum favensque ſtudium, uti ſpero, perſentiſcet. Non enim deliteſcere aut negligi in patria ſua poterit tam exculta animi indoles. Vale, vir nobiliſſime, & me, ut coepiſti, ama. Lugduni Batavorum, 18. Novembris 1631.

EPISTOLA CLXXXVII.
PETRUS CUNAEUS
Friderico Lindebrogio
S. D.

Hamburgum.

VIr Nobiliſſime, humanitatis tuae & benevolentiae grande percepi documentum ex literis conſultiſſimi viri D. *Hartzwichi*, qui commendationem meam apud te tanti fuiſſe momenti ſcripſit, ut quae tibi nulla prece rogatus liberrimo animi judicio ſignificaveram, ea apud proceres Reipublicae veſtrae publicare neutiquam veritus fueris. Equidem ego certo futurum auguror, ut fructum hujus rei capiat ille aliquando uberrimum, cum neque pro animi tui religione quidquam gratiae dare ſoleas, neque alienae praedicationi tantum confidas, quin multo magis credas tibi, virtutum ipſe omnium judex acerrimus certiſſimusque. De *Fabro* tuo etiam atque indies cogito, neque ulla ſe hactenus obtulit occaſio, per quam digne conſulere potuerim tam praeſtanti indoli. Nam quod ad ea attinet, de quibus ille fortaſſe ad te ſcripſit, haud ſatis conveniunt meritis ejus; ſi tamen interim his ſe ſolari velit, aliquod dies,

ſpero, offeret, quod inopinatum erit. Eruditiſſimum & accuratiſſimum conſilium tuum typis excuſum accepi & gratias tibi pro eo ago. Idemque faciunt collegae mei, qui mecum ſeſe omnes tui amantiſſimos profitentur. Vale, vir ampliſſime. Lugd. Bat. 9. Maji 1632.

EPISTOLA CLXXXVIII.
PETRUS CUNAEUS
D. Caſparo Barlaeo
Cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime vir, & cognate dilectiſſime. Cur literis tuis hactenus non reſponderim, cauſam, quae tua eſt humanitas, facile ſuſpicari potuiſti. Abſens enim fui per hos dies, cum me Hagam evocaſſent Delegati Ordinum, ut de cauſſa quadam, juris reſponderem, de qua ex Anglia ad Foederatos Ordines ſcripſerat legatus noſter. Ea re factum eſt, ut officio defuerim meo, cum nec ipſe ignores quam gratae mihi fuerunt tuae. Dedi enim operam quamdiu hîc eſſes, ut intelligeres neminem eſſe, qui vel pluris ingenium faciat tuum, vel majori benevolentia te proſequatur, quam ego, πάντων ἐλάχιστος eruditione, ut noſti, & ſcientia, ſed candore animi & ſinceritate paucis fortaſſe inferior. Quo magis ſcire potes nihil eſſe, quod malim, quam vel literas ſaltem videre tuas, cujus olim conſpectu tam libenter fruebar. Etiam illud fuit multo gratius, quod non ἀσύμβολος ad nos venias, ſed cum literario munuſculo epigrammatis de habitatione tua, & epithalamii in nuptias D. *Polyandri.* Video iſta tibi in numerato eſſe, & aliud agenti excidere, quae alii cum magna cura moliuntur, & vix extundunt ab infelici indole, id tibi, praeter caeteras animi dotes, ac praeter ſummam tuam eruditionem, ſingulare eſt & praecipuum. Quod adhuc omnia ad docendum imparata te reperiſſe ſcribis, non puto tibi incommodum fore. Frui enim interim beato otio poteris. In cauſa lectionum veſtrarum publicarum, quae judicio utriusque Curiae permiſſa eſt, nondum fieri litis conteſtatio potuit. Quare exitus ejus rei intra menſem non exſpectatur, cum nondum eſt factum litis initium. Senatus noſter Academicus civitati Leidenſi in hac cauſa nuper ſe junxit, & con-

conſortem litis ſe fecit. Quod puto te intellexiſſe. Quod ad eam epiſtolae tuae periodum pertinet, quam perire inter nos vis, ſcio haec a propenſiſſimo tuo erga me adfectu proficiſci. Honorificum & glorioſum mihi eſt tam bene de me ſentire & loqui Senatores quosdam veſtros, viros ampliſſimos, & ut audio, eruditiſſimos ſimul atque eruditorum omnium perquam amantes. Dabis illud modeſtiae meae & verecundiae, ſi ad caetera, quae addis, nihil reſpondeam. noſti quid ſemper dixerim & judicaverim. De jure hoſpitii quod ſcribis, mutuum a te & petii ante, & nunc obnixe contendo. Si ad alium quenquam divertere te uxoremve tuam, aut liberos contigerit, fiet id contra eam amicitiam & neceſſitudinem, quam inter nos ſumma animorum conjunctio, & vinculum ſanguinis conſtituit. *Caſparum* tuum exſpectabimus, ut per hoc feſtum publicum, quod propediem apud nos erit, filiolo noſtro nobisque adſit. Viro Clariſſimo & Amiciſſimo D. *Voſſio* ſalutem dico. Quaeſo ut eum roges, ne *Perſinii* noſtri oblivifcatur. Si verbo eum monueris, ſciet quid velim. Vale, cariſſime cognatorum, cum uxore & liberis, qui omnes a me & uxore mea ſalveant. Lugduni Batavorum, 28. Maji. 1631.

Reſponſio eſt ad editam Barlaei Epiſt. CLXXIX.

EPISTOLA CLXXXIX.

PETRUS CUNAEUS

D. Caſparo Barlaeo, Cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

VIr Clariſſime & cognate amiciſſime. Recens poëmatum tuorum editio, quam ad me miſiſti, longe elegantiſſima eſt, neque poteras melioribus typis eam evulgare. Quare pro iſto munere tuo gratias tibi ingentes ago, majores etiam habeo. Memini ſpem nobis a te factam olim fuiſſe de Sexto Empirico; quem ſi adornare coeperis, rem aggredieris praeclara tua indole digniſſimam. De *Salmaſio* eadem mihi ſignificaverat vir nobiliſſimus, a quo tu haec accepiſti: ac mox etiam ille ſcripſit mihi omnia iſta iteratis Pariſienſium literis confirmari, ac vehementer ple-

roſque illic mirari eſſe in Curatorum numero hîc * aliquem, qui iſta ignoret. Quid futurum ſit, divinare nequeo; res enim nondum penitus confecta eſt. Quod ſcribis, eruditorum hominum majorem e longinquo reverentiam eſſe, domeſtica autem & quae ad manum ſunt, vileſcere, ac minus aeſtimari, vitium eſt non unius ſeculi. Quid tamen Academiae profuerit inſignem virtutem praeſentium conculcari, ipſe tu exemplo eſſe poteris cum Cl. D. *Voſſio*, poſtquam ambos vos amiſimus. Neque hanc jacturam reſarciet *Salmaſius* hac lege arcerſitus, ut vocem ejus nunquam excipiant ſubſellia publica. Opus eſt viva deſertaque dicentis oratione, ut eximias artes & diſciplinas capeſſat audientium ardor. Si decem *Salmaſii* Amſterodamum ad commentandum & ſcribendum, non ad docendum vocati fuiſſent, nunquam vobis litem moviſſet magiſtratus Leydenſis. De induciarum aut pacis ſpe utinam verum ſcriberes. Ego neceſſitatem quidem & utilitatem video ſummam, at affectionem & ſtudium quorundam, qui conſentire debent, non video. Metus neſcio quis & ſpecioſa tergiverſandi cauſa obtenditur: Veram autem rationem neque ego ſcribam, & tu facile intelligis, pro prudentia tua. Vale, cognate cariſſime, & uxorem liberoſque meis verbis ſaluta. Lugduni Batavorum, 22. Julii. 1631.

Reſponſio eſt ad Barlaei Epiſt. CLXXX.
* Praeſidem *Cromhoutium*.

EPISTOLA CXC.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, Cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

Literae tuae, Clariſſime Cognate, in cauſa *Honerdi* noſtri conſilium praebuerunt optimum, quod ego adeo probavi, ut ſtatim eam epiſtolam ad Patrem praeclari Juvenis tranſmiſerim, eique ſuaſor fuerim, ut hanc capeſſeret viam, quam pro prudentia tua oſtendis. Pro ſcripto, quod a te accepi, gratias tibi habeo. Quoniam autem pretium tibi nullum perſolvi vis, faciam, quod unum ſupereſt, & totum hoc adſcribam munificentiae tuae. Quisquis ille auctor fuit, bene accurateque rem omnem elocu-

tus

tus eſt. *Joannes Perſinius*, avunculi noſtri Senatoris *Perſinii* filius natu maximus, acerbo & immaturo fato heri extinctus eſt, cum ante paucos dies audiendis rationibus quaeſtorum Hollandiae praefectus fuiſſet. Quod mecum dolebis, credo, quia & plurimum ſe tibi debere profitebatur, & tui tuorumque erat ſtudioſiſſimus. Vale, Cognatorum dilectiſſime, cum uxore liberisque. Lugduni Batavorum, 27. Octobr. 1631.

Reſponſio videtur ad *Barlaei* Epiſt. CXCI. licet nota temporis videatur eam poſteriorem facere, forte vitio operarum. agit credo de *Thoma* Filio Senatoris *Rochi Honerti*, Genuae ab Inquiſitione in carcerem conjecti. Vide ſupr. Epiſt. CXXXII.

EPISTOLA CXCI.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo, S. D.

Amſtelodamum.

Clariſſime & dilectiſſime cognatorum. Literis tuis, quas mihi *Zeyſtius* noſter attulit, ſtatim reſpondiſſem, niſi eo ipſo tempore, cum illae reddebantur, caſus quiſpiam intervenisset, qui me impediit. Sororem enim uxoris meae morbus ille tandem extinxit, qui diu eam miſerum in modum adflixerat, cujus exequiis peragendis, ſolennibusque rite explendis dies aliquot abſumti ſunt. Quid autem mox me detinuerit, non poſſum te celare. Enimvero cum aliquantum otii nactus eſſem, nihil habui antiquius, quam ut recta via ad * virum ſummum, & tibi mihique amiciſſimum proficiſcerer, in quem novis animis inſurrecturos ſcribis eos, quibus aegre eſt hic conſpici hominem invidendis virtutibus ſubnixum. Multa ille de te percunctatus eſt, multa de re literaria, deque ſtudiis eruditorum hominum, penes quos nunc in Europa doctrinae decus & majeſtas eſt, locuti ſumus. In remp. autem eo animo illum eſſe reperi, quo eſſe debent omnes boni cives, qui patriae incolumitatem, cum dignitate & juſta libertate conjunctam amant. Carmen virulentum & maledicum iſtius † aretalogi vehementer

Reſponſio ad *Barlaei* Epiſt. CXCII.

* *Hugonem Grotium.*

† *Weſterburchii*, adjectum theſibus *Polyandri.*

menter execror abominorque. Qui eo ingenio ſunt, indolem ac ſpiritum Dei Dominique noſtri Jeſu Chriſti non reſipiunt. Cauſa judiciaria, cujus mentionem facis, quem exitum habitura ſit, incertum adhuc eſt. Audio ſuſpenſos eſſe Senatorum animos, & maluiſſe rem componi transactione. Sed id hactenus tentatum fruſtra eſt. Quid pactioni obſtiterit, neque ex Delegatis quaeſivi, neque ſcire admodum laboro. Scio autem, quicunque erit exitus, bene tibi & V. Clar. D. *Voſſio* futurum, cum civitatis veſtrae proceres virtutem praeclarorum hominum aeſtimare ex vero, praemiumque illis dignum ponere & velint, & poſſint. Vale, Vir Clariſſime, & chariſſime, & uxorem liberosque, ac Cl. D. *Voſſium* ſaluta. Lugduni Batavorum, 29. Novembr. 1631.

EPISTOLA CXCII.

PETRUS CUNAEUS

Gaſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

Clariſſime & dilectiſſime cognate. Reſponſum meum ad literas tuas, quas affini meo *Zeyſtio* dederas, puto te accepiſſe. Ex eo tempore nihil ad te ſcripſi, propterea quod te his feriis ad nos venturum ſignificaverat nobis matrona optima, *Arminii* vidua. Sed mutaſſe te conſilium, ac eam ſpem fruſtra eſſe, ex eadem nunc intelleximus. Equidem ego cum a vidua *Brugmanni* ſerio & amanter rogarer, ut filiae nuptiis, quae heri celebrari coeperunt, intereſſem, paene me exorari paſſus eram, non ob aliam magis cauſam, quam quod vehementer cupio te videre. Sed tot ingruentium quotidie tempeſtatum inclementia, & uxoris partus vicinus non ſinebant me longius exſpatiari. Libri mei de republica Hebraeorum bis hac hyeme recuſi ſunt. Si quid in iis ulla parte mutatum, vel auctum, aut detractum eſſet, mitterem amicis exemplaria. Nunc cum omnia & ſingula ſunt eadem, ac nec praefatio quidem nova acceſſerit, neminem potui beare tam vili munere. Exemplar tamen tibi hoc mitto, non ut gratiam mihi debeas, ſed ut ipſe veniam a te petam, qui priorem editionem elegantioribus ac majoribus typis evulgatam abſtuli tibi ante biennium, & nunc hanc repono, cujus eſt diſpar nimis pretium.

tium. Tu quaeſo pro animi tui aequitate hoc quidquid eſt, aequi bonique conſule, neque ſolviſſe me debitum, ſed duntaxat confeſſum eſſe crede. Quod mali ſummo amico noſtro eventurum noviſſimis tuis literis augurabaris, id omne ei accidit, neque dubito quin mecum pariter dolueris. Quod autem poſt tempeſtatem hanc adfore Alcyonia ſcribebas, id nec ego deſpero. Exitus cauſae judiciariae, de qua ſolicitum fuiſſe D. *Voſſium* ais, non amplius pertimeſcendus vobis eſt, poſtquam Curiae utriusque ſententia litem nunc ſecundum vos dedit. Quare carebis poſthac jucundo illo otio, quo abundabas cum mea paene invidia. Ego, ut tibi muneris publici functio bene & feliciter eveniat, opto ex animo, precorque. Vale, chariſſime cognatorum, & uxorem tuam, liberosque atque etiam Cl. D. *Voſſium* meis verbis ſaluta. Lugd. Batavorum, 24. Decembris 1631.

EPISTOLA CXCIII.

PETRUS CUNAEUS.

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo S. D.

Amſtelodamum.

Literas tuas, cognatorum dilectiſſime, quas 28. Decembris ad me dediſti, octavo demum die, ex quo ſcriptae erant, accepi. Non judicabam eas reſponſo celeri opus habere. Quare hoc diſtuli, donec navigationi pervius foret lacus. Quod mirari quoſdam ſcribis, in ſculptura tituli librorum meorum de rep. Hebraeorum, Moſen a ſiniſtris, Aaſonem autem a dextris ſtare, neſcio, utrum a typographo ſit caſu an ſtudio ita factum. At plane me & inconſulto & ignorante factum eſſe ſcio, cum nec unquam ante intellexerim picturam titulo acceſſuram, & inter excudendum nulla totius operis pagina a me conſpecta, nedum correcta, fuerit. Adeo univerſam eam rem commiſi typographo, qui nihil aliud a me petiit, niſi ut permiſſu meo recudere eum tractatum ſibi liceret. Accedit quod ſententia mea ſuper πρωτοκαθεδρίας jure, ac ſuper principum ac regum poteſtate in rebus ſacris non ex picta editionis hujus fronte, ſed ex libri primi capite decimo quarto adeo manifeſte appareat, ut haec res etiam invidiam mihi & quorundam indignationem pepererit. Et ſane etiam currente praelo admonuit

monuit me amicus meus, non infimi ordinis Theologus, an non poſſim probare *Franciſci Junii* verſionem ſuper amiculo Sacro Ebiatharis pontificis, quod ſibi David applicavit 1. Sam. cap. XXX. verſ. 7. cum eam verſionem reprehenderim in dicto cap. XIV. lib. I. Attuli autem ei graves & juſtas rationes, cur in ſententia mea contra eam interpretationem adhuc perſiſterem. Vide, quaeſo, locum & excute. Non enim ibi ſcriptum eſt לדוד, *Le David* (quod forte poſſet verti, *in Davidis gratiam*) ſed אלדוד, *el David*, *ad Davidem*. Sed de his alias. Gratulor tibi initium ſuſceptarum lectionum, & ut feliciter porro procedat, precor. Quod optas, ut inſtituto iſti tale decus adferre poſſis, quale adferri a Profeſſore par eſt, id totum modeſtiae tuae adſcribo. Nemo enim eſt, qui neſcit, quam poſſint omnia praeclara ab excelſa tua indole & eximia doctrina proficiſci. De Sexto Empirico fac ut ſcribis. Nihil eſt, quod magis huic ſeculo debes. Avunculus meus *Regemorterus* jam pridem diſceſſerat. Quare doleo ex ejus ad nos adventu aliquam moram propoſito tuo injectam fuiſſe. Nunc te exſpectabo, ut primum ad nos per lectiones veſtras venire poteris. Uxor mea nudius tertius filiolam mihi peperit. De tua idem intelligere cupio, niſi forte maſculam prolem malis. In qua re votis tuis faveo. Et ſcis te hac re a me vinci, qui tribus maſculis ſubnixus ſum. Vale, vir clariſſime, & cognate conjunctiſſime, & uxorem tuam, liberosque ſaluta. Lugduni Batavorum, 12. Januarii 1632.

Haec Epiſtola edita inter Eccleſiaſticas praeſtantium virorum n. DVI. pag. 765. eſt vero reſponſio ad *Barlaei* Epiſt. CXCIV.

EPISTOLA CXCIV.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

Poëmation tuum, dilectiſſime cognatorum, in illuſtris Scholae veſtrae inaugurationem accepi, quod veterem auctoris ſui genium, & incomparabilem indolem omni parte refert. Pro eo gratias tibi ingentes ago: ac ſimul peto, ut novo munere facias me iterum tibi debendi reum, poſtquam nunc recens e praelo exiit oratio tua, quae a te habita publice eſt. Quod majore fiducia ſcribo, quia jam ante

ante miſſurum te noviſſimis literis tuis pollicitus es. Ego & de oratione illa, & de lectionibus tuis luculentiſſima audivi multorum judicia, qui te jam aliquoties illic publice dicentem ex cathedra audiverunt. Appellationi, quam Leydenſis Magiſtratus a judicibus delegatis ad delegantes interpoſuit, iterum ſe junxerat Senatus Academicus. Quo exitu id factum ſit, ſcio te intellexiſſe. Filium tibi natum ex animo gratulor: Memini quippe, nihil tibi jucundius eſſe, quam ut augeat familiam tuam praeſtantior ille digniorque ſexus. Faxit Deus Opt. Max. ut paternas virtutes ille repraeſentet univerſas. Uxor mea tuae rurſus mittit medicamentum, quod ante impertiit. Confectionis autem modum tunc ſignificabit, cum *Arminii* vidua aliquando ad vos redibit. Nam nunc quidem ſubito, & nobis inſciis illa abiit. Non poteſt autem tantae artis documentum ἄνδυ αὐτοψίας capi. Magna ingenia ſaepe in occulto latent. Magis hoc quotidie verum video. Neſciebam me habere tam doctam lecti ſociam. Quare jam ſuperbire incipio. Vale, vir clariſſime cum uxore liberiſque. Lugd. Batavorum, 2. Februarii 1632. Rogo ut Cl. Virum *Voſſium* ſalutes, cui gratias debeo pro oratione, quam ex ejus munere tradidit mihi hodie ſtudioſus quidam.

Reſponſio ad *Barlaei* Epiſt. DIII.

EPISTOLA CXCV.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

Clariſſime cognatorum & conjunctiſſime. Literae tuae, quas 14. Februarii ad me ſcripſiſti, meis binis reſpondebant, nullo autem egebant reſponſo meo. Quare ſilui aliquandiu. Nunc cum magno meo dolore ex aliorum ſermonibus rumor eſt, te valetudinis cauſa a publicis lectionibus abſtinuiſſe. De qua te dum curioſius ſciſcitor, omnes omnia praeclara & honorifica de lectionibus tuis referunt, ſed addunt amici tui, te neſcio qua animi triſtiore cogitatione credere, non eſſe te muneri iſti parem. Equidem ego vehementer gaviſus ſum, cum nihil aliud cauſae ſubeſſe audio. Nam & ſanguinis melancholici motibus quibusdam eam opinionem ante novem annos tibi obortam

ortam eſſe, & mox brevi receſſiſſe ſcio. Id vitii magnis & divinis animis ſaepe adhaereſcit. Sed ipſe noviſti, novimus omnes, qui te amant & aeſtimant, poſſe hoc, quidquid eſt, ratione & conſilio vinci, quod tamen etiam ſine ratione & conſilio vincet dies & temporis exigui decurſus Quid autem eſt, mi cognate, cur quod longinquitas temporis minuet atque molliet, id non praeripere prudentia tua malis? Noli te oblviſci Barlaeum eſſe, & eum, a quo alii petere praecepta bonae mentis ſolent. Res nimium te indigna eſt, exſpectare a tempore medicinam, quam ſtatim repraeſentare ratio poſſit. Quare vehementer te rogo, ut huic rei ſapientia tua occurras, atque ut ne deſis tibi, lectiſſimaeve matronae uxori tuae, aut cariſſimis liberis tuis, amicisque omnibus. Quid eſt, quaeſo, cur te publicis lectionibus ſufficere Amſterdami non credas, cum ante multos annos in Academiae Leydenſis ſubſelliis tam praeclare rem geſſeris? An res majores & eruditis magis auribus dignas Amſterdami conari debes? Innata tibi eſt admirabilis dicendi facultas. Et quaecunque in illa Philoſophiae parte tractari apud adoleſcentes debent, etiam illud agendo exequi ſoles. Crede modo te poſſe, & poteris. Non eſt opus, ut de veterum Philoſophorum celebrioribus Sectis, Academica, Stoica, Epicurea, Peripatetica, ex ultima antiquitate cum magno labore multa arceſſas. Dic quae ex Ariſtotele tuo ſemper tibi in labiis oberrare etiam ſomnianti ſolent: & omnium exſpectationem implebis. Moleſta res eſt nimium molimen. Majore cum fructu juventus capiet quidquid obvium & familiare tibi eſt. Haec tibi ſcribenda duxi pro jure amicitiae noſtrae; & pro eodem jure ut mihi reſpondeas, peto. Nunquam hodie effugies, noſti caetera. Ego, quisquis erit rerum tuarum ſtatus, quaecunque fortuna tua tuorumve, ſemper omnia & dicam & ſedulo faciam, quae ab homine tui amantiſſimo exſpectari poterunt. Vale, vir clariſſime, Lugd. Bat. 9. Martii 1632.

Reſponſio eſt ad *Barlaei* Epiſt. cxcv.

EPI-

EPISTOLA CXCVI.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, Cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime & conjunctiſſime cognatorum. Litteris tuis, quas his diebus ad me dediſti, ideo magis delectatus fui, quod in hoc morbo tuo nullas a te exſpectaveram. Video ingenium tuum, elegantiam ſcribendi, ac caetera, quibus abundare ſoles, omnia eadem eſſe; nihil autem in te deſiderari poſſe, niſi animi fiduciam. Ea autem quod nunc abeſt, morbi tui pars eſt, imo morbus ipſe, quem melior haec aura, & ſecurior quies brevi pellent. ſi fidejuſſorem cupis, me accipe. Certo enim certius id tibi eventurum ſpondeo. Quid eſt melancholia, niſi triſtitia & metus, magnarum animarum familiare malum? Fac quod ſaepe promiſiſti, & ad me excurre, ac mecum per dies aliquot vive. Faxo ut a me non triſtior recedas. Quod ſi id impetrare a te nequeo, ſaltem illic operam da, ut totum te otio & oblectamentis des. Non eſt tibi, nec deerit unquam Conſulum Amſterodamenſium, virorum praeſtantiſſimorum, & tui amantiſſimorum, ſumma benevolentia. Adeo autem nihil cupio, quod cum moleſtia tua aut cura conjunctum ſit, ut nec reſpondere te mihi velim, ſi id grave tibi eſt. Ego Deum optimum maximum pro te & ſalute tua obnixe orare non ceſſabo. Tu bono animo ſis, & coeleſti numini fide. Scis quantis rerum documentis favorem tibi ſuum inter multa ſaeculi incommoda, atque inter haec reip. noſtrae mala, ſignificaverit Deus. Idem ille, quin porro rebus tuis favens & propitius adfuturus ſit, non dubito. Vale, vir clariſſime. Lugduni Batavorum, 15. Martii 1632.

XII. Aprilis, 1632, ipſo feſto Paſchatis. cum eodem die literas a D. *Barlaeo* accepiſſet Cunaeus, haec reſpondit inter caetera.

De ſummo amico noſtro quod ſcribis, & intellexi, & vehementer tecum dolui. Sed tamen puto nondum omnem ſpem periiſſe. D. *Heinſio* cras tuis verbis gratias agam, &c.

EPI-

EPISTOLA CXCVII.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, cognato ſuo,
S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime & conjunctiſſime cognatorum. Cum nuper de renaſcente valetudine tua mihi ſcripſiſſes, ſtatim tibi de re tanta tamque jucunda gratulatus ſum iis litteris, quas tibi tradidit *Reygersbergius* noſter. Ex eo tempore deinceps tuo mandatu nunciatum mihi ſaepius eſt, omnia tibi in melius procedere, ac quotidie te magis magisque reſtitui tibi. Enim vero memini pridem me ſcripſiſſe, id certo certius eventurum tibi eſſe, ut morbum iſtum melior haec aura & ſecurior quies brevi pelleret. Quod ſi fidejuſſorem cuperes, memet ipſe obtuli. Nunc video fidem meam liberatam eſſe, neque ullum eſſe mihi periculum ab illa ſponſione. Frequenter literis ſuis ex me quaeſivit de incolumitate tua nobiliſſimus *Mylius*, pro inſigni ſuo in te adfectu. Cui ego identidem reſpondi quae intellexeram. Eadem fuit etiam ſolicitudo aliorum amicorum, quorum eſt ingens multitudo per omnem Bataviam. In primis vero illud mihi gratiſſimum fuit, quod * *Overbeecquius* noſter, ac noviſſime etiam filiola tua, mihi retulerunt ad lectiones privatas reverſum te jam eſſe. Ex qua quidem re etiam de reliquis, quae vehementer cupimus, bene ſperare licet. At plane jam auguror nequaquam te eo animo eſſe, ut curam abjicias ſuggeſti publici. Utique quando id facere aut poſſis aut debeas, totum id prudentiae tuae, tuique judicii erit: ſed facturum te tamen praeſentit mihi aliqua divinatione animus. Et, ſi quid preces apud te meae valent, etiam ut facias rogo. Vale, clariſſime cognate, cum dilectiſſima uxore liberisque, & ſi libet licetque, fac quaeſo, ut literas tuas videam. Salutat te amanter *Vorſtius* noſter. Lugd. Bat. 23. Maji 1632.

EPI-

* *Matthias Overbeekius*, in pago, quem a Caſtris Albinianis volunt nomen ducere, viventem elegiam ſcripſit *Barlaeus* lib. II. Eleg. p. 85.

EPISTOLA CXCVIII.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime cognatorum & amiciſſime. Quod noviſſimis tuis literis, quas 25. Maji accepi, rediturum te ad lectiones publicas ſcribis, gratiſſimum mihi fuit, atque id animi propoſitum, ut bene & feliciter tibi tuisque omnibus eveniat, Deum Opt. Max. ſupplex quaeſo & veneror. Caeterum pro illo jure, quod mihi longo amicitiae noſtrae uſu conſtitutum eſt, non verebor te rogare, ne te nimium curis meditationibusve fatiges, neu nimis cum molimine in redintegrandis his lectionum muniis ſublimia omnia, aut ab aliis praeterita confecteris, ſed ea tractes, quae cum olim in celebri Academia facilitate & promptitudine ſumma e ſuggeſtu publice dicebas, neque vires corporis attrivisti, & omnium tamen excitaſti admirationem. Id ſi feceris, magis & ſtudioſam juventutem juvabis, quae commentationes longe arceſſitas non capit, & tibi ipſe familiaeque tuae commodabis plurimum: ſcio quidem me haec talia fere etiam ante tibi ſcripſiſſe. Sed nulla me res vetat ταυτολογεῖν, dum prodeſſe tibi cupio. Quid ſi vero ego etiam homo legulejus tibi medico conſilium dem, ut qui artis tuae peritiſſimus es,& aliis ejus leges praeſcribere,ſed ipſe haud ſequi ſolebas, nunc accuratiore diaeta utaris, atque id omne in cibo potuque vites, quod fuligines, faecesque gignit, neque ſinit ex praeceptis veſtris corpus eſſe ἴνεμν ϗ ἴυπνον. Cum nuper ad te ſcripſi neſciebam filiam tuam abiiſſe, quae ſemel nos adierat, & ſaepius ſe dixerat acceſſuram; mox autem nobis inſciis ac nec opinantibus ante ſolennes & feſtos Leydenſium dies diſceſſit. Ea res cauſam dedit, ne id factum a me ſit, quod requirebat & mos meus, & ipſa humanitas. Noli enim credere, me ullam benevoli animi ſignificationem potuiſſe omittere propter prandii unius atque alterius impenſas. Vale, amicorum optime, cum uxore, liberisque, & Clariſſ. *Voſſium* meis verbis ſaluta. Lugd. Bat. 10. Junii 1632.

EPISTOLA CXCIX.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo,

P. C. S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime & conjunctiſſime cognatorum. Quemadmodum nihil magis a te expetivi, quam ut ad lectionum publicarum munia iterum accederes, ita hercle, poſtquam nunc capeſſere ea rurſus coepiſti, mirum in modum curioſe percunctatus ſum ex iis, qui iſtinc veniunt, quam bene & feliciter ea res cederet. Caeterum uno ore omnes praedicant priſtinam tibi virtutem penitus in dicendo diſſerendoque reſtitutam eſſe, & te jam animoſius cordatiusque publica ſubſellia perſonare, longeque magis audientium & ſtudia & alacritatem excitare, quam ullo ante tempore feciſti. Quod ipſum hodie etiam, cum in Profeſſorum Senatu eſſem, plures certo audiviſſe intellexi. In quo agnoſcere utique ſummam Dei benignitatem debes, qui animi tui ardorem aliquantiſper incommoda valetudine tardavit, ut inde vegetior erectiorque temet ipſe efferres, ac de ſeculo noſtro praeclare pergeres mereri. Hanc ego tibi ſortem tuam ſerio gratulor, atque omnino a te peto, ut qua animi fiducia nunc coepiſti, eadem deinceps velis ἀεισδίειν, atque ut exiſtimes, totum iſtud, quod tibi ipſi aliquando diſſiſus es, non rationis, ſed τῆς φαντασίας eſſe vitium, quod recta ratione grandibusque & maſculis cogitationibus vincere haud unquam difficile eſt. Tempeſtas haec frigida & aſpera ſi corpori tuo nihil nocet, plane athletica jam virium firmitudine eſt. Rogo te ut, cum per ferias veſtras poteris, fidem tuam liberes, ac me viſas. Vale, Amiciſſime Vir, cum uxore & liberis, ac Cl. *Voſſium* ſaluta. Lugduni Batavorum, 17. Junii 1632.

EPI-

EPISTOLA CC.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

DE malo illo, quod tibi acrior catarrhus attulerat, cognatorum dilectiſſime, aut de lectionibus tuis ex ea cauſa prolatis, nihil quicquam ad aures meas pervenerat. Quo magis ſortem tuam tibi gratulor, quem morbus ille ita cito deſeruit, ut nec veniſſe intellexerim. Rogo te etiam atque etiam, ut curam valetudinis tuae geras, atque ut cibi, potusque, & maxime vini defaecati delectum habeas. Ea enim jam aetas tua eſt, ut etiam accuratiſſima medicinae veſtrae praecepta ſpernere non debeas. A Cl. V. *Hugone Grotio* nuper literas Hamburgo accepi. Hoſpitium is nunc in ipſa urbe habet apud mercatorem, ut audio, non illiteratum, dictum *van Sorgen*, Advocati Hagienſis fratrem. De Rege Sueciae quod ſcribis, triſtiſſimum ſane eſt. Voces immoderatae inſolentesque multorum perſaepe mihi diſplicuerunt, qui plus quiddam huic Principi, quam homini convenit, tribuerunt. Quae res ſaepe ſummi numinis excitat iram, ut haec, quae rerum magnitudine ſortem mortalem excedunt, coelo imputemus, atque illuc omnia principia, illuc omnes referamus exitus. Equidem ego animum deſpondere non poſſum. Spero enim fore, ut Dei benignitas virtutem animumque aliis ſit datura Ducibus, qui in Germania tantarum rerum coepta perficiant. Vale, cognatorum amiciſſime, & uxorem tuam liberosque ſaluta. Lugduni Batavorum, 8. Decembris 1632.

Reſponſio ad *Barlaei* Ep. CCII.

EPISTOLA CCI.
CASPAR BARLAEUS
Petro Cunaeo.

Leidam.

VIr Clariſſime ac cognatorum dilectiſſime. Cohabitavit mihi ante annos aliquot *Jacobus vander Straten*, Harlemenſis, juvenis probae indolis, ſpectatae probitatis, nec

S vul-

vulgaris doctrinae. Idem aliquando ex ore tuo pependit, & collegio tuo oratorio interfuit. Danaën, ut ſcis, iſtam ambivit, quam etiamnum cuſtodit Acriſius noſter. Hic proxima aeſtate Hamburgum profectus fide conjugali ſe obſtrinxit egregiae ac opulentae virgini *Suſannae Greviae*. At, quae viri ſors fuit, ſtatim à ſponſalibus febre correptus vitam cum morte commutavit, & mihi teſtamento legavit Chiliadem, non Adagiorum, ſed Florenorum. En, ut dormienti Dii bona conficiant. Sane documentum praebuit non leve ſuae in veterem hoſpitem ac praeceptorem pietatis & gratitudinis. Dignus mihi viſus fuit, quem aliquo * encomio proſequerer. Et cum nihil non nugarum mearum tibi obtrudere audeam, mitto pauculos verſus, quos digniſſimi & optimi convictoris manibus inſcripſi. Mones, ut diaetae ac victus rationem habeam. Facio hoc quam ſtudioſiſſime. Verum ita, ut ſecundum Hippocratem, ſubinde ad inſolita deflectam. A vino minus defecato abhorreo, tanquam à re peſſima. Odi filiam permixtam matri, ut ad Belgiciſmum noſtrum alludam. Te, qui valetudinem meam curas diligenter, pari cura annare & perennare jubeo. Vale, vir clariſſime, & amicorum integerrime. Uxorem, ſocrum, liberosque officioſe ſaluta. Amſtelod. XII. Decemb. CIƆIƆCXXXII.

* Legitur id carmen lib. III. Heroicor. p. 498.

EPISTOLA CCII.
PETRUS CUNAEUS
D. Caſparo Barlaeo, Cognato ſuo
S D.

Amſtelodamum.

UT mortem optimi illius juvenis, de quo ſcribis, dolui, clariſſime cognatorum, ita ex animo tibi gratulor inſperatum illud donum, quod tibi ille moriturus reliquit. Certus ſum, ſi quis amicorum apud illum in tua cauſa vel leviter vigilaſſet, eadem liberalitate & facilitate tibi eum legaturum fuiſſe quadruplo majorem ſummam. Adeo eum memini fuiſſe in te animo propenſo. & quota opulentiſſimae hereditatis pars fuiſſet tantilla delibatio? Ajunt rivales aliquos, qui ſpe ſua exciderant, ex compacto magnis culullis invitum, & ex recenti morbo debilem urſiſſe, ac mero torſiſſe, donec vis morbi recurreret. Mirum

rum ſcilicet commentum, & turpe ultionis genus adoleſcentulis Hamburgenſibus placuit contra juvenem longiore vita digniſſimum. Epicedium tuum pro veteri autoris genio eſt, hoc eſt, admirabilem venuſtatem elegantiamque habet. Gratias tibi pro eo ago. idemque faciunt amici, quibus illud tradi voluiſti. Danaë illa, quam in epiſtola tua nominas, ante biduum Hagae per ſententiam ſupremi ſenatus juridici a ſponſalium priorum obligatione eſt liberata. Quare jam certatim plures eam expetent. Etiam erunt credo, qui te ſollicitabunt; quoniam gratia & autoritate vales apud eos, qui in hac re poterunt praeſtare quamplurimum. Spero tamen haud fore,ut optimo & praeſtantiſſimo amico noſtro, quem Hagae noſti, per occaſionem deſis, aut ut cauſam ejus deſtituas. Vale, amicorum integerrime & optime. Lugd. Bat. 29. Decembris 1632.

EPISTOLA CCIII.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime & amiciſſime cognatorum. Pro diſſertatione tua in Machiavellum gratias tibi ago, atque agunt etiam amici, quibus id munus tradi voluiſti. Omnes ita judicant, ut res eſt, praeſtare multis aliorum prolixis commentationibus ſcriptum hoc tuum, in quo efficaciſſimis ſolidisque argumentis, & ſumma dictionis elegantia exſecutus es quicquid tractari potuit in hoc genere. Bene de ſeculo meritus es, qui hoc tempore, cum ſub religionis & boni publici obtentu religio virtusque bene omnis conculcatur, tetros hos mores inſectatus es. In qua profecto re illud praecipue felicitatis tuae erit, quod etiam illi ipſi, quos ſcribis Machiavelliζειν, inſtitutum tuum palam laudabunt vel contra animi ſui ſententiam. De confectione inſtrumenti illius, quod haud ſatis ſcio num calathum muliebrem, an alio nomine appellare debeam, nummos erogatos mittit tibi uxor mea, tres florenos, quos huic chartae incluſi; Reſpondiſſet illa uxori tuae, ſed dum ſolenni tempore emundat purgatque domum, inter haec anniverſaria ſacra quidlibet marito ſuo imperat, & ſilentium ſuum excuſari poſſe credit apud uxorem tuam, cui maximas gra-

tias juſſit agi. Quod te humaniter a me exceptum eſſe ais, ſi ad animum meum refers, bene eſt, ſin caetera ſpectes, ideo impenſas nullas feci, ut ſcirem, qua lege velim hoſpitio tuo uti, cum ad te venero. Neque aliter conſtare hanc rationem debere puto inter eos, qui ſunt adfectu conjunctiſſimi. Vale, vir amiciſſime, cum uxore liberisque, quibus plurimam ſalutem adſcribimus omnes. Lugd. Batavor. 12. April. 1633.

Reſponſio ad *Barlaei* Epiſt. CCVIII.

EPISTOLA CCIV.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, Cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime cognatorum. * Naeniam lugubrem in cariſſimae conjugis obitum tradidit mihi D. *Heinſius*, ut per occaſionem ad te transmitterem. Eam igitur adjunxi mercibus vel ſarcinis, quas illuc ad filiam tuam aſportandas curavit *Arminii* vidua. Addidi & alterius auctoris epicedium in ejuſdem matronae mortem. Quod etſi adſervare in Bibliotheca mea poteram, (donatum enim mihi eſt), tamen, quia facile eo carere poſſum, tibi mitto. Non poſſum ſatis mirari poëtarum ingenia, quibus ex re tantilla, & tam obvia ſurgit tam grande carminis argumentum. Ego, quoniam in ſacra illius ordinis admiſſus non ſum, obſcurus ignotusque cum uxore & liberis moriar, ac communi plebejorum hominum ſorte ac fato me ſolabor, ſi per haec tam ambitioſa officia

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit

Vale, cognatorum optime, & jocis noſtris ignoſce. Lugd. Bat. 25. Octobris. 1633.

* Vid. *Heinſii* Odas pag. 123.

EPI-

EPISTOLA CCV.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, *Cognato ſuo*
S. D.

Amſtelodamum.

QUae in * *Dionyſii Voſſii* obitum, & in nuptias *Gravii* diverſiſſimo argumenti genere ſcripſiſti, cognatorum amiciſſime, accepi. ac gratias tibi pro utroque munere habeo. Exemplaria utriusque carminis dedi amicis, non quibus voluiſti, ſed quibus potui. Non enim ea *Overbeecquius* mecum partitus eſt, ut juſſiſti. Epithalamii enim exemplaria quinque, Epicedii tria mihi miſit. Utique ſi triginta illius Epicedii exemplaria in manus ejus venerunt, jam Hercules ex Cunaeo factus ſum. Decumam enim partem mihi dedit. Idque ad divinos honores refero. Sin pauciora ille accepit, jam modeſtior ero, & intra humanum faſtigium conſiſto, ac me fraudari potuiſſe ſentio ab homine Mercuriali. Ut a jocis recedam, vehementer dolui mortem immaturam tam praeclari juvenis, qui tantam de ſe exſpectationem concitaverat. De *Heinſii* verſibus bene judicas. Et jam ante *Vorſtio* noſtro, & aliis amicis dixi, me ſatis mirari non poſſe τὸ ἄτοπον. Sextus Empiricus tuus ut ſtrenue procedat, tua intereſt, & noſtra omnium. Quare hanc operam ſeculo noſtro da, & moras omnes rumpe. Vale, cognatorum clariſſime, cum uxore liberisque. *Vorſtii* familiam etiam Variolæ invaſerunt, ac filiolum ejus exſtinxerunt natu maximum: Iterum vale, Lugd. Bat. 7. Novemb. 1633.

EPI-

^ Eſt Reſponſio ad *Barlaei* Ep. ccxxiv. licet illa notam temporis ut poſt hanc ſcripta, praeferat.

* Vide *Barlaei* lib. III. Eleg. p. 143. & 182.

EPISTOLA CCVI.

CASPAR BARLAEUS

D. Petro Cunaeo, Cognato ſuo

S. P. D.

Leidam.

COgnatorum dilectiſſime. Fui hiſce feriis Pentecoſtes Dordraci, ubi me hoſpitio ſuo humaniſſime excepit ampliſſimus *Catſius*. Non videram urbem iſtam, ex quo de meo & aliorum capite iſtic habita ſunt comitia. Expertus ſum mitiores in me plurium procerum animos. Adeo me Rhenenſi rore adſperſerunt, ut difficile mihi fuerit cum Gallo meo redire in gratiam. Crede, amiciſſime, non ſolum animam, ſed & gulam ſeduci, poſſe. Offendi illic D. *Golium*, & conſulem *Paetſium* cum uxoribus Dordracenis. *Grotius* Francofurti eſt, ab *Oxenſternio* vocatus. Ajunt illum nomine regnorum Sueciae in Galliam iturum, Legati titulo. Non male ſibi conſulent Sueones, ſi tanti viri rationem habuerint, quem ſumma virtus eruditioque jam pridem magnis rebus deſtinaverunt. Ratisbona obſeſſa eſt a Bavaro, ſed liberationis ſpes affulget ab adventu Ducis *Vinarii*, qui praedam iſtam ſuam ſibi eripi non ſinet. Adventat iterum cum exercitu Infans Cardinalis. Dux Arſchotanus dicitur culpam & factorum veniam apud regem ſuum deprecari, malo omine. *Oxenſternius* in Anglia parum adhuc promovit. Princeps noſter militem praeſidiis evocat. Heri ex urbe noſtra Gorcomium abiit cohors ducis Wiltii. Prope Axeliam hoſtis novis munitionibus aggeres ſuos tutatur, ut noſtrorum in Flandriam, excurſionibus occurrat. Non erunt hujus aeſtatis motus valde magni. Ærarii inopia utriusque partes principes mediocritatis admonet. Filia mea *Adriana* cum ſorore proxima hebdomade vos inviſet, eo conſilio, ut filiam tuam *Adrianam* ſecum hac adducam. Vale, cognate chariſſime cum uxore & liberis & ſocru. Salutant vos uxor mea liberique. Raptim Amſtelod. XVI. Jun. CIƆIƆCXXXIV.

D. *Vorſtium* meis verbis ſaluta.

EPISTOLA CCVII.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

Literas, tuas, Cognatorum amiciſſime, ſuperiore Martis die reddidit mihi *Baſtingius*, quibus mihi ſignificas te Dordraci fuiſſe, a *Catſio* atque ab aliis proceribus bene benigneque exceptum. Ego id ante ex aliis intellexeram, ac miratus etiam fui, non licuiſſe nobis te vel euntem vel redeuntem videre. Utique non debebas inter tot magna nomina eorum, qui nunc tuam conſuetudinem appetunt, aſpernari mediocritatem veteris amici. Vel illud ipſum, quod de adventu filiae tuae *Adrianae*, ac ejus, quae natu proxima eſt, nobis ſcripſeras, cur non procedit? Falleris vehementer, ſi minus nobis & gratas & jucundas eas fore credis. Quare ter rogamus ut veniant. *Vincentius Fabricius* epiſtola ſua, quam Hamburgo XVII. hujus menſis ad me dedit, Dominum *Grotium* abiiſſe Francofurtum ſcribit. Sed addit neſcire adhuc familiares ejus, utrum reverſurus, aut quando ſit, ac epiſtolam ejus exſpectari quotidie. Ea res facit ut dubitem, quid de legatione illa ad Galliae regem credi oporteat. Certe omnes boni virum eum ſummum tanto honore digniſſimum judicant; ac tu mecum, ſcio, hunc illi exoptas. Vale, cognate cariſſime, & uxorem tuam liberoſque ſaluta: atque item *Cl. Voſſium*, & praeſtantiſſimum D. *Vickevortium*, Lugduni Batavorum, 25. Junii 1634. Peto a te, ut *Corvino*, uxoris meae cognato, omnia amicitiae officia repraeſentes. Etſi enim quaedam ſunt, quae tibi diſplicent, & ego non probo, tamen, ut tute ſcis, Vir eſt optimus & eruditiſſimus. Iterum vale.

EPISTOLA CCVIII.

CASPAR BARLAEUS

Petro Cunaeo.

Leidam.

AMpliſſime vir & cognatorum chariſſime. Veniunt ad vos filiae meae, ea fiducia, ut tuorum vel tuarum aliquas ſecum huc adducant. Oportet, amicitiam, quae inter parentes hactenus ſtetit & viguit, in liberos porro derivari. Veniſſent meae citius, ſed moram injecit infantuli mei morbus, qui nondum convaluit. Videtur dentire, quod naturae bonum non ſine doloribus & febriculis confici ſolet. Noli diutius haſce hoſpites detinere, indulſi ipſis octiduum. Cum nuper Dordracum irem, nullas urbes obivi, ſed recta Woerdam, Veteres aquas & Schoonhoviam tranſivi. Eadem via mox redii. Diebus canicularibus forte me videbis, ſi ſpem feceris te hîc videndi. Nuper feſtinabas nimium. Appulerunt in portus Texelae, Vliae, Goerae naves Societatis Indiae Orientalis ſeptem, diti omnes ſaburra onuſtae. Ad Occidentem res ſic ſatis feliciter procedunt. Jam novae militum cohortes eo mittuntur, ut cum Hiſpano Novum orbem partiantur. Vale, cognatorum chariſſime, & uxorem, ſocrum liberoſque ſaluta. Raptim e Muſeo noſtro, XXVIII. Jun. 1634.

D. Vorſtium ſaluta.

EPISTOLA CCIX.

CASPAR BARLAEUS

Petro Cunaeo, cognato ſuo chariſſimo

S.P.D.

Leidam.

REverſae ſunt domum filiae meae incolumes & bene habitae, quo nomine gratias tibi agunt & agimus nos maximas. Debent culinae tuae, à qua aegre avelli potuerunt. Culpam longioris abſentiae in te transfers: verum, ſi calculum bene poſui, non detinuiſti invitas. Illud me male habuit, quod ſecum non adduxerint tuarum aliquas. Sed ſpem facis, uti poſt confectum in Zelandiam iter, nos inviſant. Hoc fieri amice peto. Mitte, quos vel quas velis. Turgent jam Eois mercibus receptacula publica. Videbunt Indorum opes, quas vel natura illic, vel hominum

ſo-

ſolertia efformavit. Audio uxorem tuam novam Tibi prolem promittere, quod felix fauſtumque ſit generi humano & tuis. Sed rogo, imo pene impero, ut vel me vel uxorem patiaris in id tempus fungi officio ſuſcipiendi è ſacro lavacro infantis. Ita inter nos nuper convenit. Non ſinam me in alia tempora & occaſiones rejici. Nunc agendum hoc. Expectabo, ut me iſto titulo evoces, ubi arcanum illud naturae depoſitum in dias luminis oras prodierit. Princeps caſtra ſua repetiit, poſtquam de belli ſubſidiis cum Ordinibus deliberatum. Videtur grande aliquid animo agitare. Sunt qui putant, illum acie experiri velle, quod non probo. Alii eum Brabantiae vel Flandriae interiora petiturum antumant, ut hoſtiles copias Trajecto & Moſa avocet. quae loca caſtellis muniit hoſtis, ut minus excurſionibus noceant Trajectenſes. Sed is malorum providus jam Moſam deſerit, & Brabantiam ſuam repetit. Ratisbona nondum ceſſit Caeſari. Proſpectum urbi dicunt à novo milite & commeatu. Magna ſtrage fuſi Caeſareani in Sileſia. Gallus antiquum obtinet, hoc eſt, adventat. Interea nuptias Filii ſui cum filia Ducis Saxoniae celebrat Danorum Rex, maximo undecunque Principum confluxù. Illi * Epithalamium ſcripſi hortatu Ampliſſ. Doctiſſimique viri *Fred. Guntheri* Secretarii Regii. Mittam propediem. Vale, cognatorum chariſſime, & uxorem, ſocrum liberosque ſaluta. etiam D. *Vorſtium*. Ipſis Cal. Sextil. CIƆIƆCXXXIV.

* Titulus eſt *Venus Cimbrica*. vid. *Barlaei* Heroic. lib. I. pag. 73. ad *Guntherum* vero eſt elegia lib. III. Eleg. p. 118. & miſc. II. 460.

EPISTOLA CCX.

CASPAR BARLAEUS

Petro Cunaeo, cognato ſuo

S. P. D.

Leidam.

DE Epiſtola illa vel diſſertatione in meum caput directa, nihil hactenus inaudivi, Cognatorum dilectiſſime. Primus tu hujus rei mihi indicium facis. Ultrajecti amicos habeo plurimos, inimicum nullum, niſi forte occultum. Nec ſcio me juſtam offenſae cauſam ulli noſtratium dediſſe vel ſcriptis vel verbo. Et cur facerem? non ſum ſatur otii mei, ut libeat Bacchis adverſarier. Hoſtium offenſas non moror, quibus placere non ſtudeo. Dubito an

verum ſit, tale aliquid in me ſcriptum eſſe. Significaſſent hoc amici *Buchelius*, *Petitius*, aliique quos illic in me propenſiſſimos habeo. Quicquid ſit, ſuſque deque habeo malevolorum morſus. Laedant, ego non laedar; cum viro bono nihil praeſtandum ſciam, praeter culpam. Socrus tuae obitum doleo, utpote matronae optimae & honeſtiſſimae, cujus memoriam charam habui, ob ſoceri tui, viri ſummi & eximii, praeclara in Rempublicam noſtram merita. Habes Venerem Cimbricam, cujus nuper mentionem feceram. Scribis ſuaviter, omnes exiſtimaturos me poëſin εἰς τὴν ποριστικὴν convertere. Exiſtiment, per me licet. Si id fecero, nihil factitabo inſolens. Θεολογικὴ, ἰατρικὴ, & quotquot ſunt diſciplinae, res ſuas agunt διὰ τὸν πόρον. Ipſa Bibliorum verſio ſacer alioquin labor, nuper licitando veniit. Injurii fuerint, qui ſolos poëtas cupiunt gratis ſcribere, & cum Eumolpo, apud Arbitrum, lacera veſte incedere. Non puduit Horatium Maecenati ſcribere: *Nec ſi plura velim, tu dare perneges.* Niſi ab iſto Heröe ſubinde rediiſſet unctior, nunquam ſcripſiſſet iſtos choriambos, *O & praeſidium* &c. Memini me ex Viro docto, & plurimorum librorum dedicationibus hîc & alibi celebri audiviſſe: *Muſae ſunt natae propter nos, non nos propter Muſas.* Dicebat ille verum, quod alii lucripetae diſſimulant. Poëta honeſtior laboris ſui praemium non petit, nec tamen, ſi quod à Principum liberalitate offeratur, ſuperbe reſpuit. Verum ut propius tibi conſtet facti mei ratio; Non ſcripſi hoc poëma mea ſponte, quid enim mihi negotii in Dania? ſed hortatu eorum, quibus hoc officium denegare improbum fuiſſet. Iterum tibi moleſtus ſum exemplarium diſtributione. Expectamus hîc liberos tuos, quos ſi ob aviae obitum jam venire minus commodum putas, nundinis Amſtelodamenſibus mitte. Quae ad petitionem meam de ſuſcipiendo Infante, ὁ μέλλει ἔρχεσθαι, reſcripſiſti, placent. Vale, cognatorum clariſſime & uxorem liberos & affines ſaluta, etiam Doctorem *Vorſtium*. Amſtelod. XXII. Aug. CIↃIↃCXXXIV.

EPI-

EPISTOLA CCXI.
CASPARUS BARLAEUS
Petro Cunaeo.

Leidam.

AMpliſſime vir & amicorum chariſſime. Diſcedente hinc *Couwenhovio* noſtro juſſi te officioſe per ipſum ſalutari. Cumque nihil haberem, quod ſcriberem, hoc tamen volui ſcribere, me heri ex viro conſulari intellexiſſe; D. *Charnaſſè* jam Caleti eſſe: de copiis Gallicis transvehendis Hagae deliberari: naves praeparari: ſeptingentos & quinquaginta jam a Rege mitti; reliquos 750. miſſurum proximo menſe Novembri. *Pauwius* juſſus eſt iſtic adhuc manere, ut lentum alioquin Gallum urgeat incitetque. Scripſit idem ſe magna iſtic negotia confeciſſe, & futurum propediem, ut montes (ita ego interpretor) parturiant. Qui Namurcum Gallo tradere per proditionem in animum induxerant, detecta proditione, capite ibidem plexi ſunt. Milites noſtri in hyberna abeunt. *Oxenſternius* Francofurto Moguntiam conceſſit, cum impedimentis omnibus. Metuo ne ulterius cogatur abire. Minus oportuna accidet *Grotio* noſtro haec migratio & rerum perturbatio. Vale, chariſſime, & uxorem liberosque ſaluta. Mitte cum voles & quos voles. Raptim, 8. Octob. 1634. *D. Vorſtium* ſaluta.

EPISTOLA CCXII.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

COgnatorum Clariſſime. Quae de publicis Belgii noſtri & Germaniae negotiis mihi ſcripſiſti, ea epiſtola, quam mihi attulit *Couwenhovius* veſter, magis mihi metum, quam ſpem auxerunt. Adeo & Suecorum diſſipatae vires videntur, & Gallus cunctando rem perdit, & in Saxone parum aut nihil praeſidii eſt, qui facile pacem in leges ſuas conficiet. Quod autem quidam a Dano in maximo principum legatorumque conventu ſub ſpecie nuptiarum magnum ali-

quid

quid poſſe effici ad componendas Germaniae res opinantur, mihi veriſimile non ſit. Domus Auſtriaca epularum ludorumque apparatibus opes Principum exhauriri, majus omni victoria credit. De *Grotio* tecum doleo. Cui enim otium cum dignitate optandum ſemper fuit, omnia nunc incerta & turbida occurrunt. Filia tua ad te redit, quae, poſtquam liberi mei ex Zelandia reverſi fuerunt, in praedio ruſtico legati *Braſſeri* prope Delphos cum *Overbeecquii* uxore commorata eſt. Quare rarius eam videre nobis licuit. D. *Salmaſius* bene ſe Amſtelodami exceptum fuiſſe mihi retulit, ac humanitatem veſtram mirifice praedicat. Vale, cognate amiciſſime, & uxorem lectiſſimam liberosque meis verbis ſaluta. Lugduni Batavorum 13. Octobris 1634.

EPISTOLA CCXIII.
CASPAR BARLAEUS
Petro Cunaeo, cognato ſuo
S. P. D.

Leidam.

JAm ante de morbo ancillae tuae nonnihil intellexeram, cognatorum chariſſime. Ideo curioſius inquiri juſſit uxor de morbi ſucceſſu & eventu. Non parum enim iſte familiae tuae caſus nos ſollicitos habuit, partim quod ad plures ſerpere potuerit malum, partim quod ſororis opera utendum propediem ſit uxori tuae, partui jam vicinae. Ante annos aliquot eadem vos terruit calamitas. Metuo, ne nimis vicinus ſis iſtis aedibus, ubi pauperum demortuorum exuviae oppignorari ſolent. Et eſt ea mali iſtius indoles, ut laneis & lineis pannis magis adhaereſcat, ob corporum raritatem & haerentem in villis aëra, quam ſaxis aut ferro. Scio te providum ſatis eſſe & metuentem futuri. Ideo non ſuadebo, ut alexipharmacis utaris: ut non jejunus exeas: ut theriacae aliquid naribus affrices: trochiſcis utaris aromaticis: ſuffitibus ex aceto in ferventem lapidem fuſo, vel baccis juniperi accenſis cubicula recrees: liberos domi quoad fieri poteſt, detineas. Noviſti enim haec melius me. Et vivis iſtic inter Æſculapios & Machaonas. Orabo Deum opt. max. quod unum poſſum abſens, ut porro à vobis avertat procul jaculantem Apollinem. Noſtra urbs à contagio iſto, per Dei gratiam, immunis adhuc eſt. licet cloacis, ſordibus, camarinis abundet.

det. Non alienus ſum ab illa ſententia, peſtem ab aſtrorum malo influxu eſſe, licet illi excipiendo forte opportunus magis ſit aër ſordidus, quam purus & defecatus. Dico forte, nam Neapolim, Venetûm urbem, Maſſiliam, Graeciae Inſulas, Cayrum, frequentiſſime afflat iſta lues, loca, mari, flumine vel in totum vel ex parte cincta. Vale, vir clariſſime & metue prudenter. Nec enim ſubitae ad iſtiusmodi caſus conſternationes nocere non poſſunt. refugientibus quippe ad interiora ſpiritibus & ſanguine, propellitur verſus partes vitales τὸ κακόν. Uxorem liberoſque ſaluta. Illi facilem & benignam precor Lucinam. D. *Vorſtius* ſalveat. Raptim. XIV. Nov. CIƆIƆCIXXXIV.

EPISTOLA CCXIV.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo
S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime cognatorum. Literas tuas 14. hujus menſis ad me datas accepi, in quibus de indole τῆς φθορᾶς καὶ λοιμοῦ ea mihi ſcribis, quae te, hoc eſt, accuratiſſimum philoſophum & medicum decent. Ego, ut inter Æſculapios & Machaonas hîc vivo, ita tua conſilia longe pluris & aeſtimo, & libenter ſequar, ac pro iis gratias tibi ingentes ago. De *Ryckewardi* filio, juvene eruditiſſimo, ſcripſerat mihi cognatus uxoris meae *Corvinus*, eumque in Rectoris Roterodamenſis, qui ad vos migravit, locum ſubſtitui cupiebat. Neſcio an ſatis mentem ejus intellexerim. Certe ex poſterioribus ejus literis longe ſum factus incertior. Nam cum in prioribus ſignificaſſet, velle ſe eam cauſam a quibusdam Academiae noſtrae Profeſſoribus magiſtratui Roterodamenſi commendari, adderetque te ad *Heinſium* de ea re ſcripſiſſe, reſpondi ei, Rectoris munus jam *Swaerdecronio* delatum eſſe, idque me ex conſule *Hartochſeldio* intellexiſſe, cum de filii ſui negotio, quod apud tribunal noſtrum pendet, mecum loqueretur: quare rem non integram eſſe. Caeterum me juveni praeſtantiſſimo favere impenſe, atque in alia re quavis velle ei praeſtare quaecunque poſſem. Mox iterato ſcripſit mihi, vacare tamen Conrectoris munus, ac cupere ſe eum juvenem a *Hartochſeldio* ad iſtud ſaltem promoveri. Enimvero *Heinſius* ullas ſe literas

teras ſuper hac a te accepiſſe negat. Et ego vero non potui percipere, utrum *Corvinus* eam cauſam ab *Heinſio*, atque a me commendari magiſtratui Roterodamenſi, an vero privatim ad *Hartochſeldium* de hac a me ſcribi velit. Prius illud facillime efficiam, ſi vel pauca verba ad *Heinſium* exaraveris, nihil enim ille magis ſtudet, quam aliquid facere, quod gratum tibi & jucundum ſit. Ut autem *Hartochſeldium* ſolus epiſtola compellem, non credo a me peti. Nam nec ego ulla re unquam mihi eum devinxi, & incognitus etiamnum mihi foret, niſi de filii cauſa, quae fori noſtri eſt, ſubinde me conveniſſet. Eam autem occaſionem capeſſere, ac per illam aliquid ab ipſo efflagitare, etiam te judice, haud conſentaneum verecundiae meae eſt. Haec ut cognato noſtro *Corvino* pro prudentia tua & animi aequitate referas, etiam atque etiam te rogo. Salutem tibi uxorique & liberis tuis, atque etiam *Corvino* ego, uxor, liberique adſcribimus. Lugduni Batavorum, 19. Novembris 1634.

EPISTOLA CCXV.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

Liberavi fidem meam, amiciſſime cognatorum, ac poſtridie, quam a nobis diſceſſeras, miſi tibi literas ad Conſules Roterodamenſes, quas *Heinſii* & mea manu ſignari voluiſti. Ex illo tempore triſtiſſimus caſus adflixit familiam meam. Quippe *Nicolaus* filius meus, poſtquam die Veneris ante meridiem cum dolore quodam ex levi tumore ſub alteram aurem ex Schola domum rediiſſet, nec periculi quidquam ſubeſſe initio medicus chirurgusque judicaſſent, ad veſperam ingraveſcente morbo extinctus eodem die eſt, paulo poſt horam decimam. Malum id contraxiſſe in Schola dicitur, quoniam qui ei adſidebat eadem lue contactus eodem tempore abiit, decumbitque. Hîc tu momenta paterni affecti noſtri in puerum optimae promptiſſimaeque indolis. Nihil memini in omni vita mihi luctuoſius accidiſſe. Sed tamen id ago, ut piis & cordatis cogitationibus pectus meum impleam, ac Deum, quo auctore haec fiunt, ſine murmure ſequar. Vale, vir clariſſime cum uxore liberisque, &, ſi quid humanitus mihi contigerit, me-

memineris (quaeſo) amicum te amiſiſſe, qui officiis & opera praeſtare, quantum vellet, haud potuit, at tui fuit amantiſſimus longiſſimo tempore ſtudioſiſſimusque. Lugduni Batavorum, x. Decemb. 1634.

EPISTOLA CCXVI.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime cognatorum. Quod uni & ſoli Deo optimo maximo acceptum ferendum eſt, vivimus adhuc omnes ſani incolumesque, ex quo tempore filiolus meus obiit. Haec pauca verba tibi jucundiora eſſe longo literarum circuitu ſcio. Faveat porro idem ille Deus beneficiis ſuis, tantoque muneri addat perpetuitatem. Si quenquam noſtrum eadem morbi vis attigerit (quod Deus avertat) ſignificabo id tibi, aut, ſi id ipſe facere nequeam, per alios, quibus mandavi, intelliges. Alioquin ex ſilentio omnium noſtro omnes etiam bene recteque valere tibi perſuade, nec incertis rumoribus, qui ſpargi fere in tali re ſolent, fidem habe. Quod animum tuum perculit caſus noſter tam repentinus & miſerabilis, pro ſummo tuo erga me meosque adfectu eſt. Idque mihi gratum fuit, & paene pars levaminis fuit condoluiſſe. Conſilium amicorum, ut partem familiae meae alio transferrem, aut ut ipſe in proximos pagos ſecederem, quod & tibi placuiſſe video, ſequi non potui, etſi indè *Vorſtius*, hinc *Bontii* vidua villas ſuas offerrent: Adeo multae undecunque circumſtabant difficultates, quae nec me ab uxore puerpera, nec ab alterutro parente divelli liberos ſinebant. Ego, ut pericula etiam minima ſubtimeſcere didici, ita ſcio quoque non deeſſe illis ſummam Dei clementiam, qui bonae mentis fiducia in re crepera & ancipiti conſtantiam haud exuunt cordati patris familias. Interim ut Deum tuis pro me precibus ſolicites, mirum in modum te rogo. Vale, cognatorum amiciſſime, cum uxore liberisque. Lugduni Batavorum, 17. Decembris 1634.

Videtur reſponſio ad *Barlaei* Ep. CCLXVII. licet illa tempore poſterior data eſſe ibi legatur: reſpondet vero *Barlaeus* huic Ep. CCLXX.

EPISTOLA CCXVII.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

EX literis tuis, cognatorum clariſſime, quas ad XI. ſuperioris menſis accepi, illud commodi ad me redundavit, quod non tantum jocoſo argumento inter ſummos dolores meos vehementer recreatus ſim, ſed etiam ex illis ipſis ſalibus multa ſeria valetudinis tuendae praecepta ſelegerim, quae mihi accuratiſſimo tempeſtatum & diaetae cuſtodi prodeſſe deinceps poterunt. Video ingenium tuum & inuſitatam animi indolem ubique elucere, ſive ludos tibi agere, ſive res tractare graves lubeat. Ex omnibus praeceptis, quae mihi dictitaſti, nihil aeque in hac hyemis inclementia ſecutus ſum, quam quod diligenter foco adſederim. Non ſemel autem dolui vicem tuam, quod tam ſaeva tempeſtate omittere lectionum publicarum munia, atque Academiae noſtrae exemplum ſequi tibi non licuerit. Scio id collegae tuo imputandum eſſe, qui malo more maloque exemplo ſibi tibique & ſucceſſoribus aufert illud jus, quod nunquam vobis negaviſſet Magiſtratuum Amſterodamenſium ſumma aequanimitas humanitasque. Ex quo tempore nuper ad te ſcripſi, imo jam ante, ex quo filium cariſſimum amiſi, proſpera omnes & ſinguli valetudine uſi ſumus, idque totum quantumcunque eſt, divinae gratiae & benignitati acceptum ferimus. Quaeſo ut has literas *Corvino*, cognato meo, tradi cures. Scripſit is mihi mirum in modum id ſibi cordi eſſe, ut Magiſtratui Amſterodamenſi, a nobiliſſ. *Heinſio* atque a me commendetur *Ryckewardus* veſter. Quod non ignave fecimus, ut ex literis ad *Grotenhuyſium*, quas apertas reliquimus, ut mox claudantur, perſpicere poteritis. ſalutamus te uxoremque, ego, uxor, liberique omnes. Etiam tibi ex animo ſalutem adſcribi voluit nobiliſſ. D. *Heinſius*. Vale, Lugd. Bat. 6. Februarii 1635.

Reſponſio ad *Barlaei* Epiſt. CCLXX.

EPI-

EPISTOLA CCXVIII.

C. BARLAEUS

D. Petro Cunaeo, cognato ſuo

S. P. D.

Leidam.

COgnatorum Chariſſime. Infans meus, quem e ſacro lavacro ſuperiore anno ſuſcepiſti, heri circa horam ſextam matutinam vivere deſiit. Die Veneris circa quartam pomeridianam convulſionibus Epilepticis, quod genus morbi pueris eſt familiare, corripi coepit, quae mira pertinacia, absque intervallo, per totam noctem, tenellum corpuſculum adeo afflixere, ut hora ſexta puerulum confecerint & extinxerint; magno noſtro luctu. Erat quippe γελωτοποιὸς valde, & Davus inter ſuos. Ita alii aliis fatale nuncium tranſcribimus, & funeribus noſtrorum implicamur, donec & ipſi tandem funus erimus. Acquieſcendum, mi cognate, voluntati divinae, iis praeſertim, qui mortem melioris vitae praeludium eſſe firmiter credunt. *Ryckwardus* noſter Conrectoratum nondum impetravit. Dicam cauſam. Curatores nobis tres ſunt. Primus *Hoofdius Ryckwardo* favet prorſus, alter *Schaepius Cellarium* quendam, Germanum, a Palatinatu profugum, pertinaciter urget. Tertius *Albertus Conradi* Hagae eſt. Hic ſi ſuffragari cupiet *Ryckwardo*, voti ſui fiet compos, ſin *Cellario*, exciderit ſpe. Vale, cognatorum dilectiſſime, & uxorem, liberos affinesque ſaluta. Illud de filioli mei obitu velim ſcire viduam D. *Arminii*, ut illa ad *Overbequium* referat. Raptim VI. Non. Mart. CIↃIↃCXXXV.

EPISTOLA CCXIX.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime cognatorum, quanto dolore ex literis tuis intellexerim mortem filioli tui, quem parente amiciſſimo conjunctiſſimoque natum ex ſacro lavacro ſuſcepi, facile tute cogitare potes. Nemo autem eſt ex omnibus minus ad te conſolandum accommodatus, quam ego. Nam & luctu domeſtico adhuc perculſus ſum: & nunc inopi-

natus iſte caſus, qui te adflixit, ingenti aegritudine veterem maerorem meum auxit. ſed quoniam acrioribus ſtimulis nunc recenti funere animus tuus paternus agitur, ſtatui noſtrae neceſſitudinis eſſe illud duntaxat tali tempore te rogare, ut firmiter tibi ipſe repraeſentes ea omnia, quae nuper non ſemel ex ſapientiae praeceptis prudenter mihi & cordate ſuggeſſiſti. Quod tibi haud difficile factu erit, ſi cogites longe & majora & duriora eſſe, quae mihi contigerunt, neque ullam eſſe ſolatii promptiorem rationem, quam ubi ſortem tuam cum aliorum conditione, quae deterior eſt, comparaveris. Hoc tibi unum, ut quod ad nos communiter pertinet, ſcribere poſſum, longe ſatius eſſe ſobolem ſuſceptam ſic amiſiſſe, quam non ſuſcepiſſe: cum non exigua res ſit, ex honeſtiſſimi conjugii ſatu animam eſſe beatorum coetui adſcriptam, & Chriſto Servatori noſtro ſociatam. In *Ryckewardi* negotio diſplicet mihi vehementer haec mora. Veſtrum eſt, pro ea, qua valetis, gratia apud magiſtratus urbanos quidlibet agere, ne ille ſpe ſua nunc lapſus fruſtra mox alibi idem petat. Quaeſo ut uxori tuae dolorem meum uxorisque ex acerbiſſimo funere veſtro ſignifices, illique noſtris verbis impertias multam ſalutem. Lugduni Batavorum, 9. Martii, 1635.

EPISTOLA CCXX.
CASPAR BARLAEUS
Petro Cunaeo, cognato ſuo chariſſimo S. P. D.

Leidam.

QUi haſce Tibi literas exhibet, Cognatorum chariſſime, *Abrahamus* eſt *Wickefort*, frater *Joachimi Wickefortii*, cujus hîc in me officia humanitasque maxima ſunt. Puto vos meminiſſe, huic viro deberi a Senatu Academico Doctoratus literas & inſignia. Ea jam petitum venit. Quamobrem rogo peramanter, ut operam tuam illi commodes, ne neceſſe ſit hac de cauſa longius iſtic ipſum haerere. Statutum illi coram Curia hac noſtra cauſas dicere, uxoremque, quam Pariſiis duxit, huc transferre. Faſciculum tibi tradet Orationum mearum de Animae admirandis. Titulum praefixi ſpecioſum, tanquam hederam vino minus forte vendibili. D. Doctori *Vorſtio*, *Screvelio*, nec non D. *Boxhornio* velim exemplar per ancillam mitti. D. *Heinſio* &

& *Salmaſio* dabit ipſe *Wickefortius*. Vale, cognatorum chariſſime, & uxorem, liberos affinesque ſaluta. Nos per Dei gratiam valemus recte. Sed recens ob amiſſum filiolum luctus uxori altius inſedit. Amſtelod. XI. Mart. CIƆIƆCXXXV.

Subjectum erat huic epiſtolae epigramma in filioli *Jacobi* tumulum, quod legitur in Poëmat. lib. II. miſcell. p. 465.

EPISTOLA CCXXI.

CASPAR BARLAEUS

Petro Cunaeo, cognato ſuo chariſſimo S. P. D.

Leidam.

Excidit, pro dolor, ſpe ſua & expectatione *Ryckwardus* noſter. Habuit fautores ſuos, ſed Curatorum unus acerrime obſtitit, ſucco Contraremonſtrantium imbutus. Hic non alium promotum cupiebat, quam Eccleſiae & puriori, ut vocant, doctrinae addictiſſimum. Intercidêre & alia, de quibus coram loqui malim, quam multa ſcribere. Neſcio etiam quo fato, hoc ipſo tempore, Curatoris ſe munere abdicaverit Praetor *Grootenhuyſius*, qui *Ryckwardo* favebat quam maxime. Cui cum ſucceſſiſſet alter iſte, partibus Theologorum addictior, praelatus illi fuit Medicinae Doctor aliquis, ingenio doctrinaque longe inferior, homo ab elegantioribus ſtudiis imparatus, quem infelicior praxis in hoc Dionyſii fatum coëgit. Credamus ambo dominari etiamnum vitia illa, parvis magnisque civitatibus communia, ignorantiam recti & invidiam. Expectamus hîc proximo die Lunae adventum D. *Honerdi*, qui una cum Conſule *Bickero* in Poloniam abit. De Legationis ſucceſſu multi deſperant. Cum enim afflictae ſatis ſint Suecorum in Germania res, animoſior erit Sarmata. Nos ad bella accingimur, quae ſecundet exercituum Deus. Metuo, ne qui hoſtem hactenus experti ſumus Hiſpanum, novis propediem cum Caeſare bellis implicemur. Hoc debebimus Gallo, qui nos, ut ajunt, communes ſecum hoſtes habere vult. Cognatns tuus *Corvinus* aedes Conſulis *Bickeri* conduxit. Habitabit anguſtius, quam ante. Princeps Auriacus me ducentis florenis annuis beavit. Recreavit illum lectio Orationis meae de Animae admirandis, Gallice reddita. Vale, cognatorum chariſſime, & uxorem li-

beroſque omnes ſaluta. Literas quibus ſuper obitu filioli mei nobis condoles accepi. Revocavi ad animum, quae ſuggeris ſolatia. Non quieſcit ille, niſi Deo ſanctiſſimaeque ejus voluntati acquieſcamus. Amſtelod. xx. April. CIƆIƆCXXXV.

EPISTOLA CCXXII.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

Clariſſime cognatorum. Non illud de nihilo fuit, quod mihi vehementer diſplicuit diuturnior illa in *Ryckewardi* negotio mora. Quippe ex epiſtola tua video qui curſus rerum, qui exitus fuerit. Egi, qui juvenem illum ante ſemper feci maximi, longe nunc acrius in ejus amorem accenſus ſum, ex quo tempore bis me nuper adiit, doctrinamque mihi ſuam & ingenuam erectamque indolem probavit. Ducentos illos florenos annuos, quibus te princeps Auriacus donavit, gratulor tibi ex animo. Utique nihil tibi tam grande tribui poſſe reor, quod non exſuperet virtus tua. Et rurſum ſummus ille populi ductor apprime rem glorioſam & ſe dignam fecit, cum ex luculentiſſima diſſertatione tua excellentiam animae humanae aeſtimavit, ac inuſitatae doctrinae tuae pretium poſuit ex vero. De rebus Galliae Germaniaeque, & noſtris, quid optem ſcio, quid ſperem neſcio. adeo multum caliginis habent res eae, quae nunc aguntur, quas juvare uno modo poſſum, ſi precibus votiſque Deum pro ſalute reipublicae ſolicitem, & curas, quibus impar ſum, fato permittam. Puto autem te, ut in aliis cauſis, ita etiam hîc mecum ſentire. Vale, amicorum integerrime, & uxorem tuam liberoſque ſaluta. Lugd. Bat. 27. April. 1635.

EPI-

EPISTOLA CCXXIII.

C. BARLAEUS

Petro Cunaeo, cognato ſuo conjunctiſſimo

S. P. D.

Leidam.

HActenus triſtes moeſtasque voces tibi tranſcripſi, Cognatorum clariſſime. quippe ita hîc ſe dabant res, pro quibus magni atque humiles ſumus. Aliquot retro diebus meliuſcule ſe habuit uxor, ut morbi vis deſaeviiſſe per Dei gratiam videatur. Terruit ille nos graviſſimis ſymptomatis, quae jam remiſſiora ſunt. Brachium uti & crus dextrum denuo movet & attollit, licet cum moleſtia & dolore pars quoque animae dignior, ratio inquam, vegeta, magis eſt, & expedita. Lentis paſſibus convaleſcit. convaleſcit tamen. ut ſopitam aliquamdiu in me valetudinis ſpem non leviter erexerit divina bonitas. quam rogo, uti ſolidam illam firmamque largiatur conjugi. Illuſtriſſimus *Oxenſternius* magnifice a Senatu hujus urbis exceptus ſuperiori hebdomade Hamburgum & Saxoniam Inferiorem petiit. Opus eſt Atlante, qui labantes Principum Germaniae animos ſuffulciat. Adfui illi in prandio, a Magiſtratu noſtro invitatus, uti & collega meus. εἶδος habet ἄξιον τυραννίδος. Cum hinc abiret Ampliſſimus *Honerdus*, meque convivio excepiſſet, uti eſt facetus, Nihil habebimus, inquit. Quare Epigrammate uno aut altero abeuntem proſecutus fui. Uxorem, liberos & affines peramanter ſaluta; uti & D. *Vorſtium*. Salutat vos uxor & liberi. Amſtelod. XII. Junii CIↃIↃCXXXV.

Epiſtolas aliquot ultro citroque miſſas omittimus, quia nihil niſi de morbo uxoris *Barlaei* continebant, quae legi hodie nihil refert. huic epiſtolae epigrammata aliquot erant ſubjecta in legationem *Rochi Honerdi*, & Collegarum in Poloniam, quae leguntur lib. III. Eleg. p. 168. & ſeq.

EPISTOLA CCXXIV.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

CLariſſime cognatorum. Quod morbum uxoris paulatim remitti, ac deſaeviiſſe graviſſimorum ſymptomatum vim ſignificas, gratum mihi vehementer jucundumque fuit, Deumque optimum maximum, ut hanc vitae ſociam tibi porro ſoſpitet, atque ut ejus valetudo procedat in melius quotidie, ex animo precor. Ego per aliquot dies gravedine & catharris, & faciei ad ſiniſtram partem mirabili tumore laboravi, ſed, poſtquam faſciis linteiſque obvolutus, tanquam *μορμολύκειον* aliquod, diu deſediſſem, liberatus tandem reſtitutuſque priori formae ſum. *Oxenſternium* Hagae, cum per curiam ad ſalutandos foederatos Ordines ſolenni ritu deducebatur, vidi in tranſitu. Tibi autem non adſpectum modo ejus, ſed & alloquium gratulor. Credo illum, poſtquam ſalutationum & reſponſionum peractae formulae eſſent, haud multa verba vobiſcum commutaſſe, etſi literis doctrinaque praecellit. Sed ea eſt illius ordinis gentiſque majeſtas, & Batavis noſtris, imo Belgis omnibus, inſueta. Carmina in *Honertii* legati abitum, pleniſſima felicitatis & elegantiae, hoc eſt, tua, libenter legi. Caeterum quaerere ex te libet, quid de illa *Ryckewardi* epiſtola, deque notis commentatoris exiſtimes? Certe *Heinſius*, cum iſtud ſcriptum mihi adferret, in fermento totus fuit, neque comminiſci potuit, quo ſuo merito haec fierent. Placavi eum quantum potui. Sed tamen ipſe (opinor) mecum ſentis, ſummam fuiſſe illius juvenis incogitantiam. Salutamus te uxoremque & liberos tuos ego, uxor, meique omnes, atque etiam D. *Vorſtius*. Vale. Lugduni Batavorum, 17. Junii 1635.

EPI-

EPISTOLA CCXXV.
C. BARLAEUS
Petro Cunaeo, cognato ſuo chariſſimo
S. P. D.

Leidam.

COgnatorum clariſſime & chariſſime. Memini me non ita pridem tibi ſcripſiſſe, morbi iſtud genus, quo laboravit uxor, fallax eſſe. Id verum eſſe docuit triſtiſſima cataſtrophe. Videbatur convaleſcere in dies conjux, jamque bacillo nixa per aedes ambulabat, omniaque priſtinam valetudinem promittebant, praeterquam quod minus vegeta adhuc eſſet ratio: cum enim heri hora duodecima novo paroxyſmo correpta, ſive is apoplexia fuerit fortis, ut ego judico, ſive catarrhus ſuffocans, ut cenſent medici, intra bihorium extincta fuit. aderat ſumma pectoris oppreſſio, ſtertor magnus, ſenſus, motus rationisque privatio. Nihil intra iſtud tempus locuta, placide ſtatim à ſecunda pomeridiana, in Domino obdormivit. Accidit hic caſus praeter meam, medicorum, ac amicorum omnium opinionem. Sum attonito ſimilis. Videnturque haec per ſomnium domi meae geſta. Ut divinae voluntati acquieſcam, ſuadent pietas ac juxta fatalis horae neceſſitas. Dolorem meum liberorum cauſa diſſimulare cogor & moderari. Unum ſupereſt, quod Te per amicitiam noſtram & cognationis jura rogo, uti digneris funus chariſſimae uxoris, quod efferetur die Veneris, ſive XXII. Junii, hora prima pomeridiana praeſentia tua cohoneſtare, & extremum hunc honorem defunctae praeſtare. Peto idem à filio tuo *Johanne*, ut comitem quoque itineris habeas. Divertes, ſi ita viſum, vel apud me, vel apud cognatum tuum D. *Corvinum*. Erit hoc arbitrii tui. Adde hoc officium reliquis tuis erga me meritis. Non patiar, ubi ita ferent res, ullum humanitatis officium in me deſiderari. Triſte hoc nuncium velim ſignificari D. *Overbequio*, & D. Rectori *Screvelio*, quos ſpe valetudinis uxoris meae recreavi. Vidua D. *Arminii*, quae uxori convaleſcenti gratulata fuit, Ultrajecti jam eſt, ubi periculoſe dicitur aegrotare *Noortwicius*. Uxorem, liberos affinesque ſaluta.

Raptim ſummo mane, 20. Jun. 1635. Amſtelod.

Libellum iſtum Commentatoris anonymi in *Rykwardum* legi. Offendit me non parum, quod ipſius incuria in ſce-

nam iſtam popularem ſimus pertracti plures. Illud impatienter omnino tuli, quod minus reverenter & honeſte de clariſſimo *Heinſio* loquatur, ac pro praeſtito officio malam viro ſummo gratiam rependat. Reprehendi ipſum ſerio: nec video colorem, quem obtendere poſſit literis ſuis. Credat vir celeberrimus me voces iſtas mali commatis tum ſcriptoris, tum commentatoris, odiſſe cane pejus & angue. Miſerat literas ad cognatum, qui cum alteri amico legendas tradidiſſet, & hic alteri, tandem inciderunt in manus eorum, quibus volupe fuit ita commentari. Collegam meum valde offendit directa in ipſum parentheſis. De autore notarum nihil mihi conſtat. nec ſatago ſcire.

EPISTOLA CCXXVI.

CASPAR BARLAEUS

Petro Cunaeo, cognato ſuo,

S. P. D.

Leidam.

GRatiſſimae mihi fuerunt literae tuae, cognatorum chariſſime, quibus ſignificas te intra decem dies aut citius forte huc venturum. Confabulabimur, ubi veneris, liberius & uberius, quam per literas fieri poteſt. Inveniemus etiam amicos alios, quorum colloquiis fallamus noſtra otia. Verum illud te ſcire cupio: me à filiis Conſulis *Gravii* vocatum eſſe & invitatum Beverovicum. Pagus is eſt illuſtris altero lapide Harlemo in Kermariis diſtans. Eo concedam die Veneris proximo, hoc eſt craſtino, reverſurus, Deo permittente, die Mercurii ſequentis ſeptimanae. Si iſto die Leida diſceſſeris, deveniemus ambo domum noſtram, & amicas dexteras jungemus. Diſtuliſſem tua cauſa iſtam excurſionem, niſi me promiſſo adſtrinxiſſem, & illi me expectarent deſideratius. Nec volui te hoc ignorare, ne me forte abſente ſolus hîc eſſes. Itaque mihi iſtos dies indulge, ut poſtea totus tibi vacem. Liberorum tuorum adventum in autumnum expectabimus. Opportunum omne amicitiae tempus, dies omnis, hora omnis. Non amat illa magnos ſtrepitus & majores culinae fumos. Collegae meo Cl. D. *Voſſio* gratias egi tuis verbis pro opere Grammatico. Quam multa hactenus ignoravimus, veteri aevo bene, male dicta. Aut vehementer erro, aut mecum mavis vivere antiquis moribus, & verbis loqui praeſentibus.

ſentibus. Vale, cognatorum clariſſime, cum conjuge & liberis. Deus Opt. Max. vos omnes ſoſpitet, & afflato malis ſideribus aëre vobis ſit ἀπιτρόπαιος. D. *Vorſtium* aliosque amicos ubi commodum ſaluta. Raptim. XVIII. Jul. CIↃIↃCXXXV.

EPISTOLA CCXXVII.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo S. D.

Amſtelodamum.

COgnatorum clariſſime. Literis tuis tardius reſpondeo, propterea quod allatae tunc fuerunt, cum ex adfinis mei *Sixti* praedio Hagam ſeceſſeram, atque ibi per plures dies haerebam. Ex illis valetudinem tuam tuorumque laetus lubenſque intellexi. Quoniam autem etiam de nobis pro tuo in nos amore ſolicitus es, me quoque & uxorem liberoſque meos omnes praeſtitit huc uſque incolumes Deus optimus maximus. Cauſa cur nec liberorum meorum aliquos ad te miſerim, nec ipſe venerim, haec eſt, quod ſaepe qui aërem in hac temporum contagione mutant, periculum aut aliis inferunt, aut ſibi arceſſunt: tum quod me abſente liberi duo natu majores cuſtodiam aedium mearum, quam illis commiſeram, deſerere non debuerunt. Ego vero, qui nuper nec die condicto te adire propter abſentiam tuam, nec reverſum inviſere ob negotia derepente mihi oborta potuerim, ſtatim mox deinde in Zelandiam profectus ſum, ubi per ſeptimanas octo commoratus, cum Hagam rediiſſem, ex conſilio amicorum ſedem otii mei villam hanc elegi, ut illic aliquantiſper eſſem, donec frigidior paululum aëris temperies luem, quae inter Leydenſes graſſatur, faciat minus noxiam ſanis integrisque corporibus. Veſtram vero nobis ex animo gratulor ſortem, quae, etſi immunis plane a contagione non eſt (& quam, obſecro, Bataviae partem intactam dixeris?) non tamen eam ſentit pernicioſam adeo, nec tam late pervadentem. Quae προφυλακτικὰ addis, non negligo, atque omnia caveo etiam minutiſſima. Sed noſti in his malis aliquid eſſe, quod omnium ſuperat induſtriam prudentiamque. Quare ad preces ſaepe confugio, ac Deum ſupplex rogo, ut te, meque melioribus temporibus ſervet, atque ut mihi te videre & amplecti aliquan-

do, & ἀγαθῶν καὶ ἐλλογίμων διατριβῶν ἑστιᾶν liceat. Quam infeliciter res nobis bellica hoc anno ceſſerit, nec ego ſatis dicere queo, & tu mecum non ſemel haec animo ante peregiſti. Et nunc tamen de induciis aut pace aliquid ominari audent. Utinam vero tam bonam nobis καταστροφὴν propitius favensque Deus daret. Si quid certius reſciveris, noli mihi hunc tanti gaudii iuvidere fructum. Vale, vir amiciſſime, cum liberis tuis, quibus ſalutem plurimam a me meisque nuntia. Scribebam ex agro Voorſchotiano 21. Octobris 1635.

Reſponſio eſt ad Barlaei Epiſt. cccv.

EPISTOLA CCXXVIII.

CASPAR BARLAEUS

Petro Cunaeo, cognato ſuo dilectiſſimo S. P. D.

Leidam.

GRatulor Tibi natum filium, Cognatorum amiciſſime. Faxit Deus Opt. Max. uti in patrias virtutes adoleſcat. Operam dabo, ut die Sabbathi mature iſtic ſim. Verum ſpero me non difficulter ab aequitate tua impetraturum, ut amicorum aliquem in meum locum ſubſtituam, qui pro me in templo reſpondeat, ſive affinem tuum Doctorem *Zeyſtium*, ſive *Screvelium* Rectorem, ſive *Vorſtium*, aut alium, quem voles. qua de re deliberabo tecum, cum iſtic ero. Non eſt alienum a jure veſtro per procuratorem res agere. Et quod quis per alium facit, ipſe facere putandus eſt. Apud me non ſunt tanti controverſiarum capita, ut propterea publicis ſacris intereſſe recuſem. Verum offenderem valde Remonſtrantes infirmiores, qui apud vos durius jam habentur. Nec poſſent me iſto in loco publico adſpicere Contraremonſtrantes ſine ſibilo. Sed de his coram latius. Petiit inſuper uxor à me, ne hoc facerem. *Ryckwardi* filium commendavi Conſuli *Couwenbovio*. Verum pene de ſucceſſu deſpero, ob cauſas, quas coram apud Te eloquar. *Heinſio* ſuper hac re non ſcripſi. ut neſciam qua fiducia iſtud tibi ſcripſerit *Corvinus*. Expecto Roterodamo reſponſum. Forte opus erit teſtimonio veſtro. Vale, cognatorum chariſſime. Uxori puerperae meis verbis bene precare. *Gratias* vobis agit uxor pro unguento, & gratulationem ſuam meae jungit. Amſtelod. XXIX. Novemb. CIƆIƆCXXXV.

EPISTOLA CCXXIX.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, Cognato ſuo S. D.

Amſtelodamum.

QUod ſignificas, cognatorum dilectiſſime, te rarius nunc ad me ſcribere, & minus memorem eſſe amicorum, quia intercurſant identidem cogitationes ſodalitatis ſuaviſſimae, quam conjugium vocamus, neſcio quid ſit hercle, aut quo pertineat. Nam ut te novi matrimonii honeſtam aliquam conditionem quaerere credam, vix animum induco, cum pro jure arctiſſimae amicitiae noſtrae jam pridem me conſiliorum omnium feceris conſcium. Et rurſus ſi de priore luctu id accepero, fieri non poteſt, ut, qui recenti funere nunquam amicis defuiſti, nunc plus tribuas inveterato dolori, quem in dies levat magis temporis diuturnitas. Adhaec, ſcio te & aetate & viribus florere, ut nondum ex omni amoenitate exarueris: Rogo te, ut ſine circuitione quod ſentis, dicas, nec obhaerendum mihi putes ἐν αἰνίγμασι. Quippe Davus ſum, non Oedipus. Literae illae Curatorum conſulumque, quas miror per totam fere Bataviam, etiam in circulis tonſtrinisque, in ſermonem hominum veniſſe, alium longe habuerunt exitum, quam vulgus opinatur. Effectum enim tandem eſt, ut, poſt cognitas abſentium cauſas, etiam praeſentibus ſignificatum ſit, ne Leydae manendum eſſe ſibi exiſtimarent, ſi ſuae ſuorumque incolumitati metuerent ex conſcientia. Nemo tamen omnium ſecutus mox ex tam longo intervallo nos eſt, qui ſtatim initio seceſſimus. Neque noſtra refert profecto: quia nobismet ipſis duntaxat conſulere, non ſectam facere, ſtuduimus. Sane inter vacuas Academiae ſedes, nullo publico bono, periculum vitae ſubire neque glorioſum putavimus, &, ſi quae laus eſt, neſcio quomodo eam minus appetimus, qui nunquam ambitioni diximus ſacramentum. Credo, te vidiſſe *Scriverii* ad *Joannem Polyandrum* jambos genii & venuſtatis plenos, quos in hanc rem conſcripſit. Nos, cum nuper ei in convivio in praedio vicino Woelwicenſi aderamus, affatim riſimus. Itiones iſtae crebrae *Muſchii* Graphiarii, & manſiones diutinae ejuſdem in Brabantia, de quibus ſcribis, animum meum exſpectatione erigunt bonarum rerum; niſi forte arcis

arcis Bilandiae expugnatio fiduciam illis nunc addiderit, quos ad protrahendum bellum concitat quaelibet occaſio. Sed melius ominamur. Rem mihi gratiſſimam facis, quod me non ignarum eſſe finis eorum, quae geruntur. In quo ut perſeveres, vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale, vir ampliſſime & conjunctiſſime. Ex agro Voorſchotiano, 27. Novembr. 1635.

EPISTOLA CCXXX.

C. BARLAEUS

D. Petro Cunaeo, cognato ſuo

S. P. D.

Leidam.

NOn de nova, cognatorum chariſſime, ſed nupera ſodalitate verba mea intelligi cupio. Hujus, quippe non illius, cogitatio me coquit & verſat ſub pectore fixa. Scribis valde emphatice, ea me eſſe aetate & viribus, ut nondum ab omni amoenitate exaruerim. Sed neque tam mihi videor athleta, ut cum Alcmenis aut Hecubis congredi audeam. Quod ſi per humanam imbecillitatem ad ſecunda vota transeundum mihi erit, de quo nihil prorſus ſtatui, nec ſtatuam temere, effundam in ſinum tuum quicquid erit hujus non horribilis, ſed amabilis ſecreti. Ac terrent me, ut verum fatear, aliorum exempla, etiam illorum, qui te propius tangunt, qui minus felici eventu liberis ſuperinduxerunt ſuperciliosam aut querulam novercam. Non quod à noverca mihi meisque metuam, ſed ab epitheto Maronis, quod quale ſit non ignoras. Gaudeo apud Leydenſes magis magisque deſaevire luis vim. Deſaevit & hîc per Dei gratiam. Cenſus Libitinarius hebdomadae ſuperioris fuit CCCCLVI. Privigna Doctoris *Tollii*, nubilis virgo, quae huc cum matre conceſſerat, tanquam in locum tutiorem, fatis ceſſit. Eadem dies & ſanam vidit & mortuam. Magiſtratus noſter legibus coërcuit funerum apparatus. Cautum ne quis lugubri pallio comitetur funus. Cautum, ne quis è pompa conſcendat coemiteria. Cautum, ne quis domum aut officinam aperiat, intra ſex hebdomadas ab exequiis; ne quis atria inveſtiat pullo velamine, & quae ſunt alia optimis conſiliis ſancita. Sunt qui cautelas has rident; utpote ejus opinionis, peſtem a Deo immitti, inevitabili hunc potius quam illum tollendi decreto. Quid dicam? a Deo immitti non diffiteor, ſed preci-
bus

bus & ſeriae reſipiſcentiae ſtudiis placabili, quique naturam patitur corrigi medicina, remediisque & cautelis ab eadem providentia monſtratis. Noſtri hîc non levem ſpem conceperunt, futurum, ut intra breve tempus arcem Schenkianam recuperemus. Etiam erigit plurimos Induciarum non vana, ut creditur, expectatio. At metuunt Societatis Indicae, quae ad Occidentem militat, praefecti, ne boni publici cauſa partis excidant. Ego Occidentis domitores juberem plorare, modo nobis pax eſſe poſſit, & rerum tum publicarum tum privatarum major ſecuritas. Haec omni ſaccharo dulciora ſunt, quod barbarorum cannis extunditur. Verſus clariſſimi *Scriverii*, quos notas & laudas, non vidi, ſed videre deſidero. Vale, amiciſſime & valetudinem tuam tuorumque cura diligenter. Quia verſuum mentionem feci, mitto * Hendecaſyllabos, quos heri ad Satrapam Muydenſem ſcripſi, ut credas me nondum ab omni amoenitate exaruiſſe. Uxorem liberosque & quos praeterea iſtic habes amicos ſaluta. Amſtel. tert. non. Decemb. CIƆIƆCXXXV.

* Ex reſponſione patet eſſe, qui leguntur lib. I. Miſcel. p. 330. quibus gratias agit pro perdicibus donatis.

EPISTOLA CCXXXI.

PETRUS CUNAEUS

D. Caſparo Barlaeo, Cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

GAudeo me tandem ex literis tuis, cognatorum amiciſſime, intellexiſſe apertius ſenſum verborum tuorum, in quibus antea inerat plurimum ambiguitatis. Equidem ego hunc modum tenui, ut propoſitum tuum neque laudaverim, neque improbaverim in hanc aut illam partem, ac nec judicium ullum meum interpoſuerim. Nam & ſciebam te ea animi prudentia eſſe, ut ſecundas nuptias flectere etiam ad conſilium, atque ad tuos liberorumque tuorum uſus poſſes. Et rurſus quam eſſet inviſa res noverca, & quam bigami etiam in veteri Eccleſia fuerint odioſi, non ignorabam. Etſi ſane pleraque, quae operoſe de his diſceptata olim ſunt, ex locis ſacri textus perperam acceptis profluxiſſe arbitror. Hendecaſyllabis tuis delectatus mirifice

fice ſum & pene ſalivam mihi moverant iſtae perdices. Verſus Cl. *Scriverii* vidi legique, ſed deſcriptos nondum mihi eos dedit, etſi promiſit. Certe qui ruri vivimus, & vicini pene proximi ſumus, tamen tam longo pagorum intervallo disjungimur, ut facile excuſationem admittat haec procraſtinatio. Audio tamen eum ex praedio ſuo *Woelwicenſi* familiam nuper in urbem transtuliſſe, ipſum autem Amſterodami eſſe. otium iſtud, quod in agris nunc per hiemem dego, multis circumſeptum eſt difficultatibus, quas ciborum penuria, viae lutoſae, & prata aquis tecta augent. Quare cum peſtem maximam ex parte inter Leydenſes extinxerit Dei benignitas, & Curatores conſulesque nos rogaverint, ut periculo jam ceſſante non deeſſemus Academiae, ac caeteri jam omnes, qui diſceſſerant, redierunt in urbem, ac lectiones ſuas redintegrare caeperint, conſtitui non diu admodum omittere ea, quae exigit a me muneris publici ratio. Quoniam tamen ex feſtinatione praepropera aliquid mali adhuc metuere mihi meisque poſſum, in novi anni auſpicatiora exordia reditum meum differam, ac poſt illud tempus operam dabo, ne defugiſſe videar partes meas. Quae ſancita publice apud vos eſſe ſcribis, ne latius proſerperet contagio, ſummam magiſtratus veſtri ſapientiam arguunt. Sed & tecum deteſtor, execrorque eos, qui quicquid de fato providentiaque, arcanis Dei conſiliis; perſcriptum in ſacro codice extat, illuc detorquent, ut adverſus peſtem & alia id genus mala nullum cautioni diligentiaeque & piis curis precibusque, quae paſſim a Deo mandantur, relinquant locum. Quorum ego opinionem omni peſte exiſtimo pernicioſiorem. De induciis ſi quid agitur, omnia ſecreto fiunt citra ſciolorum quorundam & curioſorum conſcientiam. Ajunt tamen exſpectari Legatos regis Poloniae, qui negotium hoc reip. noſtrae utiliſſimum ope conſilioque & interceſſione ſua juvare, ac praeclaram nobis rependere vult gratiam. Quod ut bene recteque procedat, & feliciter nobis eveniat, Deum opt. max. ſupplex quaeſo & veneror. Vale, vir conjunctiſſime, & liberos tuos ſaluta. Scribebam ex agro Voorſchotiano 22. Decembris 1635.

EPI-

EPISTOLA CCXXXII.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, *cognato ſuo*

S. D.

Amſtelodamum.

LIteras tuas, clariſſime cognatorum, quibus me ſuper filii dulciſſimi obitu ſolaris, lubens perlegi, ac vehementer eas mihi fuiſſe gratas profiteor. Caeterum non leviter ante dolebam memoriam noſtri amoremque tibi penitus excidiſſe, propterea quod longo tempore nunquam mihi reſponderas. Quare cum tibi noviſſime ad XXVI. hujus menſis de caſu noſtro domeſtico tumultuatim Belgico noſtro idiomate perſcriberem, de ceſſatione hac tua, pro libertate, quae eſſe inter nos debet, te incuſavi. Nunc video te epiſtolam eam praeveniſſe, atque officium iſtud expleviſſe. Equidem neſcio an caeteris meis vitiis id annumerare debeam; ſed tamen hac eſſe me indole video, ut quos ſemel diligere coepi, amem conſtantiſſime, atque ut ipſe exigam invicem ab amicis benevolentiam mutuam. De republica quod ſcribis, etiam ego tecum vereor. Quicquid tamen reſciveris, etſi parum laetum foret, quaeſo fac ut intelligam. Nam inter eos hîc vivo, quibus ob vaniſſimarum & incertiſſimarum rerum ineptiſſimas rationes credere vix poſſum etiam vera dicentibus. Vale, vir amiciſſime, & liberos tuos ſaluta. Lugduni Batavorum, 30. Januarii 1636.

Reſponſio ad *Barlaei* Ep. CCCXV. & reſpondet *Barlaeus* Ep. CCCXVII.

EPISTOLA CCXXXIII.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, *cognato ſuo*

S. D.

Amſtelodamum.

DIſſertationis tuae exemplaria, cognatorum amiciſſime, 10. Martii accepi, eaque omnibus, quibus voluiſti, miſi, qui mecum tibi gratias agunt ſinguli, & rerum a te obſervatarum momenta, & aſperſam graviſſimae tractatio-

ni

ri amoenitatem venuſtatemque, quae omnes etiam philoſophiae imperitos capit oblectatque, mirifice depraedicant. Cupio, ut petis, propediem ad te excurrere. Sed tardant me negotia quaedam, ne id ſub initium ſequentis hebdomadae facere poſſim. Quare conſtitui ad proximum Veneris diem, qui erit vigeſimus octavus hujus menſis, aut certe pridie Aprilis, ad te venire. Neque puto, etiamſi lectionum veſtrarum initium Aprilis faciat, adeo te conſuetis recitationibus adſtrictum occupatumve iri, quin per biduum aut triduum horas aliquas ſubſecivas impendere amico & poſſis & velis. Caetera in ſermones noſtros rejicio. Vale, vir clariſſime & conjunctiſſime, & liberos tuos ſaluta. Lugd. Batavorum, 22. Martii 1636.

Reſponſio ad *Barlaei* Ep. CCCXVII.

EPISTOLA CCXXXIV.

C. BARLAEUS

Petro Cunaeo, cognato ſuo chariſſimo

S. P. D.

Leidam.

Literis tuis non parum exhilaratus fui, cognatorum chariſſime, quibus adventus tui certam ſpem facis, qua elapſa proxime aeſtate excidi. Uxorem una adducas, itineris ſociam, niſi a currus agitatione metuas gravidae. Liberos jam non invito, quibus gratius fuerit circa feſtum Pentecoſtes venire, cum floribus omnique amoenitate rident horti & agri. Nihil tamen praeſcribo. quoſcunque aut quaſcunque adduxeris, amplectar & excipiam amice. Sed audi rem novam & memorabilem. Hoc mane appulſae e Luſitania naves, quae referunt magno terrore concuſſam Olyſipponem, ob victam a noſtris, exuſtam, penitusque deletam claſſem Hiſpanicam, quae in Sinu, ut vocant, omnium Sanctorum, anchoras jecerat. Perpetratum facinus a navibus, quae a Societate Indiae Occidentalis nuper miſſae ob Africi pertinaciam in Angliae portubus diu haeſere, tandemque flante Euro tempeſtive trajecere. Pugnatum fuit ferociſſime, & Hiſpanorum praetoria prima arſit. Si vera ſunt, quae ſcribo, actum putant de Sinu ſupradicto & Civitate S. Servatoris. Iſtis argumentis extorquendae Hiſpano Induciae. Vale, cognatorum chariſ-
ſime

ſime & uxorem liberosque & amicos omnes ſaluta. Doleo ſereniſſimos hoſce dies tibi perire. Amſtel. 25. Martii 1636.

EPISTOLA CCXXXV.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

EX quo tempore nuper, clariſſime cognatorum, a te benigne amanterque exceptus Leydam redii, nullas literas meas vidiſti, propterea quod ſic inter nos convenerat, ne in ceſſationis culpam alter noſtrum incurreret; ſi forte nullam ſcribendi cauſam nactus illud ipſum fiduciae amoris veteriſque amicitiae acceptum ferret, quod nihil ſcriberet. Sed hoc ſilentium cum jam pene moleſtum eſſe coepiſſet, obtulit ſe commodum epiſtola tua, quae & de tua tuorumque valetudine certum me fecit, & adjunctos habuit elegantiſſimos verſus, quibus arcis *Schenckianae expugnationem, & puellae Trajectinae literatiſſimae indolem digne proſecutus es, & in *Seldeni* mare clauſum jocoſe ſatis ludis. Quae omnia adeo mihi grata & jucunda fuerunt, ut nullâ me res proximis his diebus aeque recreaverit. Peſtilentiae contagionem in urbe veſtra latius proſerpere videri, ac graviora metui mala, cum dolore ſummo ex te intelligo. Nam nec ignoro quam pertentet in hujusmodi periculis animum tuum paternum cura numeroſae familiae, & ſcio quicquid civitati, per totius orbis commercia celeberrimae, infeliciter evenerit, in damnum redundare univerſae reip. noſtrae. Si tamen aëris haec nimium ſicci inſueta intemperies abierit, omnia meliora auguror. Uxor mea nudius tertius filium mihi peperit, qui cum matre ſua valet optime. Id ut viduae *Arminii*, & cognato noſtro *Corvino* per ancillam veſtram ſignificetur, peto a te. Pharmacum καθαρτικὸν ex conſilio *Florentii* ante octiduum ſumpſi, quod peſſime mihi; ceſſit. Quippe in ὑπερκάθαρσιν cecidi, & ventris fluxu mire laboravi deinceps, ac viribus pene dejectis fui, donec aſſidua medici ejuſdem cura heri me levavit.

Reſponſio ad Barlaei Ep. CCCXXV.

* Vide Heroic. lib. II. p. 346. & III. Eleg. 173. & 242.

vit: tempore tamen aliquo opus eſt, ut priſtinus corpori redeat vigor. Certe ea res facit, ut plura ſcribere moleſtum mihi ſit. Quod liberi mei ad te non venerint, non de ea cauſa fit, quod nimis ſim meticuloſus, ſed quod filia mea *Adriana* non admodum recte valeat. Frater autem ejusdem natu maximus literarum & juris ſtudiis artem mathematicam jungere coepit, quotidie operam magiſtro dat, nec ſe avelli ab incepto patitur. Rogo te ſummopere, ut liberi tui, poſtquam uxor mea puerperarum ſtatis ſolennibus perfuncta fuerit, nos viſant: neque vices ullas ad vulgi morem numeres. Quippe mei totum hoc, quantumcunque eſt, confundent ſedulo. Vale, amiciſſime cognatorum, & liberos tuos ſaluta. Etiam virum praeſtantiſſimum D. *Vickefortium*. Lugduni Batavorum, 31. Maji 1636.

EPISTOLA CCXXXVI.
PETRUS CUNAEUS
Caſparo Barlaeo, cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

QUod pro neceſſitudine noſtra veterique amicitia fieri oportuit, factum a te abunde eſt, clariſſime cognatorum, cum me ſuper funere filioli mei ſolatus es noviſſimis litteris tuis. Quo nomine gratias tibi ago maximas. Quod ſcribis apud vos incrementa capere peſtem, vehementer doleo: cum ſciam intereſſe Bataviae noſtrae, ne porro florere totius orbis commerciis veſtra deſinat civitas. Animadverſiones cenſoris † Daventrienſis in Epigramma tuum, quod *Judaeo Manaſſi Ben Iſraël* ſcripſiſti, non vidi, & pauci oppido ſunt, quibus inſpicere hic licet tam horribile arcanum. Sed tamen, ſi in vindiciis, quas mihi miſiſti, bene relata omnia criminationis capita ſint, nae ille potuiſſet ungues continuiſſe ab iſta prurigine. Ego, cum librum ſuum Amſterodami poſt funus cariſſimae uxoris tuae offerret mihi *Manaſſes* veſter, carmen illud, ut caetera tua omnia, cum voluptate legi, neque in eo quicquam reperi,

Reſponſio ad Barlaei Ep. CCCXL.

† *Vedeli*, vid. Barlaei Epiſt. CCCXXXVIII. & CCCXL. & inter Epiſtolas Eccleſiaſticas DXLIV. Epigramma vero legitur in *Barlaei* Miſc. lib. II. p. 466. quod multas id auctori turbas excitavit. Vide *Baylii* Lexic. t. I. pag. 451.

ri, quod eſſet Chriſtiano indignum. Sed nec amicorum meorum, hominum eruditiſſimorum, qui hîc vivunt, & liberrime mecum loquuntur, ullus fuit, qui aliquam hujus carminis partem diſplicuiſſe, aut ſibi aut aliis dixerit. Enimvero ſciunt illi, ſcio etiam ego, ita te & vixiſſe & ſenſiſſe ſemper, ut nec ſacram priſcae & incorruptae Eccleſiae fidem, nec recepta pridem Chriſtianorum Symbola temerare aut convellere ſtudueris. Quare vel illorum vel mea cauſa non erat opus iſtis vindiciis. Et vero exiſtimant plerique ex praecepto Dei Dominique noſtri Jeſu Chriſti ad officium iſtius diſſertatoris pertinuiſſe, ſi quid illum in tuis verſibus offendiſſet, epiſtola privatim prius te monere atque animi tui exquirere ſententiam, quam te per omnium ora traducere publice. Autorem omnes, quotquot audivi, & inter hos etiam Theologi, credunt eſſe *Vedelium*. Placet autem omnibus & mirifice laudatur ingenua illa in Vindiciis & rotunda profeſſio, partium ducem aut ſectatorem te nec publice, nec privatim eſſe: Antitrinitariis faviſſe nunquam: credere te ſola fide in Chriſtum ſervari quotquot ſervantur: De meritis & ſatisfactione Chriſti, & rurſus de impiorum morientium poenis perverſa *Socini* dogmata minime te ſequi: Ordinum foederatorum decretis paruiſſe, neque aut patriae tuae aut Eccleſiarum, quae publice vigent, turbare pacem. Equidem ego arbitror non modo ad ſtabiliendam, ſed ad augendam etiam ὀρθοδοξίας tuae gloriam criminationes iſtas Anonymi praeceſſiſſe: &, ſi quid forte in Scazonte tuo aſpere in convitiantem dixeris, totum hoc, quantumcunque eſt, dandum eſſe juſto dolori tuo. Vale, vir amiciſſime, cum liberis tuis, quos verbis noſtris ſaluta. Lugduni Batavorum, 21. Septemb. 1636.

EPISTOLA CCXXXVII.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

COgnatorum amiciſſime & clariſſime. Homiliam tuam in diem natalem Dei Dominique noſtri Jeſu Chriſti, ſumma

Reſponſio eſt ad Barlaei Epiſt. CCCXLVIII.

ſumma & pietate & dictionis atque ſententiarum elegantia ſcriptam eſſe judicant mecum omnes amici tui, atque inter hos apprime ii, quibus exemplaria tradi hic voluiſti. Quid illic dignum occurrat reprehenſione vel ſeveriſſimi animadverſoris, nemo quiſquam, quod ſciam, reperit. Scripta vero ea, quae nuper in te prodierunt, ſic optime & re & factis confutari credunt, ſi per ſilentium iſthaec tranſmiſeris, quae modeſte ſpreta cito exoleſcunt. Ille ipſe patientiae Chriſtianae magiſter, cujus cunabula praedicaviſti, documento tibi ſit, ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει. Certe quoniam nullam ejus rei mentionem in literis tuis feciſti, viſus mihi es magno animo totum hoc, quidquid eſt, aſpernari. † Epigramma iſtud, quod de acceſſione celſioris iſtius tituli condidiſti, dignum omnino & benevolentia Chriſtianiſſimi regis, & ingentibus principis noſtri Auriaci virtutibus eſt. Deum opt. max. rogo, ut, quemadmodum facile apud nos incrementum capiant poteſtatis & honorum nomina, ita porro in majus meliusque effloreſcat reipublicae noſtrae ſtabilitas. Admodum me uxoremque meam ſerio & humaniter ad nuptias ſuas Amſterodamum in diem hujus menſis XXIIII. hujus menſis invitavit filius conſulis veſtri *Baſſii*. Sed haec acris hyems, aërisque mutabilitas, & multa alia itineris incommoda juſtam mihi legitimamque excuſationem praebuere: Alias dulce mihi fuiſſet ad te hoſpitem divertere, tuoque aſpectu & alloquio perfrui. In qua re poſitum mihi pretium viae exiſtimaſſem. Vale, vir amiciſſime, & cum liberis tuis novum hunc annum multosque inſequentes bene ac feliciter exige. Lugduni Batavorum, 19. Januarii 1637. Cl. V. *Voſſium* meis verbis ſaluta. Iterum vale.

† Vid. lib. II. Miſcell. pag. 491.

EPISTOLA CCXXXVIII.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo
S. D.

Amſtelodamum.

EX quo tempore literis tuis, quas 25. Julii acceperam, reſpondi, ac valetudinem tibi reſtitutam gratulatus ſum, plane te intermiſiſſe mutua haec ſcribendi officia dolui, vir cla-

clariſſime & amiciſſime. Sed interim tamen cum ſolicitus ſemper de te eſſem, neque eam curam, quae ad te pertinet, unquam deponerem, ex omnibus, qui iſtinc venerunt, ſciſcitatus etiam atque etiam ſum, quam recte ferres hanc inuſitatam aëris intemperiem, quae per aliquot jam menſes infeſta mire corporibus etiam firmioribus fuit. Et vero referebant omnes de te omnia laeta, quae cupiebam maxime: Donec tandem Hagae Comitum hodie reverſus, ex Amſterodamenſibus quibuſdam intelligo, ſuperſedere te publicis Lectionibus, propterea quod eae pectoris & lienis obſtructiones tibi recurrunt, quae animum tuum triſtioribus implent cogitationibus, ac plane te abducunt a ſuaviſſima amicorum conſuetudine. Mihi eam libertatem vetus noſtra amicitia ac officii etiam neceſſitudo pridem peperit, ut moneze te audeam, ne ceſſes ex Medicinae tuae praeceptis remedia adhibere omnia, quae fibrarum meatus aperiant, & faeces fuligineſque tollant, quae ex reſtagnatione melancholici humoris natae nihil objiciunt menti noſtrae, parti omnium principi, niſi falſas rerum imagines. Petam & illud a te, ut nec curis ſtudiiſque nimium vel ſolitudini temet ipſe des, & ut in accuratiſſima diaetae victuſque ratione magnum tibi reponas in amicorum ſermonibus praeſidium. Ad haec, ſi mecum reputes, quam te ſaepe his malis liberaverit ſumma & pene inaudita Dei benignitas, ſcio tibi, homini & chriſtiano, & apprime pio, illud ſemper curae eſſe futurumque, ut ab illius propitio numine omnia exſpectes, quae tibi familiaeque tuae exoptanda ſunt. De me autem ita credere debes, quidquid a me operae, ſtudiique & vigilantiae deſideres in ulla re, quae prodeſſe tibi lectiſſimisque tuis liberis poſſit, id tibi tuiſque promptum paratumque apud me fore perpetuo. Vale, cognatorum dilectiſſime, cum liberis tuis: & identidem mihi perſcribe de valetudine tua. Lugd. Bat. 15. Novemb. 1637.

EPISTOLA CCXXXIX.
CASPAR BARLAEUS
Petro Cunaeo, cognato ſuo chariſſimo
S. P. D.

Leidam.

LOngo tempore ſilui, cognatorum chariſſime, quia quod apud te loquerer, non erat. Interea Bredam, favente Numine, armis Foederatorum, ductu Celſiſſimi Principis, oppugnavimus & expugnavimus. Triumphat patria, triumphat Princeps, triumphamus & gaudemus ſinguli. omnium victoria eſt, omnes quoque applauſus manent & gratulationes. Habui hic orationem de recepta Breda, quae tardius excuſa eſt, ob obitum uxoris *Blaeuwii* typographi. mittam, ſi Deus volet, intra dies pauculos. Quae de morbo meo perſcribis, veriſſima ſunt. Veteri lienis affectu & hypochondriorum obſtructione jam nuper laborare coepi, uſque adeo, ut à lectionibus & attentiori meditatione abſtinere inpraeſentiarum cogar. Noviſti morbi iſtius indolem & genium. Quae mihi pro amicitia noſtra ſufficis conſilia & ſolatia revoco & revocabo uſque ad animum. Non deſit roganti divini numinis clementia, quae alias afflictiſſimum priſtinae valetudini reſtituit. Cum judicamur, à Domino judicamur, ne cum mundo pereamus. Ego me precibus tuis tuorumque commendo. Scriberem plura, ſed non patitur valetudo. Vale cognatorum amiciſſime cum uxore & liberis. xvi. Nov. 1637.

EPISTOLA CCXL.
C. BARLAEUS
Petro Cunaeo, cognato ſuo dilectiſſimo
S. P. D.

Leidam.

VIr clariſſime & cognatorum chariſſime. Non ſinit valetudo, ut longiore ſermone vel me vel te fatigem. quicquid ſcribo, a me invito impetro. adeo pigritiam omnem ſuadet morbi indoles. immerſa eſt faeculentae materiae melioris aurae particula. quam ut illa exolvat divina benignitas votis precibusque aſſiduis contendo. utor quoad licet amicorum convictu, utor Doctore *Verhoevio*, medico expertiſſimo,

tiſſimo, qui alias eodem morbo laboranti medicam manum adhibuit. Manet eodem fere ſtatu morbus, nectit inter convaleſcentiae & decidentiae, ut loquuntur, ſtatum. nondum per Dei gratiam me lecto affixit. eo, ambulo, quod unicum ſupereſt praeſidium, reſpirandi maxima difficultate laboro ob hypochondriorum pondus. Mitto exemplar orationis meae. exemplaria adjuncta per famulam velim exhiberi iis, quibus inſcripſi. Vale, cognatorum dilectiſſime, & uxorem liberosque ſaluta. mei meaeque vos omnes amice ſalutant. Amſtelod. xx. Nov. 1637.

EPISTOLA CCXLI.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

VIr clariſſime. Ex binis tuis literis, quas ad diem 18. & 22. hujus menſis accepi, perſpicio ſummum illum & acerrimum ingenii tui vigorem nondum ita eſſe adverſa valetudine conſopitum, quin ubique in ſingulis pene verbis *Barlaeum* meum, hoc eſt, inuſitatam & divinam induſtriae tuae vim, agnoſcam. Panegyricus autem tuus, quem mihi miſiſti, apud omnes, quibus juſſu tuo exemplaria a me tradita ſunt, illud plane effecit, ut etiam nunc temet ipſe & veteres virtutes tuas exſuperaviſſe videaris. Macte vero hac forte tua eſto, cognatorum chariſſime, cui rara felicitate contigit ex corporis languore vires animi augere, & latentem coeleſtis Spiritus partem certius apertiusque exſerere. Pro tuo munere, ego caeterique omnes, gratias tibi agimus maximas, & ut ſaepius ad nos tam illuſtria indolis tuae monumenta tranſmittere poſſis, optamus. Quod ex *Verhoevii* prudentiſſimi medici, legibus & vivis & curas, recte atque ordine facis: atque ea res, ut bene tibi liberiſque tuis eveniat, Deum Opt. Max. precari non deſinam. A te autem enixe peto, ut quo ſit loco tua valetudo, interdum, ubi commodum tibi erit, ex te intelligam. Vale, vir amiciſſime, cum lectiſſimis tuis liberis. Lugd. Bat. 25. Novemb. 1637.

EPISTOLA CCXLII.

C. BARLAEUS

D. Petro Cunaeo, cognato ſuo dilectiſſimo

S. P. D.

Leidam.

QUi prae frigore hactenus & brumae ſaevitia obriguit calamus, cognatorum amiciſſime, jam veris adventu reſolvitur & ad officium redit. Cum Phoebo & ſole erigor, & dum ille properat ad aequinoctium, ego ad aequam mentem contendo. Raſi terram, quamdiu raſit ille, & acciſo lumine diurno latui in tenebris, nec viſus ſum tibi. Tandem prodeo, velut e latibulo, ſatur ἐχεμυθίας & ſilentii, cujus culpam ſerio deprecor, quamquam neſciam, an in culpa ſim, quem morbi vis elinguem fecit, & magis mutum, quam piſcem aut Seriphiam ranam. Saepius me monuere filius & filiae, uti ſcriberem, & paucis lineis de valetudine mea te certiorem redderem. Sed non audit inferiorum mandata Imperator; nec ego ἀπὸ ἐξουσίας monentium liberorum. Ignoſce, mi cognate, & crede, voluntati violentius imperare latentem hoſtem, quo minus illa velit, quae ut velle debeam, ſuadet ratio. Valeo & non valeo, aut ſi me verum finis dicere, cuperem valere validius. Per intervalla ſurgo & cado, nunc erectior, nunc dejectior, prout ſeditionem movet viſcus iſtud, quod nominare exhorreſco. Non ignoras, lentis ſucceſſibus ejus tyrannidem edomari. Et forte majus eſt ab affecta imaginatione malum, quam ab hypochondriorum obſtructione, licet mutuas ſibi operas praeſtent, & in me conſpirent minus amice. Ab aëris clementia praeſidium non leve ſperamus, at majus ab illius clementia, qui hanc ipſam aëri coeloque largitur. Tuis me literis doctiſſimis, cordatiſſimiſque non parum erexiſti. licet voces hic illic inſpergas, quas modeſtiae meae eſt averſari. Doceo per Dei gratiam & docui per hybernos menſes, licet non ea animi alacritate; qua ante. Nebulas, fumos, caliginem, & quicquid mali nominis & ominis menti ab inferis offundit lien, fuſque deque habeo. Cum leone Mattiaco luctor inter procellas & emergo. Tu luctantem animo porro & affectu juva, & in ſacris votis memor eſto,

De

De te pendentis, te reſpicientis amici.
Salvere Te, conjugem liberoſque jubet ſeptenarius meus, cujus qui agmen claudit *Antonius* tertiana febre laborat. Ego te, amicorum cordatiſſime, cum familia omni diutiſſime valere & vivere opto. Amſtelod. Ipſis Cal. Mart. CIƆIƆCXXXVIII.

EPISTOLA CCXLIII.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

JAm decimus dies eſt, ex quo literas tuas, Calendis Martii ad me datas, clariſſime cognatorum, accepi poſtridie, ex quibus magna cum voluptate intellexi vigorem animi, & alacritatem inſtaurari tibi hac verna aura, cujus eſt ſumma vis, & in corpora haec noſtra acerrimus influxus. Sed is morbi tui tam proſper eventus ut mihi auditu jucundiſſimus fuit, ita certe nihil novum aut inopinatum attulit: ſciebam enim nihil hoc totum eſſe niſi παροξυσμὸν quendam, qui ex reſtagnatione bilis lieniſque ſubinde magnas animas capit, ac pene eas ex intervallo dejicit; ut mox in miraculum uſque majoribus virtutibus exurgant exultentque. Non potes ignorare quid Ariſtoteles tuus, naturae verique certiſſimus autor, ſentiat, dum omnem in hominibus excellentiam, & quicquid boni pulcrique a communi naturae conditione recedit, in humoris melancholici varietatem ſola collocat: Etſi huic indoli adhaereſcere interdum quaedam ἀῤῥωστήματα, ſed ἡρωϊκὰ utique ait, quae Socrati, Platoni, & aliis fere omnibus, qui aut in ſapientiae ſtudiis, aut in regunda rep. eminuerunt, eveniſſe tradit. Quod te literis meis ſubinde erectum fuiſſe ſcribis, nihil in ea re feci, niſi quod a me jure ſuo poſtularet arctiſſima illa neceſſitudo, quae ſemper tibi mecum fuit. Peto a te, ut ad me venias, mecumque aliquot dies exigas. Scis quantum aëris & loci mutatio habeat in hac re momentum. Jam ſaepe ad te excurri, & uſus hoſpitio tuo ſum. Quod a te factum nunquam eſt, qui, quoties huc venis, *Overbeec-*

beecquium, hominem Mercurialem, & vix * eruditorum amantem, amico praeſers & veteri, & literarum diſciplinarumque ſtudioſiſſimo. Etiam inſuper rogo, ut liberos tuos adducas tecum, aut, ſi id fieri hoc tempore non poſſit, ut ſaltem paulo poſt inviſant nos, & officia ea, quae liberi mei praeſtiterunt, mutua exhibeant. Vale, vir amiciſſime, cum dulciſſimis liberis tuis. nam *Antonii* tui morbum jam deceſſiſſe ſpero. Salutant te D. *Vorſtius* & *Heinſius*. Lugduni Batavorum, 11. Martii 1638.

* Hujus & mentio facta ſupra Epiſt. CXCVII. & paſſim in *Barlaei* & *Voſſii* Epiſtolis ſummo cum honore memoratur. praeſertim ob liberalitatem, qua quotannis tenuioribus adoleſcentibus, qui ſtudiis operam dabant, ſtipendia & ſumptus ſuppeditabat. vide *Voſſ*. Epiſt. CCLXXV. & *Barlaei* Epiſt. LII. & LV. Inter alumnos, ejus largitate ſuſtentatos, fuere *Calixtus* & magnus ille *Conringius*, ut ſaepe mihi Cl. *Graevius* narravit. Sexennio ſaltem in Batavis vixiſſe ipſe in Conringianis teſtatur; & faviſſe *Arminianis*, nec *Lutheranis* admodum addictum fuiſſe, ut nec *Barlaeus* & *Overbeeckius*, colligi poteſt ex Epiſtolis *Barlaei* CCXXXIII. & CCLXV.

EPISTOLA CCXLIV.

CASPAR BARLAEUS

Petro Cunaeo, cognatorum dilectiſſimo

S. P. D.

Leidam.

Ex quo Leidâ diſceſſi, cognatorum ſumme, reliquos, quos habebam a Paſchalibus feriis, dies tranſegi Ultrajecti, ubi me perhumaniter excepit vir ampliſſimus & veteri mihi conſuetudine junctus D. *Petitius*, aliique amicorum, qui nullum officii genus, quod impendi amicis ſolet, omiſere. Dies, illic cum eſſem, expertus ſum Martios magis, quam vernos, imo hybernos pene, nive & glacie nocturna horridos, quos tamen amicorum convictus ſuavitasque leniit & edulcavit. Domum reverſus te cum uxore expectavi indies. Ita enim promiſeras, venturum te ocyus & inviſurum nos. Memor quippe humanitatis ejus, quam prolixe & nuper & alias erga me explicuiſti, ingratus ſim, niſi pari te tuosque affectu proſequi & amplecti

in

in animo habeam. Vives ex praeſcripto tuo. nec enim is ſum, qui opiparis conviviis aut excipi curem, aut excipere. nec tu is, qui amicitiam apris & mullis, hoc eſt ſumptuoſo apparatu, aeſtimes. Divertes apud hominem, ſummum virtutum tuarum cultorem, qui officiorum defectum ſupplebit ſincero tui amore & veneratione. Quare veni, cum commodum tibi erit, & ex liberis adduc, quos voles. *Joſina*, filia mea, meliuſcule habet. Deſeruit illam febris, ſed nondum reliquus a febri languor, & ἀνοϱεξία. metuo illi a recidiva, niſi & hoc ipſum metuere ſit morbidum. Ego valetudini meae praeſidia omnia quaero, a diaeta, exercitio, & non uno medicamine. Convaleſco per Dei gratiam, ſed lente. Cuperem eſſe alacrior, ut te frui animitus poſſem. Vale, cognatorum chariſſime & uxorem, liberos, affinem & amicos ſaluta. Vos officioſè ſalutant filii filiaeque. Amſtelod. 5. Non. Maji. 1638.

EPISTOLA CCXLV.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo

S. D.

Amſtelodamum.

Clariſſime cognatorum. Iter meum uxoriſque impediit hactenus filii mei natu minoris morbus, qui identidem, ubi abiiſſe videtur, recurrit, & me, pro ſummo meo in puerum illum amore, ſolicitum valde tenuit. Si per eam cauſam non ſtabit, venturus ea ſeptimana ſum, quae feſtos ſibi dies a Pentecoſte adnumerat. Quo tempore cognatos meos primum, qui Harlemi ſunt, mox & te Amſterodami viſere cupio. Faxit Deus, ut laetum te ſanumque reperiam, aut certe ut conferre aliquid opis conſiliive poſſim ad valetudinem tuam atque ad animi tui alacritatem. Quod filiae tuae *Joſinae* metuis a recidiva febri, facis quod ſolenne tibi eſt, hoc eſt omnia tuta times. Semper enim ſequi hujusmodi morbos languor & ἀνοϱεξία ſolet, neque ab ea re quidquam periculi eſt, ſi renaſcentem corporis male adfecti vigorem accurata juverit diaetae ratio. Scis quam ingens corporibus praeſidium adferant decocta & apozemata ex illis herbis, quas benigne nunc fert genitabilis iſthaec veris aura. Sed mox potius, ubi tecum ero, libebit mihi vel φιλιατϱεῖν vel φιλοσοφεῖν. Utrumque enim, neſcio qua ingeni

genii mei indole, vehementer ſemper amavi. *Vickefortius* tuus me adiit, & dolui quod per ſummam feſtinationem prandere apud me non potuit. Vale, vir amiciſſime καὶ πάντων μέγα φέρτατε. Salutamus te liberosque tuos ego, uxor, & liberi. Lugduni Batavorum, 9. Maji 1638.

Reſpondet ad hanc *Barlaeus* Ep. CCCLXVII. in qua epiſtola N. N. eſt *Joachimus Wicquefortius*, ut vidi ex ipſa *Barlaei* manu, & ex hac *Cunaei* reſponſione patet.

EPISTOLA CCXLVI.

PETRUS CUNAEUS

Caſparo Barlaeo, Cognato ſuo

S. D.

Amſtelodamum.

QUod deſaeviiſſe aeſtum tertianae febris, quae uxorem meam corripuerat, noviſſimis meis literis tibi ſignificavi, cognatorum clariſſime, id adeo verum fuit, ut etiam ceſſare mox penitus morbum contigerit. Caeterum non multo poſt recurſavit languor primum, ac deinde febris etiam per vices ſuas, ſed remiſſior. Tandem vero ante octo dies me quoque invaſit ſimilis tertiana, quae initio neglecta vires & robur ſumpſit, & jam non domi duntaxat me detinet, ſed etiam in lectum dejecit ſatis ſtrenue. Et quis vero par ſit tam valido luctatori? *Schrevelius* noſter Medicus, ex cujus imperioſis legibus nunc vivo, vacare omni periculo eas febres autumat, quae intermiſſionem habent tam manifeſtam tamque longam. Si Dei optimi maximi benignitas me his malis liberavit, cupio, ut ſtatueram, cum uxore te viſere. De *Wickefortio* tuo vehementer gaudeo. Nihil honoris deferri ei vel a maximis principibus poteſt, quod non exſuperet virtus ejus. Ego plures mercatores literis egregie imbutos novi; ſed nemo omnium eſt, cujus & indoles & humanitas magis emineat ſupra illum ordinem. noſti alterum * quendam, hominem & locupletem olim, & etiam nunc tibi familiarem, ſed qui largas opes in perniciem ipſe ſuam, atque in cognatorum vexationem inſumit, eaque molitus eſt, & molitur indies, ad quae invitus aliquando retorquebit oculos. Miratus etiam

Reſponſio ad *Barlaei* Epiſt. CCCLXVII.

* *Overbeecquium* credo.

etiam atque etiam ſum nulla ex parte epiſtolae tuae potuiſſe me intelligere, quo in ſtatu ſit valetudo tua. Et tamen meminiſti quam de ea ſolicitus ſemper fuerim. Faxit Deus, ut omnia laeta ex literis tuis, cum ad me ſcribas, propediem percipiam. Interim te, vir amiciſſime, cum liberis tuis valere jubeo. Salutant te tuosque mei omnes. Lugduni Batavorum, 14. Junii 1638.

EPISTOLA CCXLVII.

PETRUS CUNAEUS

D. Gerardo Joanni Voſſio

S.

Amſtelodamum.

VIr Clariſſime. Rogaveram nuper cognatum meum *Barlaeum*, ut is te moneret, ne *Baſirii* noſtri obliviſceris. ſed eo ipſo die, antequam ſignificare quidquam ille tibi potuit, literas a te humanitatis & amoris plenas accepi, in quibus erat *Roſcucrantii*, optimi & praeſtantiſſimi juvenis, commendatio. His cum reſpondere conſtituiſſem, dies aliquot intermiſi, ut ſi forte interim *Barlaei* admonitio aliquid literarum a te pro *Baſirio* impetraſſet, eadem opera gratias tibi agerem. Nunc etſi illud non ſucceſſit, dabo tamen operam, ne claudicaſſe videar in ulla officii parte. *Roſencrantium* cum Ephoro *Mullenio* recipere in aedes meas non potui, propterea quod ſocrus cum affinibus mecum vivit, & liberi mei adoleſcunt, quibus pene anguſta eſt domus. Ut apud *Hubertium* advocatum degerent hortatus ſum, ſed perſuadere non potui. Obtuli ipſis operam meam & propenſiſſimam voluntatem in iis rebus, quas ſtudiis ſuis prodeſſe exiſtimabunt. Enimvero illud ſedulo efficiam, ut intelligas omnia apud me promta & parata iis eſſe, qui veniunt a te, viro amiciſſimo, & mihi officiis, uſu, atque conſuetudine conjunctiſſimo, cujus virtutes atque incomparabilem doctrinam ſemper & ſuſpexi coram, & nunc depraedicabo abſens. De *Andrea Riveto* neſcio an intellexeris. Rogatu principis Auriaci Leidam relicturus eſt, ut in aula cum Filio moretur, & ſpei atque educationi illius praeſit. Ita non unum vulnus breviſſimo tempore accepit haec Academia. Nam quantum damni ex abitu tuo paſſa ſit, video nunc fateri quosdam, qui te abſentem ſubductumque quaerunt fruſtra, & vitio humani ingenii prae-

praeſentia bona apud nos eviluiſſe dolent. Filium tuum inter Advocatos civitatis Amſterdamenſis contra Academiam hanc ſtetiſſe, acceptum hîc iniquo animo eſt. Ego id excuſavi, & ex officii neceſſitate fieri dixi, cum is jam ante enatam hanc controverſiam receptus inter Advocatos ejus civitatis fuerit ſub ſtipendio annuo. De uxore tua, matrona lectiſſima, ſolicitudinem mihi injecerunt quidam, a quibus relatum eſt, non poſſe eam coelo iſti adſueſcere, nec loci ferre mutationem. Quid ejus rei ſit ſcire deſidero. Non deſinam pro jure amicitiae noſtrae etiam atque etiam a te petere, ut renaſcentem *Baſirii* noſtri virtutem literis ſemel tuis fovere velis. De qua re toties ante & tam ſerio coram locutus tecum ſum, ut, quibus verbis amplius utar, non reperiam. Quando Academíae Curatores conventuri ſint, dubium eſt. Certe nemo eos ante diem octavum Auguſti exſpectat. Vale, vir clariſſime & eximie cum uxore, ac cognatum meum *Barlaeum* meis verbis amanter ſaluta. Lugd. Bat. 22. Junii 1631.

EPISTOLA CCXLVIII.

PETRUS CUNAEUS

Viro Gerardo Joanni Voſſio

S. D.

VIr Clariſſime atque amiciſſime, mitto tibi literas D. *Pharnabii*, quas ex Anglia heri accepi. Pro epiſtola, quam ad *Baſirium* ſcripſiſti, gratias tibi maximas habeo. Facile enim inde perſpexi, quam nihil negare mihi velis, quod etiam conjunctum ſit cum tua moleſtia. Non ignoro quantum momenti ea res huic juveni ad nominis commendationem allatura ſit: cum tu pene unus in Belgio noſtro ſis, de quo in Anglia omnia praeclara & ſentiant & loquantur ii, qui literis & eruditione illic praecellunt. De qua re avunculus meus, *Petrus Regemorterus*, qui ex Anglia nunc ad me venit, & pleriſque proceribus familiaris eſt, adeo multa mihi retulit, ut tuae meaeque verecundiae convenire arbitrer, ſi ea apud alios praedicare, quam tibi exponere maluero? De filii tui advocatione in cauſa, quae ad publicas lectiones veſtras pertinet, nunquam audivi, ex quo tempore tibi nuper ſcripſi. niſi quod ſemel ejus rei mentionem injecerit Syndicus *Wevelichovius*. Sed is excuſationem adeo prompte admiſit, ut nihil tibi amplius ſignificandum duxerim.

rim. Quod per hoc otium, quamdiu nondum docere publice aggreſſus es, ſchedas tuas digeris, id in noſtra omnium commoda, ut auguror, redundabit. Rogo te ut de ſeculo noſtro bene mereri, ac rem literariam eximiis ſcriptis tuis & commentationibus augere pergas. Si ſub adventum Curatorum huc excurras, etiam atque etiam a te peto, ut ad me divertas. Habebis hoſpitem, qui non multo cibo, ſed liberali & hilari vultu te excipiet, neque quenquam reperies aeque tui obſervantem amantemque. Vale, vir ſumme, & amiciſſime, cum uxore liberiſque. Lugduni Batavorum, 22. Julii 1631.

Reſponſio ad Voſſii Epiſtolam CXXXIII. quae eſt inter ſelectas CLXXV. & reſpondet *Voſſius* epiſtola, quae illam praecedit.

EPISTOLA CCXLIX.

PETRUS CUNAEUS

Gerardo Joanni Voſſio

S. D.

Amſtelodamum.

VIr clariſſime, quod literis tuis ſilentium tuum excuſas, id minime pro arctiſſimae noſtrae conjunctionis jure facere videris. Solent enim hi, inter quos aliqua amicitiae fiducia eſt, facile in iſtis, quae leviora ſunt, ceſſare, & officii aliquid intermittere. Infirmo vinculo ille affectus conſtat, qui ſcrupuloſa & anxia diligentia penſitatur, quia plus ſtudii & curae in illo ineſt, quam maſculi roboris. Noſti illam Plinii Secundi querelam de quodam amico ſuo, ideo peccare ipſum, quia nihil peccaret. *Vinnius* Hagam profectus erat, cum epiſtolam tuam acciperem. Itaque mox ſtatim illum adii, &, quae voluiſti, quaeſivi. Ait ille in aedibus ſuis nullum locum eſſe: ſed apud viduam proximam vicinam vivere quendam adoleſcentem honeſtiſſimum, qui ad menſam ſuam quotidie accederet, eademque commoda omnia perciperet, quibus fruuntur caeteri domeſtici. Id ſignificare ampliſſimo Coſ. *Bickero* poteris, cui officia omnia, quaecunque a me proficiſci poterunt, promptiſſime offero. Noſti etiam *Antonium Hubertum* Advocatum, virum optimum & integerrimum, convictores quoſdam admittere. Cl. V. *Salmaſii* conſuetudo longe mihi

hi jucundiſſima eſt, eumque inter amicos primos numero aeſtimoque. Heri cum viſere illum & ſalutare verbis tuis cuperem, etiam ad aedes meas, ut ſolet frequenter, acceſſerat. Sed neuter alterum reperit. Quare propediem illum compellabo. Panegyricus, quem mihi miſiſti, mirum in modum mihi probatur placetque. Eſtque illud grande & illuſtre monumentum, quo inclareſcere filii tui poterit induſtria, eruditio, & vigilantia. Ego ab illius inuſitato ingenio ſumma omnia exſpecto, eumque autumo ſummi parentis fore magnum incrementum. Rogo, ut & illum, & ſpectatiſſimam matronam uxorem tuam, meis uxorisque meae verbis peramanter ſalutes. Vale, vir clariſſime, Lugd. Bat. 28. Januarii 1633.

Reſponſio ad Voſſii Ep. ccc11.

EPISTOLA CCL.

PETRUS CUNAEUS

D. Gerardo Voſſio

S. D.

Amſtelodamum.

DE obitu * filii tui, juvenis praeſtantiſſimi, atque ad ſummas laudes evecti, aliquid ex vagis rumoribus primo, ac noviſſime nunc omnia certa ex cognati noſtri D. *Barlaei* literis accepi. Is caſus, tam triſtis, & inopinatus, quam acribus ſtimulis animum paternum egerit, facile cogitare poſſum, cum etiam mihi ingentis doloris acerbitatem attulerit, ut me vehementer commoverit. Praeterquam enim quod pro neceſſitudine noſtra & animorum conjunctione, quidquid tibi luctuoſum eſt, nos amicos tuos aliqua ex parte tangit, illud etiam non exiguum eſt, quod ad publicam ſeculi cauſam pertinet. Qui enim prima juventutis ſpatia ingreſſus, illuſtribus ingenii monumentis jam nunc promeruerat faventem omnium eruditorum exiſtimationem, quanto majora deinceps de ſe exſpectanda relinqueret, nemini dubium fecit. Et ille quidem gloriae ſuae vixit ſatis diu, quod tibi tuiſque eſſe ſolatio poteſt. Quod autem earum rerum, quas perficere & conſummare ad literarum decus poterat, ſpes omnis abſciſſa nobis abrepta-

Edita inter Ep. ad Voſſium CLXXXIII. quae inter ſelectas CCLXXXI.

* *Dionyſii.*

ꝫptaque ſit, noſtrum magis, quam tuum eſt damnum! ed non debent haec apud te praedicari, qui unus omnium ꝑptime ſcis, quantum amiſerimus omnes. Ego inter tot ꝫfficia, quae tibi hoc tempore repraeſentat amicorum humanitas, quemadmodum penitus quieſcere aut taeere non ꝑotui, ita illud te duntaxat rogabo, ut nihil aliud ob ocuos ponas, niſi luculenta illa & praeclara ſapientum praecepta, quae tute ipſe in hujusmodi malis ſuggerere aliis ſoles, uti cogites viri boni eſſe praebere ſe fato; ad hoc nihil novi tibi accidiſſe: uſui quaedam nobis, at nihil mancupio dari. Et pro ea ipſa exigui temporis uſura grates agendas eſſe ſummo Deo, qui & hoc munus tibi hucuſque conceſſit, & alios tibi ſuperſtites adhuc ſervat liberos, quibus meliores optare nec ipſe poſſes. Caetera non addam, & jam plus fortaſſe dixi, quam apud te opus fuit. Neſcio an intellexeris etiam D. *Vorſtii* domum nunc funeſtam eſſe. Obiit enim filiolus ejus natu maximus ex hoc epidemico morbo. Vale, Vir Cl. cum lectiſſima uxore liberisque. Lugd. Bat. VII. Nov. CIↃIↃCXXXIII.

EPISTOLA CCLI.

PETRUS CUNAEUS

Gerardo Joanni Voſſio

Amſtelodamum. S. D.

VIr Clariſſime. Ante paucos dies, cum me D. *Barlaeus* cognatus meus invitaſſet, conſtitueram ad vos excurrere, ac tibi gratias coram agere pro libris tuis de Arte Grammatica, quos ex munere tuo accepi: ceterum mox caſus aliquis inopinatus me hic detinuit, fecitque ut per literas praeſtare cogar hoc quidquid eſt officii. Utique ſi quisquis grate munus accepit, jam gratiam retulit, exiguum eſt, quod aut ego debeam tibi amplius, aut tu a me deſideres. Etenim nihil quidquam mihi a multo jam tempore accidit jucundius. Sed quia longe ſatius eſt re, quam verbis aut ſola mente rependere officia, angit cruciatque me inertiae meae conſcientia, quod in publicos uſus nihil evulgem, neque ſit, unde par pari dare hoſtimentum tibi queam. Ego, dum opus illud tuum hic illic inſpicio, plurima reperio, quae majoris operae, curaeque ſublimioris ſint, quam promittit titulus. Quod autem Ariſtarchum noluiſſe te inſcribere ais, in eo εἰρωνείαν tuam agnoſco. Certe primum librum ſine intermiſſione perlegi cum ſumma admiratione, & percurram evolvamque ſaepius.

Adeo ubique ingens ubertas lectiſſimarum obſervationum & reconditae cujuſdam doctrinae illic eſt. Ex ceteris, quos ordine perlegere nondum potui, illud tamen ſummatim didici, haud ſatis me Latine ſcire, multaque eſſe, quae male dudum percepi. Quaeſivi in his ſolicite an aliquid de recto uſu particulae *citra* traditum exſtaret, ſed non inveni. Pertinet autem ea inveſtigatio ad Juriſconſultorum controverſiam, quae oritur ex verbis Diocletiani & Maximiani in l. 18. C. de Transact. Quippe *Cujacius* lib. VI. Obſerv. cap. 11. & lib. XIX. cap. 39. Item *Goveanus* lib. I. Var. Lect. cap. 30. atque alii plures ſtatuunt ea voce exceptionem ſignificari, ut de nullis criminibus publicis, quae ſanguinis poenam non ingerunt, tranſigere liceat, praeterquam de falſi crimine. *Briſſonius* autem lib. III. de Verb. ſignif. in voce *citra*, & in libro ſingulari ad L. Jul. de Adult. & *Raevardus* lib. IV. Var. Lect. cap. 6. omnino negant idoneos ſcriptores Latinos ea voce ſic uſos unquam fuiſſe, idque paſſim ex legibus etiam noſtris, atque ex aliis conſtitutionibus oſtendunt. Quare vocem eam pro *fine* accipiunt, ut ex ipſa illa lege nemo de criminibus, quae ſanguinis poena carent, tranſigere poſſit, quin ex transactione illa in crimen falſi incidat, plane ut ſine falſi crimine tranſigi de his nequeat. Diſceptatio haec omnis ex uſu ejus vocis pendet. Et certe, niſi ex notitia Latini ſermonis vox *citra* exceptionem quandoque denotet, & pro *praeterquam* accipi poſſet, ſalva eſt *Cujacii* & *Goveani* opinio. Nam exemplum, quod ex l. unica C. de Rei Uxor. Act. §. 13. circa finem adfertur, non multum ad rem facit, cum is locus exſtet in noviſſimis Juſtiniani Conſtitutionibus, qui ex ſeculi vitio ſaepe loquitur barbare, nec illam ſecutus eſt Linguae Latinae puritatem, quae ſuperfuit adhuc Diocletiani & Maximiani tempore. Si propediem ad vos venero, cupio ex te intelligere quid ſentias, Vir Clariſſime, quem Latinitatis habeo auctorem optimum certiſſimumque. Vale, & uxorem tuam liberoſque ſaluta. Lugduni Batav. 27. Jul. CIↃIↃCXXXV.

* Edita inter Voſſianas Ep. CCXXIV. quae inter ſelectas eſt CCCLI.

EPI-

EPISTOLA CCLII.
JOHANNES WALAEUS
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

VIr Clar. Tua, qua me proſequi dignatus es, benevolentia, ſuadet ut has ad te mittam litteras; ne abſentia mea diuturnoque ſilentio fiat, ut ſitum contrahat: non ita tuae benevolentiae diffido ut metuam, ne diuturnitas eam temporis deleat; ſed eam mihi ſemper vividam opto: quare non admodum ſum ſollicitus, qualis litteris ſit materia, modo id mihi praeſtent officii. Jus civile, niſi privatim, hîc non docetur: Canonicum tres profitentur Profeſſores; *Johannes Dartes*, *Johannes Picardus*, & *Gabriel Bouthillier*: Verum pauciſſimos habent Auditores, quod Sorbonici & Jeſuitae, qui Theologiam moralem praelegunt, eandem fere tractent materiam. Duo ſunt Hebraeae linguae Profeſſores Regii, *Johannes Muſius* & *Sebaſtianus Flavigny*: unus aliarum orientalium *Gabriel Sionita*: Graecarum litterarum *Johannes Valens*: Rhetoricae ſive Latinae linguae *Johannes Grangierius*: Ita ut ad bona jacienda in litteris fundamenta, adjumenta hîc ſint optima, & praeſertim in quibuſdam collegiis, ubi Graeci & Latini authores bene explicantur: in aliis facilius Gallicam, quam alias linguas docuerint: Nullos hactenus invenire potui, qui aut Antiquitatem aut Chronologiam hiſtoriasve ſectentur: nullos, qui ad Eloquentiam exercitiis Oratoriis manuducant: Multos tamen, praeſertim inter Medicos, hîc reperias, qui in bonis authoribus ſunt verſatiſſimi: haec enim hic jam regnat haereſis, eos doctiores eſſe, qui plura authorum poſſunt citare loca. Tres hic ſunt Bibliothecae publicae: una in S. Victoris templo; apud Franciſcanos altera; tertia Bibliotheca Regia proprie vocatur, & ſola id nomen meretur: quae libris MS. eſt inſtructiſſima, Bibliothecarius eſt D. *Nicolaus Rigaltius*, vir humaniſſimus, quique librorum uſum nemini honeſto denegat. Ille litterarum ſtatus eſt, hic eſt regiminis Galliae. Non ſolummodo Rex ſequitur Cardinalis de *Richelieu* conſilia: ſed & ut omnia dirigat permittit. Hujus quoque ſequi conſilia cogitur Parlamentum; nomen adhuc priſtinum togatae jam ſtatuae obtinent. Revera, qui ſine affectu ju-

X 2 dicant,

dicant, non infelices eſſe Gallos arbitrantur, quod omnia ab uno gerantur: arcana enim regni ſic non dilabi, quae, cum a pluribus ſcirentur, ſolebant emanare: quod a tali viro ducantur, cujus parem aliquot ſeculis Gallia non vidit. Solum id dolent, Ærarii Tribuno *Deſſiato* lubricas eſſe manus: qui ideo Trajani eſſe lien non deſinit. Omnia in ipſo regno pacata ſunt, offenſi quidem ſunt aliqui; verum formidine poenae continentur in officio: Rex dicitur gubernamen Mediomatrici vicinorumque locorum Comiti *de la Valette* reliquiſſe, ne pater ejus Dux *Eſpernonius* gubernator Aquitaniae res novas moliretur. Cum exteris regibus pace fruitur: cum Hiſpano, quod aliis diſtineatur: ne tamen Belgium a fratre ejus excitatum aliquid monſtri alat, exercitus in Picardia ſub Duce *d'Angoleſme* colligitur. Fratris diſceſſus in Belgium, Bavarique ad partes Imperatoris inclinatio Galliae Regem Regi Sueciae arctius devinxit: quare in Germaniae confinibus ſub D. *de la Force* haeſurum eſſe exercitum plaerique exiſtimant. Cogit regem quoque invigilare domus Auſtriaca, quod per *Leopoldum* aliquot in Rhaetis invaſerit loca: cui Ducem *de Rohan* oppoſuit, cujus tria millia militum in duodecim excretura promittuntur. Rex Mediomatrico Pariſios redit ſpe, ut putant, fruſtratus aliquid in Argentinenſes obtinendi. Alia quae addam non habeo, ſin ſuppeditare mihi ſcribendi tibi materiam placeat, aliquid mandando experieris, quod ſim Vir Clariſſime, Tuus ubique ad quaevis officia paratiſſimus. 13. Februarii CIƆIƆCXXXII.

EPISTOLA CCLIII.

PETRUS CUNAEUS

D. Joanni Walaeo, Doctori Medico S.

Lutetiam.

PRaeſtantiſſime & eruditiſſime juvenum. Literis tuis, quas 13. Februarii ad me dediſti, mirum in modum delectatus ſum. Cum enim praeclarum ingenium tuum, ſingularesque virtutes cum eximia eruditione conjunctas ſemper amaverim, dubitare non debes, quin mihi gratum jucundumque ſit quidquid a te proficiſcitur. Ex his, quae de ſtatu Academiae Pariſienſis perſcribis, facile intelligo multa ibi ad decus doctrinae & literarum comparata eſſe. Sed non puto tamen tibi prae Pariſiis evileſcere Leydam noſtram.

ſtram. Illud mihi riſum movit, quod iſtic inter medicos nemini pretium eſſe ſignificas, qui non plurimos autorum locos recitaverit. Crede mihi hunc eſſe ſeculi morbum non ubique, ſed apud Gallos, qui etiam in foro juridico cauſas reorum malunt ambitioſa Plutarchi aut Ariſtotelis allegatione, quam legum & edicti praetorii inconcuſſa autoritate defendere. Tantum oſtentatio cujuſdam eruditiunculae poteſt. ſed tu & ego novimus, noruht omnes, qui bonam mentem reſectis ineptiis amant, neque morbos luminibus orationis curari, & fruſtra his decidi cauſas juris. De ſtatu reip. quod ſentis bene eſt. Etiam nos hîc de regis Chriſtianiſſimi conſiliis, & de rerum Germanicarum ſucceſſu ſperamus optima omnia. In fine illud addo, in omnibus cauſis, quae ad te ornandum pertinebunt, ſedulo & diligenter me ſemper facturum, quicquid ab homine tui amantiſſimo & ſtudioſiſſimo exſpectari poteſt. Id enim ego debere me profiteor & ſummis illis animi dotibus, quas in te Deus optimus maximus collocavit, & arctiſſimae neceſſitudini, quae mihi eſt fuitque ſemper cum reverendo & clariſſimo viro parente tuo. Vale, juvenum decus. Lugduni Batavorum ipſis calendis Martiis 1632.

EPISTOLA CCLIV.

FRANCISCUS GOMARUS

Petro Cunaeo Rectori, totique Academiae Leidenſis Senatui

S D.

Leidam.

NOn dubito, Magnifice D. Rector, & graviſſimi Academiae Senatores, domini mei obſervandi, quin illuſtriſſimi illius herois, ac literatorum principis, D. *Joſephi Scaligeri* memoria, tanti apud vos ſit momenti, ut indigne non immerito feratis, novam Euſebii illius (immenſa ſtupendae eruditionis opera locupletati) editionem, Trojano bello, longe diutius protelari. Ac mihi ſane peracerbum eſt, fidem meam (cui ea cura, Teſtamento τοῦ μακαρίτου, legata) nonnihil ſuſpicione gravari: quaſi mea incuria id accidiſſet. Verum quum ante multos annos Commeliani haeredes, operis illius editionem, mihi ſerio promiſſam, eſſent aggreſſi, pari ſimiliter induſtria ac fide progreſſuros, minime ambigebam. Sed tandem, falſum me

X 3 opi-

opinione, percepi: ideoque Leydam profectus, Doctiſſimum D. *Burgesdicium* (tum temporis Rectorem Magnificum) pro arctiſſima inter nos amicitia ſalutans, rogavi, ut ſua auctoritate apud Comelinianos, negotium hoc meum commendare dignaretur: quod, pro inſita humanitate ſua, & mutua erga me benevolentia, fecit ſedulo. Atque in *Abrahamo* quidem, Comelinianorum fratrum natu maximo, egregiam animi, ad officium praeſtandum, propenſi declarationem cognovimus: *Iſaacus* vero, morae auctorem, tergiverſatione ſua, non obſcure prodidit: ſed promiſit tandem, ſe, rebus ad eam rem neceſſariis prius comparatis, opus maturaturum. Verumtamen, nihil adhuc confectum, audio: ſed ab eo, & mihi, & Domino *Burgersdicio* ſaepius multumque urgenti) promiſſa tantum inania (quaſi eſſet Antiochus ille δώτων) data. Atque ita (proh dolor!)

Unus homo nobis cunctando deſtituit rem.

Quod ſupereſt igitur, quum omnia ſint fruſtra tentata, ad Magnificentiam veſtram (tanquam ad aſylum) confugio, o[illegible]nque veſtram, ac ſanctiſſimi Senatus Academici imploro, ut auctoritate veſtra Comeliniani fratres evocati, operis illius editionem, in ſe ſuſceptam ac coeptam, pro fide debita, continuare, ac primo quoque tempore conficere jubeantur. Ne ſinite, quaeſo, ut cum intoleranda, in illuſtriſſimum heroëm μακαρίτην injuria, & maxima reipublicae literariae jactura, & frequenti doctorum virorum querela, per *Iſaaci Comelini* remoram, divinus ille, reconditae eruditionis, theſaurus, diutius indignis tenebris ſupprimatur; ſed ut, typis ferventibus expreſſus, in lucem (publico gaudio excipiendus) revocetur. Quod ut a Magnificentia veſtra, & ampliſſimo Senatorum Academicorum conſeſſu, mihi ſpondeo, ſic viciſſim, gratam hujus beneficii memoriam, meaque pro tenuitate, miniſteria atque obſervantiam offero. Ita Deus clementiſſimus, & veſtram Magnificentiam, & veſtram Amplitudinem, quam diutiſſime, incolumem ac florentem, conſervet. Groningae, Anno CIƆIƆCXXXII. Nono Calendas Aprilis.

In actis Academicis vidi de hac Epiſtola relatum fuiſſe a Rectore *Cunaeo* ad Senatum, ſed nihil decretum fuiſſe, & in aliud tempus rem rejectam.

EPI-

EPISTOLA CCLV.

HENRICUS Á FRISEN

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

VIr ſumme. Dum incertis adhuc ſedibus vagor, neque in hoc rerum mearum aeſtu evolvere poſſum quid primum, quid deinde inceptem, fatali quodam veterno ita contactus ſum, uti animum, deſultorium in modum huc illuc transvolantem, vix ad ullum ſcribendi officium appellere poſſim. Quo magis excuſatum apud te abiturum me confido, ſi te, virum tantum, ac cenſu atque aeſtimatione facile principem ămicorum, ſerius paulo compellem. Reverentia dignitatis tuae atque publici muneris, cui praepoſitus es, auctoritas pudorem noſtrum protelavit, quominus ampliſſimis negotiis tuis, in quibus curas tuas cogitationesque defigis, ſuperſtruere ſuſtinerem moleſtiam legendi epiſtolas noſtras, nihil ut plurimum praeter proletaria ac inania verborum adſportantes; unde genius tuus immane quantum diſcrepat. Et profecto, ſi recte rationem puto, jam nunc quoque ſufflaminandus eſſem; niſi obnixam verecundiam noſtram blanda quadam ſaevitia expugnaret inſignis humānitas tua, qua me, nihil tale unquam promeritum, non veluti unum e multis effuſiſſime complecti es ſolitus. Equidem quotiescunque prolixiſſima illa benignitas tua animo recurſat atque obverſatur, tanta me voluptate ilico percuti ſentio, uti praecipuam felicitatis meae partem in eo putem, quod hic homo, caetera nulli rei neque ullis ingenii doctrinaeve praeſidiis ſubornatus, emunctiſſimo judicio tuo tantopere imponere quiverit, uti me. fato an felici errore quodam! in amicorum tuorum haud poſtremae admiſſionis numerum cooptare non ſis dedignatus. Quo ego honore, quantuscunque eſt, tantundem mihi conſecutus videor, quantum Grypi poſſident, qui aureos montes colunt. Fruor mehercle votis ad invidiam felicibus. Nihil enim perinde mihi amplum atque honorificum duco, quam in flagrantiſſima gratia eorum hominum vivere, quibus aetas omnis faſces ſubmittit ac lubens aſſurgit; qualem te, jam pridem factum eſt, cum ſaeculo atque cordatiſſimo cuique probaſti. Mea ſic eſt ratio, at-

que ita animum induco meum, pluris eſſe hanc palmam, quam omnes trabeas ac laurus, quibus perſaepe exitio gravi demerſa eſt incauta mortalitas. Mihi pauci Catones, imo unus ſufficit. Vulgus imperitum nulli moramur. Non enim tam male nobiſcum agitur, uti ad miſeras preces decurrere, aut votis paciſci debeamus, quo imae caveae plauſum emendicemus. Vale, Vir Maxime à tui obſervantiſſimo; qui quanti abs te fiam permagni ſemper ad exiſtimationem meam intereſſe putabo. Feſtinabundus ſcribebam Pariſiis., Kal. April. CIↃIↃCXXXII.

Hujus *Henrici à Friſen*, nobilis Saxonis, multae laudes leguntur in Epiſtolis doctorum virorum hujus temporis, *Buchneri* diſcipulus, & hic Leidae *Dan. Heinſii* & *Cunaei*, magnam ingenii & eruditionis famam reliquit. ejus filius deinde Cl. *Graevium* audivit, cujus celeberrima mentio in epiſtolis *Graevii* & *Nic. Heinſii* occurrit. Nepotem denique Ultrajecti etiam operantem Muſis inter auditores meos numerare licuit.

EPISTOLA CCLVI.
PETRUS CUNAEUS
Nobiliſſimo Juveni Henrico de Friſen
S. D.

Pariſios.

Literae tuae, nobiliſſime Juvenis, quas Pariſiis Kal. Aprilis ad me dediſti, ſero admodum traditae mihi ſunt, ſed longe jucundiſſimae mihi gratiſſimaeque fuerunt. Quid enim eſſe mihi dulcius poteſt, quam ea cernere, quae a te proficiſcuntur, juvene omnium, quos pridem novi, lectiſſimo, & ad omnem virtutis & doctrinae excellentiam nato? Enimvero quidquid a me tibi, dum hîc eſſes, tributum fuit, id non gratiae apponi volo, ſed totum hoc praeclaris illis dedi animi ingeniique tui dotibus, quas in te collocavit coeli benignitas. Ingentibus quippe rerum documentis ſummam doctrinam, tuam cum ſingulari induſtria judicioque conjunctam perſpexi, ut omnino mihi acerbum fuerit carere ea voluptate, qua frui ex alloquio tuo adſpectuque ſoleo. Nimirum id unum tota vita operam dediſſe mihi videris, ut non modo ipſe perſentiſceres, ſed aliis quoque omnibus exemplo tuo ſignificares id, quod pauci ea domo atque fortuna nati capiunt, quam ſit pulchra res literarum juriſque & legum ſtudiis inclareſcere, ex quibus ad ua-

natalium ſplendorem vera nominis atque exiſtimationis dignitas accedit. Non ego ex alitum volatu, aut è cantu oſcinis augurari didici, nec unquam mathematicorum coelum perambulavi, ſed tamen habeo alia ſigna, quae obſervem, longe certiora, quae minus habent vel obſcuritatis vel erroris, ex quibus futurum arbitror, ut non modo familiam ipſe tuam, ſed & patriam univerſam ac remp. veſtram magna luce perfundas. Ac plane de me tibi ſpondeo, ut virtutes tuas praeſens amavi, ita me ſemper fore praeſtantiſſimae tuae indolis ſtudioſiſſimum. In quo etſi plurimos habebo ſocios, cupio tamen hîc, ſi quid valebo, primas tenere. Vale, juvenis nobiliſſime. Lugd. Batav. VII. Jun. 1632.

EPISTOLA CCLVII.
HENRICUS à FRISEN
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

QUae gaudia iis ex rebus, quarum momento defluit ac ſeneſcit dignitas, mortalium mentibus ſortis indulgentia offundit, nugas meras puto, prae ut qua nunc laetitia lubentiaque mactus in[illegible]do, poſtquam per literas interpretes ſummum tuum erga me amorem ac benevolentiam, quam minime mendacibus indiciis jam ante cognoveram, tam benigne declaraſti. Diceres Attalicas mihi conditiones obveniſſe, aut haereditatem effertiſſimam ſine ſacris alicunde huic homini objectam, ita luxuriante gaudio diffluo pene ac liqueſco. Sibi equidem ſceptra ſua habeant reges; ſibi divites in altum exſtructas opes ſervent, ſibi hortos ac ſuburbana regio luxu inſtruant, denique agrorum ſpaciis & lato quantumlibet foenore exuberent: jam dudum de invidente, nî fallor, proſpectum eſt. Quippini? cum pluribus illa magis exitio ſteterint, quam bella, quam fames morbive, quaeque alia, ceu dirum mortalibus omen, immani peſte terris incubuerunt. Equidem ego abunde felicitatem reor, ſi te judice, inter eos haud poſtremas tulero, qui de affectu tuo haud falſo gloriari queunt. Caeterum magna heîc me difficultas circumſtat; Neque enim quatenus immenſas laudes, qua me immeritum extollis, admittam; neque rurſus quonam verborum honore pro tam eximio mu-

munere grates refundam, cum omnia circumſpecto, evolvere ſatis promtum eſt. Cogor itaque damnare averſi genii noſtri infelicitatem, cujus nunc copias opesque adeo in arctum coactas eſſe ſentio, uti ad hanc provinciam adſpirare non audeat. Enim dotes ipſe meas contemtim deteram? una opera judicio tuo multum demſero, cui omnia deferri debere, lubens facio uti exiſtimem. Porro autem dictis ſperem condignas tibi gratias agere? Nae ego largiter erravero, ſi tantum honorem ulla dicendi majeſtate aequatum iri autumem; quippe quae tantum infra magnitudinem meritorum tuorum jacet, quantum tu gloria ac virtute invidiam viciſti. Uno tantum colore, quantum conjecto, defendi poſſum, quod benevolentiae tuae muneribus obniti flagitium longe maximum augendaeque invidiae putavi. Itaque ergo hoc quoque uti caetera gratiae tuae debiturus ſum, uti quanquam impar tantis laudibus, quarum fulgore perſtringor, illuſtre tamen judicium tuum indignitati noſtrae dehinc praeſtruere poſſim; quo ſi propriis ac domeſticis bonis parum valuero, iſthoc ſaltem ſchemate ac tam ſplendido fuco adornatus aliorum quoque judicio ſpecioſe imponere poſthac queam. Ac in aliis quidem rebus bonum nomen eſſe, ut mos meus fert, non ceſſabo, heîc ne benignitas tua, & facilitas optimorum fere ingeniorum contubernalis, te fruſtra habeat, male metuo; neu paupertini ingenii noſtri tenuitas deſtruat faſtigium ingentium meritorum, ac multum de cumulo illarum laudum demat, quas tam prolixe tenebricoſo nomini noſtro circumfundis. Per me tamen diutius non ſtabit profecto, quominus ipſe omni arte atque cura ſedulo me verſem atque excutiam, ac ſi genius non refragabitur, per generoſos auſus atque ardua tentamenta inviis quoque atque inacceſſis gradum inferam. Quod ſi quid unquam in noſtra indole haud prorſus poenitendum enituit; in hoc me jacto, in hoc me magnifice effero atque unice triumpho, quod nemini mortalium ſim conceſſurus, uti ſplendidiſſimi ingenii tui, doctrinae ſapientiaeque dotes prorſus coeleſtiſſimas religioſius adorare videatur. Huic ego merito, aliarum rerum haud ambitioſus aeque, facile palmam do; cujus indolem is quotidie magis magisque inflammat ardor, uti iis indiciis, quibus te meque dignum eſt, venerationem tibi meam teſtari queam.

Ne tempora tua diutius morer, quibus vel ſic ſatis proterve illuſi, uno verbo adjicio, Fratrem Regis aliquot turmis

mis ſuccinctum in Provincia agitare, late, qua incedit, terrorem atque peſtem circumferre. Spes tamen eſt futurum, uti ſimul Rex cum juſto exercitu ducem, vagum & latrocinii potius quam belli more incurſantem, conſectabitur, turbae iſtae, quae licentia fervent, tanquam frigore perculſae dicto citius conſidant, ac veluti amiſſo aculeo torpeant.

EPISTOLA CCLVIII.
HENRICUS à FRISEN
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

FActum eſt à me oppido quam negligenter, Clariſſime Cunaee, Amicorum ſumme, quod tam diu ſcribendi munus ſubterfugerim. Itaque & me quoque jam propemodum ſilentii ſuppudet, cujus rationem tamen, fallor, aut ſine precatore tibi probare potero. Quo enim, ſodes, febriculoſa ſcriptione occupare & invadere otium tuum, quod ubivis rectius perdere potes? Apageſis mihi iſtos ineptiarum inſtitores ac mangones, qui ubique ambitioſas naenias & exquiſita nugarum fercula faſtidioſe ingerunt, ubique lepidum quid ex blanditiarum myrothecio allinunt; denique dum nimias exhibent argutias, nihil quicquam pro ſanis faciunt. Sciti aedepol paraſitaſtri, ſi Diis placet; ac digni, medius fidius, qui mimico illo ac veteratorio ſchemate caudam trahant, ac ſcaenarum oſtentatione traducantur. Nulla igitur nobis, ſi exquiratur uſque ab ſtirpe auctoritas, tam intima ſilendi cauſa fuit, quam quod interventu literarum curas tuas morari religioni duximus. Nunc ne plane me decoxiſſe in animum inducas; neve ſanctiſſimum illum cultum, quem intemerata religione ac fide tibi devovi, putes nonnihil refrixiſſe, abrumpendum ſilentium fuit, & redintegranda memoria amicitiae noſtrae, quam ego, mentiar, niſi jucundiſſima ſubinde imagine, quoties ſecreti licentiam nactus ſum, quaſi in me paulum ſeductus, tota cogitatione retractare aggredior. Quae quidem cogitatio tam blanda ſaepe voluptate afficit animum & allectat, uti aliarum rerum ſenſum uſquequaque illi demere aut minuere videatur. Quid quaeris? Haud aliter atque loti dulcedine captus, aut vi carminis excantatus, ita ſuavi illa contempla-

platione defixus haereo, caeteraſque omnes ſolicitudines cum dicto protinus depono ex animo deleoque. Caeterum ea in urbe nunc ſum, in qua neque otii ſane neque negocii ratio mihi conſtat: neutro enim potiri datur. Denique jam in nervum ire decretum eſt potius, quam iſthoc veterno diutius contabeſcere; miſere enim heîc frigetur profecto. Uſque adeo quidem, uti vix quenquam, meo animo, reperias (ab uno atque item altero ſi diſceſſerim) cum cujus conſuetudine ſolitudinem tuam permutare velis. Ut omnia tamen alia deſint, unius certe conſuetudine ita devinctus teneor, uti reliquorum amicitias prae illa haud magno ambitu appetam, imo aequiſſimo animo negligere queam. Is eſt *Hugo Grotius*, inter praecipua rariſſimae doctrinae virtutiſque documenta memorandus; quem ideo edidiſſe mihi natura videtur, ne ſaeculo noſtro vel exemplum deeſſet vel convicium. Noſti eum qui vir ſit; Quem ego uti ne viderim, auri montes mereri nollem. Prorſus hic unus omnium mihi inſtar eſt. Itaque nunquam unum intermitto diem, quin ad eum inviſam, ſermonibusque illis (doctis, Jupiter? atque eruditis) qui ſub manum ei naſcuntur, memet expleam, fruarque votis ad invidiam felicibus. Saepe inter fabulandum frequens atque apprime jucundus de te ſermo incidit, multo cum honore atque commemoratione laudum tuarum atque virtutum plane ſingularis exempli, quibus ſaeculum tibi obſtrinxiſti; & porro mirum in modum obſtringes ſi, quod jamdiu praeclare minaris, Joſefephum tuum deterſo ignorantiae ſitu, atque ea labe, quae aetatis vitio laborat, exceptum ingenii tui luce perfundere ac publice exhibere non recuſaveris. Unicum hoc Maximi *Hugonis* votum eſt; cui & ego, quanquam tanto intervallo impar, meum aggregare minime erubeſco. Fruſtra te fabulae malignantium terreant aut tardent; Te, qui ſupra ipſam invidiam caput effers; Et Vaejovesiſtos, ſi qui moleſti eſſe audebunt, nae tu, ſi ſacra tua commovere lubeat, pulchre exarmare & magnifice tractare queas. Tum qui iſtud opus pro digno explicare queat, neminem, praeterquam te unum, exſtare, auſim, vel te judice, quovis pignore contendere. Nunquam hercle defugies auctoritatem. Sed nolo me heîc diffundere. Ego, cum omnia apud nos modo eſſent tumultuoſiſſima, commodum ſtatui in hac urbe ſubſiſtere tantiſper, quoad turbae iſtae conſileſcerent. Interea loci ſummus atque Auguſtiſſimus Sueciae Rex illuſtri atque decretoria pugna victis ac fugatis hoſtibus, in ipſo,

me-

mehercles, articulo, veluti ad condictum, adfuit atque nos omnes praeſentiſſimo exitio ſubterduxit. Nunc poſtquam ejus ope viam nobis munitam intelligo, cis, arbitror, paucas tempeſtates, iter ad meos, quantum pote, arripiam. Ii, qui pugnae interfuerunt, ita narrant; illud proelium, quo ante annum ad Lipſiam concurſum eſt, ludum jocumque eſſe, prae quam ut nunc utrinque certatum fuit. Verum heu mihi! ut male formido, ni nimio nobis forte haec victoria conſtet. Sunt enim, ſunt nonnulli, qui literas Berlino, Brandeburgo, Witteberga, Magdeburgo acceperunt, quibus fertur Regem ipſum, cum ex more inter primos pugnam cieret, infelici ictum globo paulo poſt ex vulnere obiiſſe. O crudele fatum! ô fortunam ſemper inſidioſe benignam atque inter ipſa officia metuendam! Adeo nullum tam ſincerum mortalibus gaudium obtingit, quod non aliqua viciſſim contaminet aegritudo; atque eſt neſcio quae arcana invidia, quae felicitati noſtrae ſubinde obtrectat, & ſpes mortalium ad magna ſurgentes ipſo in flore praecerpere ſibi voluptati habet. At enim Philoſophiae plus ſatis. Ego uti fabulam iſtam (atque utinam vates ſim) tollere nondum audeo; ita ſubeſſe aliquid monſtri haud injuria ſubvereor. Rex enim, ut ſemper fuit immoderatiſſimi adverſum ſe imperii, nec labori nec periculo uſquam pepercit, quo minus inter ancipitia clareſceret, & ſalutem illius capitis, in quo tot millium ſpiritus vertebatur, vilem ſibi haberet. Quaeſo inter nos pereat tam horribile ſecretum; donec omnia magis certa atque explorata ſint. Non eſt tamen periculum ne erres, ſi Cl. D. *Heinſio*, eximio atque intimo noſtro, illud quicquid eſt credere volueris: quem uti à me quam amantiſſime ſalutes, rogo. Scribendi facultatem temporis nunc anguſtiae eximunt; proxima occaſione ei diligentiam, ut ſpero, noſtram probabo. Salvebis & tu quoque plurimum a Principe amicorum, *Hugone Grotio*; qui in hac urbe hyemare decrevit. Vale, Vir Magnifice, atque ſtyli noſtri intemperantiam boni conſule. Si quid literarum ad me curatum voles, quod unice te oro, ad aedes haſce, quarum inſigne eſt civitas Embdenſis deferri eas, niſi nevis, jubeto. Hoſpes enim iſtarum aedium eas porro ad me ſine mora tranſmittet. Sine, quaeſo, hac ſpe tui fruar. Datum Hamburgo x. Kal. Dec. CIↃIↃCXXXII.

Regem Sueciae nobis fuiſſe, pluribus documentis conſtat, quam vellem. Hem! ſpes noſtra! quo recidit?

Ger-

Germaniae nunc me ex animo miſereſcit, quae iisdem fluctibus reſorbebitur, unde ſeſe vix aegre emerſit.

EPISTOLA CCLIX.

PETRUS CUNAEUS

Henrico de Friſen

S. D.

Hamburgum.

QUod literis tuis, nobiliſſime Juvenis ſilentium tuum excuſas, magis pro humanitate tua feciſti, quam quod juſta ulla ratio id exigeret. Nam & cum in itinere diu haeſeris, multa tibi objicere impedimenta potuit locorum mutatio: & poſtquam Hamburgi conſediſti, etſi tibi in iſto otio non ſtatim ſcribere libuit, aeque tamen me diligi a te credo. Solent enim hi, inter quos aliqua amicitiae fiducia eſt, facile in iſtis, quae leviora ſunt, ceſſare & officii aliquid intermittere. Infirmo vinculo ille affectus conſtat, qui ſcrupuloſa & anxia diligentia penſitatur. Apud Dionyſium Longinum inter vitia ſublimis & heroicae dictionis exiſtimatur τὸ ἀδιάπτωτον ϗ ἀναμάρτητον εἶναι. quia plus ſtudii & curae in ea re ineſt, quam maſculi roboris. & Plinii Secundi querela de quodam amico ſuo fuit, ideo peccare ipſum, quia nihil peccaret. Quod viri ampliſſimi D. *Hugonis Grotii* adſpectu & alloquio quotidie frueris, ex animo tibi gratulor. Quippe in uno illo viro repraeſentatur tibi, quicquid pene eruditorum hominum habet noſtra haec aetas. Quare jam vix fore puto, ut facias, quod abiturus promittere videbaris, hoc eſt, ut greſſum ad nos referas. Qui enim iſtud Bataviae depoſitum in Germania tua jam reperis, leniter tolerabis, opinor, noſtri deſiderium. Literas ab eo nuper accepi, quibus D. *Hartzwigium* JCtum Hamburgenſem, juvenem praeclarum ad nos redeuntem, mihi commendabat. Illis ego reſpondi, atque impenſe eum rogavi, ut te tuamque eruditionem & inuſitatam virtutem inter prima nobilitatis Germaniae decora aeſtimaret. De commentationibus meis, ut eas aliquando in lucem emittam, bene mones. Faxo ut omnes intelligant, me bonae menti operam dediſſe, atque etiam publicis ſeculi haud defuiſſe commodis. Sed cauſa adhuc eſt, quae me aliquantiſper continet. Partem illam epiſtolae

lae

lae tuae, quae de morte Regis Sueciae eſt, viro clariſſimo, amico tuo, vel noſtro potius, praelegi, ita ut voluiſti. Sed ille, ut omnia, quae a fortiſſimo hoc bellatore geſta ſunt, in majus accepit, & laetis ejus ſucceſſibus nimis ſe extulit, ita nunc immodice dejicitur luctuoſa ejus morte, ac pene ad deſperationem formidine properat. Ego, qui ſummam Divini numinis benignitatem in reſtituenda Germaniae libertate hactenus adfuiſſe, atque etiam acerbiſſimum hunc caſum eſſe cum inſigni victoria conjunctum video, illud temperamentum tenebo, ut confidam principes ducesque Germanos & Suecos conſilia animosque & vires juncturos, & ejusdem Dei auſpiciis conſummaturos tantarum rerum coepta. In quo omine deſino. Vale, juvenum nobiliſſime & praeſtantiſſime. Lugduni Batavorum, 17. Decembris 1632.

EPISTOLA CCLX.

HENRICUS A FRISEN

Petro Cunaeo

S.

JAmpridem, Vir Maxime, literarum tuarum deſiderium impatientiſſime fero. Quid enim mihi putas animi eſſe, cum a conſuetudine tua, qua quondam paſtus unice fui, direptus, pertinaciſſimo inſuper ſilentio tuo ita differor & excrucior miſer, uti, poſtquam nomen tuum veluti in vaſta quadam ſolitudine fruſtra imploravi, prope ad inviſiſſimae hujus lucis taedium adigar? Nolo ſane fidem tuam & affectum, cujus experimenta habeo prorſus luculentiſſima, iniqua ſuſpicione ſuggillare; Scio id genus officiorum, queis amicitiae ſacris operari mos tenet, non peti, ſed praeſtari ſolere. Eſtque literarii hujus commercii indoles ea & conditio, uti ratio ejus decoquat, ſi ſcrupuloſe nimis diſputetur. Perraro enim ex formula reſpondet, aut ad praeſcriptum quod ex pacto convento procedit. Neque quisquam tam a naturali lege deſciſcit, aut ſtrictiſſimis illis nexibus libertatem ſuam arctari patitur, uti praefinito & veluti ad demenſum aut loqui velit aut ſcribere. Quare ſi hoc poſtulem, protervus merito ac ſtulte ineptus audiam; neque cuiquam, arbitror, ſatis pro ſano facere pol videbor. Quae malum, igitur iſta intemperies ſit, ſanctiſſimum jus fasque ami-

amicitiae atque inviolabiles modeſtiae leges, quas virtutum tuarum reverentia in hoc animo ſanxit, impudentiſſima profecto expoſtulatione temerare velle? Ego vero etſi facere nequeo, quin graviter & impenſe doleam, literarum tuarum voluptatem, quarum pretium inaeſtimabile ſemper ſum arbitratus, diutius quam ſperaſſem, defatigare ac ſuſpendere expectationem noſtram: haudquaquam tamen eo dilabor, uti peculiarem tuum erga me & candidiſſimum amorem incommoda usquam opinione violare audeam. Id peto duntaxat & enixius rogo, uti hoc extorqueri ab animo tuo atque excudi patiaris, quo proximis comitiis noſtri ratio habeatur: niſi ſi forte, quod ne cogitare quidem de te fas puto, memoria noſtra apud te aut exolevit aut eviluit. Ambitioſius hoc abs te contenderem, niſi parcius tecum & reſtrictius fabulari, mea quidem apprime, ſed & tua non parum aedepol intereſſe autumem. Nam neque me decet argutias heic ſerere; & tu, quem in illo faſtigio, in quo te excellentiſſimis meritis & divino prope ingenio collocatum videmus, publica ſibi vendicant totum, moleſti carminis moram negotiis tuis inſeri non pateris. Porro ecquid hîc agam, quidve ſtruam, quanquam ad nullam curarum tuarum partem illud pertinet, obiter tamen indicabo. Singula vero quae hîc ab aliquo tempore ſumus perpeſſi, annales utcunque ampli ac vaſti vix ceperint. Nec attinet ſane ea omnia retexere, quaeque ipſe miſerrima vidi, & quorum pars magna fui; quis talia fando! noſti enim caetera. *Illud* in univerſum dixiſſe ſat habeo, neminem apud nos ſupereſſe, quem belli foediſſima haec calamitas non invaſerit ac propemodum adflixerit. Periniqua profecto belli haec ratio eſt, aut potius inſania, quod indiſcretim omnes ordines ſortitur: ſummos, imos, medioximos nullo diſcrimine arripit. Quantum inſtar in admiranda unici Regis virtute fuerit, nunquam manifeſtius, quam ab ejus morte deprehenſum eſt. Sed illa felicitas aliquandiu nimis laeta ſeſe ubertate extulit; tanto citius collapſa, ac neſcio quâ peſte contacta, extabuit: haud aliter atque ſemina quaedam, quae ſummo ſparſa ſolo non penitus immiſſis innituntur radicibus, celerius utique ſe effundunt, & ſolidiſſimas ementitae ſpicas herbulae inanibus ariſtis ante meſſem flaveſcunt. Certe ſi gloriae ſuae adhuc ſuperviveret invictiſſimus Heros, ſpes eſſet brevi futurum, uti aegra reſpub. quae nunc lapſantibus incertisque veſtigiis oberrat titubatque, pulchre conſtabiliatur. Inter haec conor ego quacumque

que ratione, uti a partibus atque ſtudiis reip. quam longiſſime abſim, atque dum procellas horreſco, litus legam quantum poteſt; ubi tutiſſima irato quamvis mari ſtatio eſt; magnam utique mei partem fortunae jocantis ludibrio ſubducturus: Wittebergae enim ago; utque interibi Muſarum mearum conſuetudine devinctus non inſuaviter me oblecto, aulae de induſtria fugitans, quae fronte blanda quantum, Dii boni! malorum tegit & obvelat. Tandem autem ſerio animum ad Juris ſcientiam appuli: cujus amore nunc captus atque deditus haud ſpernendam temporis partem ad eam omni ratione excolendam ſeponere decrevi. Niſi ſi forte vis quaedam major praeclariſſimum hoc ſtudium e manibus nobis excutere coeperit. Et verum quam metuo, ne aetas noſtra ſordidiuſcula illa ambitione & negociis obruatur prius, quam omnia eo ſtudio ac labore perveſtigare queam ita, uti opto, atque uti me haud degeneris animi indoles hortatur. Eniti tamen juvet, & nobiſcum contendere, vel in hoc, uti quatenus progredi in hoc ſtadio nobis fas ſit, experiamur. Nam etſi ad ſupremum, quod affectamus, culmen adſpirare haud detur, & ad praeclariſſima quaeque obſtructus nobis aditus ſit; non id tamen confeſtim debilitare ac refringere animum curamque deflectere atque ingenii impetum ſufflaminare debet. Eſt enim quatenus prima nobis ſors invidet, in ſecundis quoque tertiisque haud poenitendus neque inglorius induſtriae noſtrae locus relictus. Illa ſe jactet in aula. Sicuti vero praeclarum eſt, ad maxima ubique exempla ſe dirigere; ita ingenio refragante aut caſu, tantum in iis ſequi quantum conſequi poſſis minime faſtidiendum reor. Perperam vero atque aſpere in me conſuluit fortuna, quod facultatem tui audiendi videndique nobis ademerit: cujus jactura ita acriter me pungit, ac remordet, uti concoquere eam citra doloris ſenſum vix poſſim. Profecto enim non exemplum tuum duntaxat, terſiſſimique judicii integritas, atque ignea vis quaedam, cujus fiducia tu metuenda aliis & praerupta pervadis, ad eximia quaeque nobis incitamento foret: ſed & ſermones exculti & uberrima doctrinae copia abundantes, permagna procul dubio adjumenta nobis afferre, & ad ea quae cupimus percipienda, viam praeſternere facile poſſent. Nunc animi hercle diſcrucior, inter eos me latitare, qui niſi paululum ſubbiberunt, atque ingenii ſui ſolum pluſculum irrigarunt flore Liberi, haud temere quicquam ſufferti tinniunt. Paucos tamen quosdam hinc excerpo, qui

ſe, quantum licet, a contagione ſaeculi intactos atque immunes praeſtant. Ab his ubi deſceſſeris, idem omnes reliquos error habet, & ſub eadem cauſa obruit. Sed non id nunc ago, nimirum, uti mores ſaeculi infamem. Tu, quaeſo, ſi me amas, per literas etiam, qui potes, ingenii tui conſiliique lucem porrige laboranti. Nam pragmaticorum ineptias nullus moror; quas equidem, ſi in auctione venum irent, caſſa nuce non emerim. Eant ſane & populo obtrudant, quas commenti ſunt, fabulas; apud me quidem teſſeram confregerunt. Digni, medius fidius, quos catamidiandos ſibi excutiendosque veſticipes pueri ſumant; digni qui cum ſtercoreis ineptiis ſuis, quas exitioſiſſimo publico in Scholas introducunt, foras quatiantur. Verum quo me ago? Vale, decus noſtrum, & expecta quam mox ego dupondii legulejum hinc expromam tibi. D. *Heinſio*, primario amicorum, obſervantiam quaeſo & affectum a me, niſi ne vis, nuncies. Fui, humanitatis tuae fiducia, prolixior; tu ſi ignoveris, perbenigne aedepol ac more tuo ſolens feceris. Wittebergae. Non. Jan. CIↃ. IↃC. XXXIII: quem annum ex omni parte feliciſſimum tibi ex animo voveo. Dabo operam, ſi qua omnino fieri poteſt, uti vos reviſam cum zephyris & hirundine prima: atque inde rurſus per Gallias, terrarum omnium reginam Italiam quoque perluſtrem. Nihil tamen certi adhuc conſtituere poſſum.

EPISTOLA CCLXI.

PETRUS CUNAEUS

Henrico à Friſen

S. D.

Wittebergam.

EX literis tuis, nobiliſſime juvenis, quas Wittebergae Non. Januarii ad me dediſti, intellexi nondum perveniſſe ad manus tuas epiſtolam meam, quam 17. Decembris ad te ſcripſeram, atque Hamburgum ad ſummum ampliſſimumque virum * D. *Hugonem Grotium* transmiſeram. Ego vero in ea gratulabar tibi adſpectum & ſermones incomparabiles iſtius viri, in quo uno repraeſentari tibi poſſe ſciebam quicquid pene eruditorum hominum habet noſtra haec aetas. Simul & ipſum *Grotium*, τὸ πάνυ, rogaveram im-

* Vid. ſupr. Ep. LVII.

impenſe, ut te tuamque eruditionem & inuſitatam virtutem inter prima nobilitatis Germanicae decora aeſtimaret. Caetera, quae addidi, exciderunt nunc pene mihi omnia. Neque dubito quin ſint interim ad te perlata nunc ea, quae ſcripſi. Quare neque in illis repetendis immorabor, & hoc ipſo tempore, quoniam proficiſci Hagam cogor, neque reditum meum exſpectare nuntius veſter poteſt, illud tibi breviter ſignificabo, gaudere etiam atque etiam me, cum intelligo te mentem penitus ad jurisprudentiam noſtram adjeciſſe. Nihil enim praeclarius, nihil excellenti tua & divina indole dignius facere potes. Enimvero meminiſſe potes olim in Rep. Romana, qua nulla nec major, nec ſanctior unquam, nec bonis exemplis ditior fuit, ſemper viros principes, primoresque populi hanc ſcientiam in ſua poſſeſſione retinuiſſe: quam Plato regiam appellavit, propterea quod ad Reges rerumque Dominos, atque ad eos, qui cum his quotidie ſunt, pertinebat. Neſcio quid efficere apud te preces meae poſſint: ſed tamen rogo te, ut in hoc animi propoſito conſtanter perſeveres, atque ut de omnibus, deque ſingulis, in quibus aliquid opis conſiliive a me deſideras, rotunde & familiariter pro jure amicitiae noſtrae perſcribas. Meum erit efficere, ut nulla in re defuiſſe tibi officia animi promptiſſimi addictiſſimique videantur, ſi modo ubi locorum ſis, & quibus tradi literas oporteat, ſcivero. Vale, juvenum nobiliſſime. Lugduni Batavorum, 2. Martii 1633.

EPISTOLA CCLXII.

HENRICUS à FRISEN

Petro Cunaeo

S.

Leidam.

IN turbine hoc & tempeſtate rerum noſtrarum, quâ omnia divina humanaque in deterius labuntur, nemo magis dirum Martem exſecratur, nemo pacem fervidius exoptat, quam ego. Sed pacem eam, quae ſpecioſum illud nomen re & factis comprobet; cui nihil ſubeſt fraudis aut inſidiarum. Patriae quidem meae, quae furias ſuas cottidie paſcit, & ab hoſte invicem atque civibus raptatur, ex animo me miſereſcit. Adeo ab omni parte laboratur; neque ulla malorum facies nobis deeſt. Inprimis vero literarum no-

ſtrarum miſerrimum fatum quis pro indignitate rei ſatis deploret? quibus quidem, niſi auguria me fallunt, exilium alicubi circumſpiciendum eſſe arbitror; ne faſtidia inimiciſſimorum heic experiri cogantur. Mihi ſane, ut rem loquar, cum his moribus haud belle convenit: neque adeo conveniet, ſi mihi quicquam credis. Idcirco de ſede mutanda ſerio mihi deliberandum eſſe ſtatuo. quod conſilium cum nuper pene ad effectum ſpectaret, omni ratione & conſilio valentior fortuna diſcuſſit: qui caſus ut ſpem profectionis meae abrupta & praepropera rerum vertigine haud parum dejecit, ita cupiditatem incendit; & flagranti ſua ſponte animo acres veluti faces ſubjectat, uti, quantum poteſt, loca quieti atque otio adverſa & infeſta relinquere mediter. Non equidem ita heic deſpectus vitam dego, quin magnatium cuipiam decus libertatis meae nuncupare poſſem: neque deeſſent fortaſſean pretioſi emtores, qui conditionem praecipiti feſtinatione raperent. Sed mihi non eſt animus pretio depaciſci, ut ſplendide ſerviam. Ita ſum factus à genio, uti Principes viros facile dormire ſinam; nulli verniliter adulari, nemini per ambitum aut indecoras prenſationes importunus eſſe, nemini ſervilibus & obnoxiis ſtudiis adrepere, per omnia certus ac tenax. Sane vero, cum ad id exemplar animatus ſemper fuerim; nunc demum ex quo me fortuna frigore ferire coepit, magis etiam comperio, nihil tam in lubrico eſſe, quam quod plerique ingenti votorum certamine exoptant. Itaque nihil admodum moveor cenſus atque facultatum jacturis; quippe quae mobilitate caſuum humanorum puncto temporis ſaepe huc & illuc transferri queunt: illud ſaltem lugeo, quod aetatis meae pars longe optima, inter irrita ſtudia, atque inertiſſimas curas, dum loquor, pene mihi effluxit. Sane quidem ex quo heîc ſum, nihil quicquam moliri licuit; quod ſpe ac voto erectae indolis nec degeneris animi dignum ſit. denique cum me quaero, haud invenio. Nimio hercle ſatius foret in piſtrino ſtrenue molere; aut curſura vel ad languorem uſque exerceri, quam ignavia heîc tabeſcere. Mea ſic eſt ratio. Plane igitur triumpharem, ſi quovis interim terrarum potius, quam heîc, inter tot bona mentis impedimenta, verſari contingeret. Non alius tamen locus, ut nunc haec ſunt, efficacius animum allicit, aut inflectit ſenſus, quam Leyda veſtra; imo & mea. Quippini? quae Muſas noſtras tot per annos amoeniſſimo complexu ſuo ac felici magnarum animarum cultu, circumdedit ac fovit?

Quo-

Quorum beneficiorum, quoties magnitudinem ſecreta aeſtimatione perpendo, neſcio quae ſtatim dulcedo ſubit, & penitus permanat ad venas animumque; uti eadem mihi ſedes magis magisque prae reliquis adlubeſcat. Cui vel tua cauſa immenſum me debere plus ſemel intellexi: Qui ut me quondam indignum fortaſſean, at non irreligioſum tamen virtutum tuarum aeſtimatorem, ad cultum tuum admiſiſti: ita tam prono deinceps & benevolo affectu ilico proſecutus es, ut & votorum meorum modeſtiam promtitudine quadam humanitatis praeverteris, & meritum omne meum, ſi quod uſpiam fuit, longe viciſſe haud dubie videaris. Quod quia ſemel tibi, feliciore meo fato quam merito, ſic placuit, Deum quaeſo, ut aeterno & manſuro animorum nexu perſtet amicitiae haec compages; ne qua labes aut calamitas tam ſancto foederi ullo tempore interveniat. Prorſus autem hoc me abs te impetrare poſſe confido, uti interea loci, ſi quid reſidui temporis gravioribus negociis tuis diripere potes, literis tuis invicem me complecti per otium velis: quibus etiam juſtae velut acceſſionis nomine accreſcere ſines, quicquid à digreſſu meo ex abdito atque inexhauſto ingenii & doctrinae tuae penu aut in publicum jam ſe prorupit; aut adhuc intra liberalem cuſtodiam domi & in ſcriniis tuis attinetur. Scio nihil me tibi ex parte mea viciſſim imputare poſſe, praeter putida nugamenta aut moleſtas fabulas, quarum vel illic affatim vobis erit, ne tam longe ſcilicet accerſere opus ſit. Verum quae tua eſt facilitas, & benignitatis quoddam quaſi prolubium erga homullum tibi deditiſſimum, non invidebis tibi ex hoc facto gratiam, quam eo nomine ſemper apud me integram flagitare poteris. *Salmaſius* veſter, vir minime in transgreſſu nominandus, ut in quadam ejus ad *Opitium* epiſtola perſpexi, Batavi coeli moroſitate atque intemperie pluſculum offendi videtur. Eſt is quidem valetudine tenuiuſcula; ſed tamen paulatim & aërem veſtrum ferre diſcet. Notitiam viri in omni, ſed Graeca praeſertim antiquitate atque eruditione mirifice verſati, magno hercle, ſi liceret, emtam vellem. Et adeo haud mediocriter doleo, quod cum in Galliis eſſem, per ejus invaletudinem, qua tum conflictabatur, nulla mihi notitia cum eo intercedere potuerit; quamvis id unice optarem. Aſt ego temere nimirum & inconſpecte facio, qui tam longo ſermone te morer. Tu vero mihi vale, venerandum pariter, & amicum caput; dum de nobis arbitria ſua fata peragunt: quae, utcunque du-

ra & perpeſſu aſpera, ferenda ſunt. Optimum enim qua urget neceſſitas, ſponte aut praeire aut ſequi; neque fruſtra recalcitare, καὶ μὴ θεομαχεῖν. Certe de his regionibus nihil in poſterum firmi aut quieti praeſagit animus, &, quia ſemel Graeciſſari coepi, κακῶν ὁ τάλας πέλαγος εἰσορῶ &c. Salvebis plurimum à Cl. Viro *Aug. Buchnero*, qui te inter primos veneratur, e ſcriptis tuis ſibi notum: &, niſi fallor, non ita pridem affectum ſuum per literas ſibi transmiſit. Unde & ingenium viri ad unguem facti; & ſingularem eruditionem, quae ſummorum hominum amorem facile meretur, cognoviſſe te omnino perſuaſum habeo. Quare, quod addam praeterea, nihil habeo; niſi ut valeas & nos ames. Scribebam raptiſſime Wittebergae a. d. XXIX. St. Vet. XIX. ſt. n. Sept. CIϽIϽCXXXIII.

EPISTOLA CCLXIII.

PETRUS CUNAEUS

Henrico de Friſen

S. D.

Wittebergam.

Etſi ex tot tantiſque calamitatibus, quas civilium bellorum impetu incumbere in Saxoniam tuam ſcribis, nobiliſſime juvenis, dolorem ingentem capio, illud tamen apprime me ſolatur, quod ex hac cauſa ad nos redire, & Leydam noſtram, ſtudiorum tuorum quietiſſimam pridem ſedem, repetere conſtitueris. Noſti utique inter media arma hîc pacis artes vigere, atque in regione, quae militiae ſtrepitu circumſonat, tutam jucundamque requiem omnibus eſſe, qui operam bonae menti dant. In qua re ſingulare fatum Bataviae noſtrae eſt. Cum enim in Germania veſtra, atque alibi paſſim, belli fulmina, quacunque pervadunt, vaſtitatem & ſolitudinem faciant, ac literarum & artium ſupereſſe ferme nec volam, nec veſtigium ſinant, apud nos eximia quadam Dei benignitate, inter hoſtiles impreſſiones atque inter libertatis noſtrae diſcrimina, ex ipſo pene bello nata Academia eſt, & mox quo plures majoreſque emerſerunt reip. difficultates, tanto major indies pulcriorque effloruit. Cum D. *Salmaſio*, de quo mihi ſcribis, magnus mihi uſus eſt. Praelegi ei nuper partem epiſtolae tuae, quae de ipſo eſt: ac de praeſtanti eruditione tua locutus cum illo ſum honorificentius, quàm tibi referre pro modeſtia

deſtia tua poſſum. Ubi ad nos veneris, reperies virum fama etiam & exiſtimatione hominum celſiorem. Si in hac ora maritima ad inconſtantiam aëris, atque ad alia coeli incommoda, cum quibus adhuc conflictatur, ſemel obduruerit, multam lucem ingenii ejus monumenta affundent Bataviae. Quod clariſſimum D. *Buchnerum* excitaveris, ut ad me ſcriberet, gratiſſimum jucundiſſimumque fuit, atque eo nomine habes me debendi reum. Vir eſt, quem excellens animi indoles ad omne doctrinae & laudis decus armavit. Quare eum inter primos amicorum coluiſſe rem putabo glorioſam mihi atque illuſtrem. Vale, nobilitatis delibate flos. Lugd. Bat. 9. Decembr. 1633.

EPISTOLA CCLXIV.
HENRICUS à FRISEN
Petro Cunaeo
S.

Leidam.

FAtaline credam vaecordia, an quo alio vitio eveniſſe, quod anno, ſi rite recordor, abhinc plus integro, nihil prorſus tecum literarum commutare in animum induxerim, nequeo ſatis conſtituere mecum, Vir Maxime. Enimvero toto ſuperiore tempore itineribus incertiſſimis per diverſa jactatus, nec animo minus, quam ipſo corpore vagus: conſiſtere interea vix unquam, nec adeo ad ſcribendum componere memet quivi. At effugere tamen non poſſum, quin culpae hujuſce partem non exiguam indiligentiae meae patiar impingi: certe eo nomine incuſo memet ac damno ſaepe, quod ullam mihi importunitatem paſſus ſim obſiſtere, quo minus, te praeſertim haud faſtidiente, frequentior paulo eſſe laboraverim in eo officii genere, cujus cultus ſine rubore aliquo aut nota deſeri a me vix poſſe videbatur. Verum de iſthoc me plane ſecurum eſſe jam nunc jubent mores tui ad exquiſitae humanitatis laudem penitus facti. at ſi ulterius etiam ceſſavero, quae porro preces, quaeve purgatoria ſacra tam deformi noxa caput hoc ſat piaverint? Quanquam ſane plus mihi videor vel hoc ipſo peccare, quod peccatum adeo prolixe deprecor. quippe ex ſilentio noſtro, nullum tibi negocium aut labor: ſimul parcere poteramus occupationibus tuis, minusque moleſtiae tibi tacendo creare: cum detrimento affectus ac ſtudii fortaſſis ali-

quo: nullo certe judicii; ac nonnullo etiam cum compendio pudoris. cui nunc praeponderare amorem atque obſervantiam noſtram erga te prorſus ineffabilem, libenter, ut ſolet, cómitas tua admittet. Pacem nunc haec loca habent: quam firmam aut diuturnam incertum: quam neceſſariam, infelix patria teſtis eſt: cui poſt miſerabile diſcidium, diraque civilium armorum fata, & infames rapinas eorum, qui malis noſtris fruebantur, vix alio praeſentiore remedio ſuccurri potuit. Nondum tamen quieſcit Septemtrio, diſcordiis noſtris potens & cladibus ferox: nec ceſſat arma opponere quieti noſtrae, pro qua ſeſe arma nobiscum ſumſiſſe olim gloriari conſueverat. Princeps noſter nihil reliquit intentatum, quo conſilia eorum, quos penes ſumma rerum eſt, in melius flecti poſſe ſperabat: ne in ſuos quondam amicos atque ſocios optime de ſe meritos, quibus illi duris temporibus auxilio venerant, nefarias manus vertere ac ferrum ſtringere potius, quam foedus porro & amicitiam nobiſcum colere mallent: oblatae conditiones honeſtiſſimae, auri pondus immane militi in ſtipendium promiſſum, id donec perſolveretur, pignoribus caveri placuit; breviter quicquid modo aequum viſum eſt, quicquid ſalva republica tribui potuit, datum eſſe conſtat; ne ſeſe per fidem a nobis circumventos poſtea queri auſint. quae omnia ſpreta ab illis rejectaque hucusque pertinaciter ſunt: neque ullis rationibus ut bello deſiſterent, & exercitum de finibus noſtris ſine maleficio deducerent, obtineri potuit. quo haec? niſi forte parum etiam propinqui ſanguinis per civilem hanc amentiam totis campis undare vidimus; neque ſatis adhuc in fratrum cognatorumque viſceribus impios mucrones tepefecimus. Hoc nempe reſtabat, ut poſt omnia, poſtremo etiam cum ſociis noſtris gladiatorio animo committeremur. Omnes profecto, qui modo ipſum humanitatis ſenſum non penitus dedidicerunt, tam foedos & cruentos ludos mirum in modum perhorreſcunt, & in hoſtium capita deſpuunt omen. Bene tamen, quod per nos non ſtetit, quo minus omnia ſemper ad pacem & concordiam forent quam integerrima. ipſi viderint, qui (nec quemquam heic privatim incuſo) auctores rupti foederis fruſtra nos invidioſe clamant; cum ipſimet pacis jura temerarint. Interea Sereniſſ. Princeps noſter publicis literis ſevere edici curavit, uti quotquot ex noſtrate juventute adverſis in caſtris ſtipendia merent, ſimul notitiam habere coeperint iſtarum literarum, ſtatim ejurent militiam, e veſtigio-

ſtigioque domum redeant. Deus triſtiora avertat. Ex veſtris provinciis quoque non ſatis laeti nos rumores adflant: praeter enim improſpere hoc anno mota in hoſtem arma, contactum coeli vitio aërem late per eas regiones contagionem vulgaſſe, magnoque per ſingulas pene civitates ſtrage ſaeviiſſe audivimus: cujus mali diritatem te quoque ſenſiſſe, erepta dulciſſima conjuge liberorumque nonnullis, cum ex juvene quodam non ita pridem inde ad nos remeante intellexiſſem, ita ut par fuit, ex animo perdolui. eo tamen viciſſim laetus, quod ex tanto periculo ſuperſtitem te nobis literisque ſervavit manifeſtus Numinis favor: cui ſalus tua, quo ſalvo bonis eruditisque omnibus magnopere opus eſt, haud fruſtra tunc cordi fuit profecto. Si quid loci eſt apud te precibus noſtris, quaeſo quid rerum gerant, quid moliantur clariſſima ſtudia tua, quid potiſſimum agat haud infima doctorum cura nec paucis hactenus deſideratus Joſephus tuus, an lucem propediem ſperare audeat, ne differas ſcribere. Clariſſimum *Salmaſium*, cujus variam admirabilemque in omni eruditionis parte ſcientiam tot magni autores, felici curioſitate ſummoque judicio ab ipſo reſtituti illuſtratique, intra gloriam ſtare non ſinunt, multa etiam nunc, ut eſt indefeſſus plane ſtudii, praeclara minari credibile eſt: quorum ne fama quidem per hos tumultus ad nos perlabitur. Narrabat mihi ferme abhinc anno ὁ πάνυ illuſtriſſimus *Grotius*, cujus virtus praeſenti ſaeculo major (ut hoc obiter affectu nomen viri proſequar) quanta olim apud populares gloriae ipſius obliquos invidia laborabat, tantis nunc opibus ac ſplendore apud exteros culta ornataque, ingratis civibus publicum judicii dedecus vitae fortunaeque dignitate quotidie exprobrat. Is igitur Clar. *Salmaſium* parare inter alia ajebat novam Anthologiae Graecorum Epigrammatum editionem; quam utrum editurus ſit propediem, permitte ſodes ex te ſciam. Eundem ſcripſiſſe anno ſuperiore, ad Epiſtolicas Quaeſtiones *Beverovicii*, niſi nomine fallor, Medici veſtratis, quibus ille principum in eruditione virorum ſententias de Termino vitae Humanae fixo an mobili paſſim exquiſivit, librum ſatis copioſum, ubi quid quisque antiquorum philoſophorum de Fato ſcripſerit ſenſeritve accurate exponit, ab eodem mihi *Grotio* compertum. Sed quia liber publici juris non eſt, velim ſcire, ſiquidem lectus tibi ſit, an plane ineditum relinquere *Salmaſius* decreverit librum, quam doctae & reconditae, tam frugiferae tractationis; cujus ſane vellem ſaliva nun-

quam mihi mota fuiſſet: patientius omnino neſciri poterat, quam nunc ab ſciente deſideratur. Vale, Vir & Amice incomparabilis, meque amare perge; ſimul epiſtolae hujus molem inconcinnitatemque ne graveris oro: quod impetraſſe me tum demum confidam, ubi literas tuas meruero. Dabam Rochlizii ex Arce. Eid. Nov. CIƆIƆCXXXV.

Non evades, humaniſſime Virorum, quin unam etiam moleſtiam mei cauſſa ſubeas. Curae mihi eſt auctoribus nonnullis, qui in jus civile aut ejus partes, docte cordateque ac luculenter ſcripſerunt, Bibliothecam meam inſtruere. Inornatam illam inconditamque doctorum Semibarbarorum turbam, & hamaxariorum moles, operoſas legentibus potius quam utiles, nihil moror. Lectos imprimis, ipſumque ut ita dicam florem deſidero: quorum tractatio non juvet duntaxat, ſed & pene neceſſaria ſit foro aut curiae ſe paranti; quos quidem pleroſque omnes percognitos familiaresque eſſe oportebat quintum jam luſtrum pulſanti; ſed alia, utilitatis & ipſa haud poenitendae, tenuerunt me pluſculum: at ne nunc quidem ſerum ad ſolidiora progreſſum fore autumo. Unum oro, quia tuo potiſſimum judicio hac in re utendum duxi, uti auctores ipſos, quos in iſtum cenſum adſcribi adrogarique dignos tute exiſtimas, verbo mihi ſaltem notare ne defugias. Ego ſane non alio potius auctore, quid in hoc luſtro eligam maxime, didiciſſe velim, & ipſi me hercles libri honorem judicii tui agnoſcent.

EPISTOLA CCLXV.

HENRICUS à FRISEN

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

QUod ſervuli olim errones ac fugitivi factitant, idem plane & mihi uſu evenit, eruditiſſime Cunaee. Noſti conſueſſe iſtos bonos viros, ubi diu & ad ſatiem uſque heros fefellerunt, feſſos tandem miſero errore, ultro iisdem dedere ſemet ac fortunas ſuas, nihil oneris vel ſervitutis deprecantes, dum pacatos quovis modo dominos habeant ſibi, quorum indignationem noxa ſua ſciunt ſe provocaſſe.

Jam

Jam pridem factum eſt, amice incomparabilis, cum & nos emanſores fuimus, & quantulo minus, obſecro, quam transfugae partium illarum, quas & amicitiae leges & debitae tibi obſervantiae religio cum primis a nobis exigebat. Nunc anno demum poſtquam vincula iſta rupi, ni fallor, quarto tanquam ex longa aberratione & fuga iterum ſiſto memet in viam atque ad officium redeo. Nec aram tamen aut precatorem aliquem paro mihi, cujus conciliatu clementiam tuam eblandiri tentem. Ipſe venio; fretus ſingulari humanitate tua atque erga me benevolentia: ut quantum unquam amore & gratia valere apud te potui, nunc experiar. neque vero aliud luculentius ejus rei documentum ceperim, quam ſi per ſilentii noſtri culpam nihil tamen intellexero deceſſiſſe de ſummo tuo propenſiſſimoque erga hominem hunc affectu. Et certe abſolves me, auguror, ubi perpendere volueris tecum, literarum tantummodo illam fuiſſe intermiſſionem; non obſervantiae, non illius cultus, quem eximium neque deſiturum perpetuo deferre amicitiae tuae decrevimus: cui ut ego me longe imparem meritis eſſe ſcio, ita fide, candore, conſtantis & averſi à falſo animi dote eam aequabo. Praeſtiturus abunde, ſi, cum alia omnia ad promerendum favorem tuum mihi deſint, ſaltem intelligere ſatis poſſim, quantum illud ſit, quod a me debeatur tibi pro tam illuſtri munere, cujus memoria extabit ſemper & victura eſt in animo meo, una cum veneratione profunda virtutum tuarum, nolentibus necquicquam invidis, maximarum, eminentiſſimarum, celebratiſſimarum gratis famae praeconiis per univerſum terrarum orbem. quarum ſublimitas ac ſplendor, qui nigras & rubiginoſas animas male urit, ſi quoties admirationem a me exprimit, toties id tibi praedicare poſſem, jam conſtaret profecto tibi, nihil me aut habere antiquius, aut frequentius meditari ſolere, quam ingentes illas & palmarias animi tui dotes, quae tot praeſtantia clariſſimaque, & quod caput eſt, nihil aut ex vario aut aliorum obtrectatione trahentia decora tibi & jure & merito compararunt. dum laborum tuorum non aliud praemium affectas, quam ut latiſſime proſis bene praeclareque, cum de noſtra aetate, tum de ſaeculis omnibus merendo. Quod ſicut pauci eorum, qui hodie literas tractant, propoſitum habent; ita paucioribus haec res feliciter ſatis expetit. vel quod magna pars minime parati veniunt ab iis artibus, quas niſi attuleris, operam luſeris; quasque in te praeſens aetas ſtupere cogitur: vel

quod

quod plurimi etiam morbo quodam τῆς κακοηθείας praecipites ſunt; dum ſe ſic demum doctos & vere eruditos probatum iri confidunt, ſi aliis quam virulentiſſime & cofidentiſſime maledixerint: quae ſcabies hoc aevo ſacrum ordinem cumprimis inceſſit, quos nihil pudet ferme (bonos hîc & probos viros non tango) conviciis potius, quam argumentis pro veritate dimicare, & probra invicem ſibi ingerere, vix cauponibus nautisve aut lenonum pueris digna. Sic altercando veritas amittitur. Sed enim relinquere eos ſatius eſt cum iſtis moribus. Saeculi iſthaec corrupti vitia ſunt: cui emendando tu tuique ſimiles nati eſtis: quod facis, dum veram eruditionem rara quadam candoris & probitatis laude citra imminutionem cujusquam ſtrenue is promotum. de quo cum alia multa, tum fidem optime faciet, ſpero, ſimul publicum videbit, Joſephus tuus. quem utinam ſineres aliquando effringere privatae cuſtodiae clathros, quos jamdiu geſtit erumpere. Nihil facere & ad exiſtimationem tuam praeſtantius, & ad deſiderium eruditiſſimi cujusque exoptatius poſſes. Et tamen reipublicae literariae vel maxime intereſt, ne diutius fraudetur illo opere, cujus perfecti edolatique gloria ad te ſolum, utilitas ad omnes in univerſum literas profitentium uberrime permanabit. Certus ſum nullum unquam autorem ſecundiore applauſu exceptum iri, quam eum, de quo ſermo eſt. quippe cujus ſuper propriam nobilitatem, tuum etiam meritum pretium accendet. Memini in eadem ſententia eſſe illuſtriſſimum heroëm *Grotium*, τὸν θαυμάσιον, cum ante hos aliquot annos Francofurti ſermo nobis de hac re ortus eſſet: cujus & judicium & auctoritatem ſcio te minime contemnere ſolere. Et ſane ſi quem alium, hunc praecipue noviſſe videor judicem talium longe ἀκριβέστατον. Solebam quondam creberrimas ad eum literas dare; nunc ex quo bello miſerrimo iſthaec nobis diremta commercia ſunt, diu eſt cum nihil de eo accipi. Beabis, nos ſi quid de rebus ejus comperti ad nos perſcripſeris. Nam ultimas illius ex Galliis ante hoc biennium accepi, cum primum eo ſe conferret Legati munere ad Regem Chriſtianiſſimum functurus. Poſtea vaſtum inter nos ſilentium tenuit armorum tumultu increbeſcente. τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. D. *Salmaſium* τὸν δαιμόνιον multa nova muginari audio, neque cujus argumenti ea ſint tamen, certi quicquam adhuc intelligere potui. Tu, niſi moleſtum ducis, id optime mihi explicabis. Non poteſt ſane quicquam, niſi magnum atque excellens, procudi ab in-

ingenio admirationem parere nato; tam inſuper ſtupenda rerum ac ſcientiarum penu copioſiſſimo, ut nihil ferme in omni antiquitate videatur adeo irrepertum aut abditum eſſe, quod is non ilico in numerato habeat. Magni aeſtimarem amicitiam ejus, ſi qua daretur eam nanciſci: id, niſi praeſens praeſentem aliquando complecti potero, nunquam mihi perfectum exiſtimabo. Omnino confido hujus voti me fore compotem, ſimul per bellicos fremitus, queis undique adhuc territamur, licuerit mihi eam, quam deſtinavi, profectionem ſuſcipere. Liber enim ſum; omni ambitu averſus ac ſolutus ſum: cetera denique juris mei, niſi quatenus optimis atque aequiſſimis parentibus ſalvis adhuc, (& ut diu ſint precor) lenibus eorum imperiis cedere ſponte, pium ac decorum arbitror. Alioquin nullius publici officii neceſſitudine ſum conſtrictus; nec niſi difficulter potero adduci, ut honorificae hujus ſervitutis fraeno os praebeam. cum tanti mihi fuerit hactenus libertas mea, ut eam oblatis etiam & ingeſtis ultro apud Principem honoribus, quibus apiſcendis alii fortaſſe omnia facerent, nunquam mutare voluerim. Sed ut revertar ad *Salmaſium*, ſcio, cum primum in urbem veſtram ſe conferret, non optime ipſi convenire cum *Heinſio*; inimicitiis eo periculoſioribus, quo magis opertis: quae tamen non eſt ut tuam notitiam effugere potuerint, cum ad nos quoque ex tanto intervallo ſint perlatae. Fortaſſe tamen & huic rei longa dies medicinam fecit, animosque cauſis neſcio quibus divulſos redigere in unum potuit: quod dubium eſt, ſperare magis debeam an cupere, pro eo honore, quo eos ambo proſequor, alterius etiam non vulgari amicitia, quod non ignoras. Quare ſcire per te, quicquid eſt ejus, ſane quam aveo. Nos interea meliora piis ominabimur. Si quid novi enixae ſunt Muſae veſtrates, quas ſcio nunquam non aliquid parturire, id mihi ſignificabis valde cupienti. Apud nos magna ejusmodi annonae caritas eſt. Omnia artium honeſtarum literarumque praeſidia bellum nobis eripit; cujus immanitate Muſae etiam ipſae quodammodo ἐκβαρβαρῶνται. Excuſarem longitudinem epiſtolae hujus, niſi ſerum jam foret excuſare id, quod in poteſtate mea erat ne excuſandum eſſet. Pol credo te exiſtimare id opera conducta a me actum his literis, ut ab earum lectione te non ante quam laſſum confectumque dimitterem. Da nobis hanc veniam, obſecro, ne graviter feras noſtram hanc tecum garriendi familiaritatem, & ut voles, nobis viciſſim utere. Tui enim

ſu-

ſumus; nec mutabimus. Vale, mi doctiſſime Cunaee, &, ut dixi, nos totos tibi habe. Dabam Dresdae. Menſ. Apr. Ch. CIↃIↃCXXXVIII.

Literas, quas reponere mihi volueris, quando viſum erit commodum, ad *Buchnerum* diriges; inde porro ad me certo itinere perrecturas. idem quoque ad Cl. *Heinſium* ſcripſi.

EPISTOLA CCLXVI.
HENRICUS à FRISEN
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

SOllicitat iterum diligentiam meam, Cunaee Clariſſime, ſtudium erga te meum, & a ſcribendo adhuc recentem ad easdem rurſus retrahit partes. Nam etſi videar omne argumentum exhauſiſſe iis ad te literis, quas proxime longiſſimas dedimus; ne tamen ullam occaſionem teſtandae erga te obſervantiae meae ſpreviſſe videri queam, vel ſpiſſare officium lubet, dum ignaviae ſuſpicionem hoc pacto a me amittam, ſimul ut ex temet ipſo ſciam, utrum redditae tibi ſint ſuperiores iſtae, quibus excuſare tibi aggreſſus ſum priſtinum ſilentium meum, adeo hercle intemperanter & prolixe, ut, cum te utique occupatiſſimum norim, niſi & humaniſſimum pariter ac ſumme praeterea noſtri amantem te perſpexiſſem, laborandum mihi eſſe heic putarem, ut illud ipſum excuſem, quod excuſari tibi tam nervoſe voluerim. Quis publicae rei noſtrae ſtatus ſit, narrare ſuperſedeo. neque enim id ſine multis queſtibus & acerbo gemitu abiret. Quid autem attinet te in regione profundiſſima pacis alumna amplecti beatiſſimum illud & fertiliſſimum bonae frugis otium, ſi tamen effugere non poſſis, quin armorum noſtrorum fremitu ac ſonore ego ſubinde felicitatis tuae tenorem interpellem? Fruſtra in ſinum illum altiſſimae quietis a bello receſſiſti, ſi tamen belli mala ingratiis audienda tibi ſunt aut accipienda literis noſtris. Proinde nolo te, ſumme Amicorum, in earum miſeriarum partem vocare; quas non minus tibi forte moleſtum intelligere ſit, quam nobis fuit eaſdem pertuliſſe. Tandem id dico, non aliud temere fuiſſe tempus, quo tot invicem caſi-

caſibus commiſſis, magis ac nunc in ancipiti ſpei ac metus haeſitaverint res noſtrae. Quantum momenti detraxerit partibus noſtris Reinfeldiana clades, & in ea tot praecipuorum ducum captivitas, ſentiunt etiam qui palam fateri indignantur. In iis partibus, quae noſtris exercitibus infeſſae, paulo felicius adminiſtratae res ſunt; neque tamen absque notabili copiarum detrimento, quae in vaſto & ſpoliato Pomeraniae ſolo, miſera fame & cunctis neceſſitatibus circumventae, laceras & debiles cohortes ac deſtitutas aquilas aeſtivis reddunt; eo potiſſimum tempore, quo, ſi integrae ipſis vires ſupereſſent, tentare aliquid in hoſtem poſſent. Quod ſi pars quaedam Gallaſſiani militis ex Pomerania abduceretur, ad Rheni limitem contra vim Gallorum tutandum; (id quod multis non ſine cauſa in metu) quis dubitat, quin hac repente incubiturus ſit Suecus, qua validiſſimis legionum ab reliquo corpore abruptis, apertum ſibi latus, & minores ad reſiſtendum vires adſpexerit? Quod ſi fit, magno haud dubie erit malo noſtro, qui huic aleae vicini; nullam niſi in ſupremo Numine ſpem ponimus, cujus eſt expedire κἀξ ἀμηχάνων πόρους: alia enim infirma ſunt. Quam vellem nunc tecum, eruditiſſime Cunaee, in ſacro illo Muſarum tuarum ſeceſſu abditus degere; ubi a tantis patriae meae calamitatibus ſeductus ac liber, quotidie poſſim aliquid audire ex te ac diſcere, unde & a doctrina paratior, quam ſum, & a ſapientia fieri inſtructior! Quis enim ea, queîs haec res conſtat, te uno vel docere δεινότερος? vel ad haurienda ediſcendaque doctiſſima oracula tua, me avidior? Vale, ſapientiſſimum pectus, & nos in tuis habere nunquam deſine. Dabam Dreſdae a. d. XVII. Kal. Maj. A. CIƆIƆCXXXVIII.

EPISTOLA CCLXVII.

RODOLPHUS DE MAN

Petro Cunaeo

S. P. D.

Leidam.

Occaſione deſtituto, virorum Ampliſſime, uti plerumque fit eo tempore, quod viſendis amicis datur; (quo alterius potius quam noſtri ſumus) atque adeo praepropera deinde diſcedendi oborta neceſſitate prohibito catalogum hunc librorum excerptorum de manu in manum reſtituere

ſtituere tibi integrum non fuit: quem nunc ecce his incluſum damus. Equidem profecto errorem commiſſum animus ipſe noſter mihi dictat. & habes confitentem reum. Etenim cum humaniſſima liberalitas tua, & liberaliſſima ſimul humanitas dignata me foret honore impartiendi indicii iſtius, quo ſummo adoleſcenti *Oxenſternio* gratificatus fueras, certe negligentia, aut potius ingrati declinare notam animi nulla exceptione poſſem, quin tenerer manifeſto, abſque iis foret, quibus nitor, adminiculis. Nempe illius quidem culpae cauſam qualemcunque ſupra poſui; ſi modo ejus rei honeſte praetexi poteſt aliqua, cujus omnis, vel ſpecioſiſſima, etiam turpis eſt allegatio; cujus uti nullam opus ſit adferre, rationem ego ſemper habendam duxi maximam. Hujus vero mea me abſolvit conſcientia, quam Deus immortalis nunquam ſinat uti nos ejuremus: cujus tanta vis, tantum tamque pertinax in mentem animi ac ſenſus noſtros eſt imperium, uti confeſſionem rerum officientium, nedum acceptarum, etiam exprimat nolentibus. Eam utique qualem in modum devinctam eſſe tibi oporteat, dubitare tu non potes, qui ſcis, quam bene de me ſis meritus. Utriusque ſane, quam teſtatam mihi facere tibi placuit non ſemel, benevolentia tua ſingularis ac facilitas. Lubet, ſi licet, detortis huc venuſtiſſimi Venuſini Poëtae verbis concludere:

Peccatum fateor, tibi quod non tempore juſto
Reſtitui tabulam, ſed des veniam bonus oro.

Si licet, inquam. Vereor namque, ne recte & ordine faciam atque lenitate quadam largiter peccem in Domini obſervantiam, qui tantum mihi permittam. Verum enimvero ſcio ego haec taliaque, quaſi ſcintillas quaſdam & ſpecimina erectioris indolis, non omnino diſplicere tibi, praeſertim in iis, quibus quaſi muneri conceſſum aliquando fuit eſſe tam felicibus, uti verſati ſint ſub te magiſtro: quibus contigit primis iſtis annis, non dicam, imitari (quod fruſtra quidem ego ſemper ſum conatus, & vix quiſquam aſſequatur) ſed mirari modo, non adſcitum, ſed innatum illud oris tui decus, atque elegantiam ſtyli, in quo (citra adulationem loquor) omnes colores omnia pigmenta, totum denique, quantum eſt, myrothecium Veneris & Gratiarum conſumere atque exhaurire te, diffiteri nemo poterit, qui ſine odio, ſine ſtudiis ingenue judicabit. Id quod neſcio an latiorem confidentiae meae feneſtram aperuerit. Nae ego, quoties uſu venit, refici aliquatenus me ſentio,

tio, ſi quando obliterata memoria, in ſcribendo, hinc inde quid ſuggerat eorum, quae occaſione, ut jucundiſſimi, ita vere utiliſſimi ſtudii, quod ſub ductu tuo exercebamus, luſtrare & colligere ſolebam. Nimirum habet hoc, ſi non ſemper pretii ac fructus (qualis non degeneribus optandus foret animabus) ſaltem ſolatii omnis exercitatio atque dulcedinis, uti non niſi cum voluptate meminerimus ante-laborum. Eſt profecto, eſt occulti quiddam, neſcio quid, cujus nos fugit ratio, uti, quum eo certis quibuſdam delabi contingit intervallis, modum excedamus; nec temperemus nobis, quod in omni negotio eſt apprime pulcrum: haud ſecus atque illis evenire ſolet, qui violentia atque aeſtu fluminis ducti delatos ſe ad ripam aliquam vident citius, quam vehi Sane in me id ego deprehendo, nec niſi ſero; ferimur quaſi, non imus prae impetu, qui nos urget atque impellit; imo abripimur nec ſentimus. Atque adeo fit, uti τοὺς τοῦ πρέπου limites fervore quodam non advertamus prius, quam egreſſi ſimus.

Conſcripſit * *Erycius Puteanus*, Stateram Belli & Pacis, quae in ore ac manibus hominum verſatur; ſtylo, ſi quid video, Lipſiano aut non uſquequaque diſſimili; cujus audivi ſectatorem fuiſſe aliquando, & poſtea ſucceſſorem. Argumentum amplum & diffuſum. In quo, quia recte atque artificioſe interdum, nonnunquam vix felix, partibus ſuis ſtudet, dextre excuſat alibi, ſe juxta regulas idem non tractaſſe. Ferunt autem Clariſſ. Domine, te illius Staterae examen preſſiori quaſi brachio examinandum ſumpſiſſe, atque adeo in lucem aut edidiſſe, aut certe editurum quam proxime. Quod etſi fieri poterit, ut neutiquam te fugiat (quem ſummorum virorum undecunque, etiam a remotiſſimo orbe, communicatio vix ſinit praeterire quidquam) exiſtimavi tamen, quae mea eſt ſemperque fuit, in nomen dignitatemque tuam propenſio, per haſce literas minime committendum, uti te celarem. Nimirum id quoties contingit, tum demum animum meum expleſſe mihi videor; (quanquam hercle ego utrumque aliis forte ſatisfece-

* Hoc libello periculum ſibi magnum pene conciverat *Puteanus*, de quo ex epiſtolis *Voſſii* & *Barlaei* omnia diligentiſſime ſatis congeſſit. *Byllus* in Lexicum ſuum Hiſtor. Crit. in *Puteano* t. III. pag. 2397. Ubi & de Anti-*Puteano*, ab anonymo contra hanc ſtateram ſcribente, agitur. Vid. & *Verton* des Satyres qui portent le titre D'Anti, t. II. p. 256.

fecerim, mihi ipſe nunquam ſatisfacio) &, ſi non ſolviſſe, quibus artiſſime conſtringor, acceptorum beneficiorum vinculis, at laxare quodammodo eadem me, neſcio qua perſuaſione, ſemper ego credidi. Equidem licet hoc ab hominibus non infimi loci atque ordinis acceperim, inducere tamen in animum non potui fidem uti adhiberem meam, neſcio quo obſtaculo. Poteſt autem ut fallar. Ut ut eſt volui ſaltem intelligere te, curae mihi fuiſſe, uti neſcius ne eſſes. Et ſicut ad nomen ſtatim Cunaei ardor animum cepit videndae iſtius tuae operae, ita reſpondi ex intimis affectibus, attamen vere ſi viſum tuae dignationi foret, ſubtrahere tantillum otii ſummis occupationibus, & calamum cum animo, omnium capaci, paulisper commodare excutiendae iſti ſcriptiunculae (ut autor vocat) perſpicue & dilucide viſuros deprehenſuroſque nos exactius examen, atque adeo verius aequilibrium iſtius Staterae: conjunctum cum elegantiſſimo genere ſcribendi judicium ſubactiſſimum & uberrimam rerum copiam. Utinam videamus! Sed manum de tabula. Iterum impingo ad illud Saxum, unde, niſi ictus, non caveo. Studium in te meum, vir Ampliſſ. & multis nominibus colende, facit, uti longior ſim, quam aut me decet aut tua fert conditio. Fateor equidem ſufflaminandum me, ubi incaleſcit animus; quo fere modo argutiſſimus Auguſtus reprehendebat ſuum iſtum oratorem. Libertatem, quaeſo, boni conſulas, qua utor, aut abutor verius, dum poteſtatem ac licentiam, quo jure, quave injuria, mihi tribuo tam familiariter tecum agendi.

Ego omni officio, ac potius pietate tibi me devinctum eſſe & ſenſi ſemper, & qualibet occaſione (quam offerri geſtio) non obſcuris documentis teſtabor, quoad vivam. Velim, hercle, perſuaſum tibi habeas; ſine fuco me loqui. Verbis, medius fidius, dici non poteſt, quam ab iſtoc hominum genere mea ſemper ratio indoleſque abhorruerit, qui

— *compoſita dicta pectore evolvunt ſuo*,

& diverſum ab eo quod ſinu claudunt, lingua promunt. Sollennibus aut conceptis non utor. Sed, ſi quid, non dico artem, ſed propenſiſſima voluntas mea atque ſtudium, quod in dignitatem tuam ſane eſt quam maximum, effectum tibi dare poterit, comperturum ſpondeo, nunquam fore, uti te poeniteat vago errantique digitum intendiſſe ad viam, aut operam male collocaſſe. Vale & ſalve vir Clariſſ. Delphis Batav. VII. Eid. Quintil. CIↃIↃCXXXIII.

EPI-

EPISTOLA CCLXVIII.
PETRUS CUNAEUS
D. Rudolpho de Man
S. D.

Delphos.

VIr praeſtantiſſime. Literae tuae, quas nudius tertius accepi, mirum in modum jucundae & gratae fuerunt. Nihil enim eſſe mihi dulcius poteſt, quam ea cernere, quae a te proficiſcuntur, quem & praeſentem ob ingenium ad omnem virtutis & doctrinae excellentiam natum vehementer amavi, & abſentem abſens honorifica ſemper laudatione proſecutus ſum, qui exiſtimem aliquid te eo nomine mihi debere. Quoties enim indolem quamcunque rectam & praeclaram juſto affectu amplector, non id gratiae apponi volo, ſed totum hoc moribus meis tribuo, & ſponte facio, neque aliud ejus rei cupio pretium, niſi feciſſe. Nimirum ita res eſt: poſtquam in hoc mundi ſenio pleroſque putidiſſimarum rerum invaſit ſtudium, videor mihi quaſi avem albam videre civem aliquem, bene de vero literarum & jurisprudentiae cultu ſentientem. In ea autem re cum judicium tibi & ſingulare & eximium ſit, gratulor tibi has animi dotes, quas in te collocavit coeli benignitas. Quod intellexiſti me aliquid in *Erycii Puteani* ſtateram commentari, ſomnio ſimile eſt: nunquam quippe de eo cogitavi. Sed & imprudenter facerem, ſi quid hîc tentarem. Abunde enim multas rationes non ignorant illi, qui regundae reip. noſtrae praeſunt. Id modo optandum eſt, ut eas ex bono & aequo, poſitis partium ſtudiis, ſequantur. Quod ſi quid horum, quae celari ſatius eſt, in vulgum proferas, quidquid tetigeris, ulcus eſt. De D. *Barlaei* in illam ſtateram judicio aliquid ex aliis audiveram. ſed cum mihi familiariſſimus ſit, neque quidquam ſignificaverit, vix credo. Vale, vir praeſtantiſſime, &, ubi Leydam veneris, me viſe. Lugduni Batavorum, 12. Julii 1633.

EPISTOLA CCLXIX.
R. DE MAN
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

VIrorum Ampliſſime. Literae tuae redditae mihi ſunt 12. hujus menſis. Ruri per aliquot dies fuimus animi recreandi cauſa; unde factum eſt ſerius me ad eas reſpondiſſe. Gratas & jucundas fuiſſe tibi, id mihi fuit tam gratum, quam quod gratiſſimum. Nihil enim eſſe mihi dulcius poteſt. Quod ſcribis te, eo tempore, quo (ut Perſio utar) ſub docto pollice tuo ducebam vultum aliquem literarum & Jurisprudentiae, qui modo cadere in duritiem noſtram poterat, amaſſe me praeſentem, & abſentem merita laudatione ſemper proſecutum atque adeo non diſplicuiſſe me tibi; id gratulor mihi, utpote tali viro. Etenim tam

Eximiis placuiſſe viris non infima laus eſt.

Gratulor, inquam, ſed mihi tantum non tribuo. Etenim id ego ita ſum, interpretatus, qui mihi maxime notus ſum ac conſcius; cui adeo, parum admodum ſupereſt, ut nihil ſciam; commonefacere & exhibere me mihi volueris, non qualis forem, ſed qualem eſſe oporteret eum, qui ſub te duce militaſſet verae, non ſimulatae Sophiae; ac veluti emanſorem revocare, atque excitare ſegnem calcaribus bonae mentis. Etſi autem nihil a me exigas eo nomine, tamen profecto is ego ſum, qui nihilominus exiſtimem, & exiſtimavi ſemper, me tibi debere plurimum. Nec unquam efficiet tua humanitas, uti ego mihi perſuadeam feciſſe ſatis; aut ſoluto apponam id, quod liberaliter remittis. De Statera *Puteani*, video jam facile errorem fuiſſe in agnomine *Barlaei* & *Cunaei*, qui tamen ſatis eſt craſſus. Nimirum ita res eſt. Multum decipimur plerumque rumoribus! minimaque pars eorum, quae agitamus quotidie in colloquiis, in conſortiis, vera eſt. Tum quod divulgatum eſt ſemel, vires ſtatim ſumit eundo; nec conſiſtit ibi, unde cepit. Mihi utique commentum non placebat, nec fiebat veriſimile, ſi te noſſem. Equidem teſtatum tibi facere volebam, curae mihi ſerio fuiſſe tui obſervantiam; cujus, ego me cultorem profiteor fuiſſe ſemper, & futurum.

rum. Vale, Vir Ampliſſ. & me favore tuo atque propenſo adfectu amplecti porro dignare. Delphis Batavorum, 21. Julii 1633.

EPISTOLA CCLXX.

JOHANNES CABELJAVIUS

Petro Cunaeo

S. P. D.

Leidam.

DE novis illis Athenis, Cunaee Clariſſime, multi ad me multa. Ego vero indies exſpecto, quid Amici praeſtituri ſint. inter quos cum tu equidem haud poſtremus es, non immerito de tua fide mihi quidvis polliceri pergo. Dubitas, an ſatis mihi honorificum putem, tali munere fungi. Quid dicam? Prout mihi, tu & noſter *Heinſius*, conſulueritis, ita me componam. Nihil agam aut admittam, in ſtudiis praeſertim, niſi vobis ſuaſoribus. Interim Socer meus valde mihi commendat ejusmodi ſtationem. Noſti, qua mente fiat. Utut fuerit, nihil perſuaderi mihi ſinam, niſi quod cum laude & honore ſit conjunctum. Gratiam tibi ſummam habeo, qui de exiſtimatione noſtra tam ſollicitus ſis. id enim, niſi ab animo Cabeljavii tui ſtudioſiſſimo, non promanat. Utique me ad majora accendis, qui majoribus me dignum exiſtimas. Et hoc eſt, quod ſcribis, te ita rebus meis proſperis favere, ut etiam cuperes, ſi poſſes, majoris mihi fortunae faber eſſe. Quo nomine tantopere laetor, ut triumphare non dubitem, me a Cunaeo, id eſt, Viro divinis virtutum omnium ac ſcientiarum laudibus digniſſimo, amari. Ut ſcribit *Baudartius* noſter, ita tu in rem quidem meam, ut profecto potuiſti maxime. Sed & hoc luculentiſſimum tui in me adfectus argumentum eſt. quod jure magni facio, exoſculorque. Illi, queis me commendaſti, ſummo te loco habent. ut dubitandum non ſit, quin petitioni tuae gratificaturi ſint. Non dedignaberis mihi ſignificare, quid praeſtiterint, vel ideo, ut ſciam, quos nomine tuo colam. Eruditiſſimus *Rivetus*, etiam tuo exemplo uſus eſt. Noluit & noſter ille *Heinſius* hac in parte claudicare videri. Ut profecto vos omnes certatim videamini uni promiſſioni deſudaſſe. Superi nunc porro adſpirare velint! In quo toto ſubſiſto. Eſſe multos, qui invideant mihi matrimonii nuper initi conditionem,

quid mirer? ita enim mortales paſſim comparati ſunt, ut aegre felicitatem alterius ferant. Nemini benedicit Deus, cui non continuo maledicat Livor. Non ſic umbra corpus, ut iſte ſucceſſus meliores comitatur. Felicem eſſe, & inviſum ſimul, ne regi quidem contigit. Obſtaculo habetur, quicquid eminere videtur. quinimo,

Ut alta ventos ſemper excipiunt juga.

Ita quoque ſemper Deorum munera humanis calumniis objecta ſunt. adeo mox inofficioſum putatur, quod proximo accedit. Hoc unde, niſi, quia nemo ſua ſorte contentus eſt? quisque cumulari geſtit. nemo legem Naturae ſuſtinet. ſemper reſtat, quod curtae adhuc rei additum oporteat. Nunquam fortuna tam benigna, quae omnino ſatisfeciſſe praedicetur. Semper alteri plus indulſiſſe reputatur. Qua opinione ducti, facile tacitis invidiae facibus incandeſcunt. &, ne fruſtra ſe macerare videantur, plerumque eo ſimul incumbunt, quo demum etiam ignominiae, ſi poſſint, involvant, quem merſum cupiunt. Quod evenire hodie, admirandum minus, quam dolendum eſt, poſtquam nunc ſeculo premimur gravi, & magis indies ac magis

Collecta vitia per tot aetates diu
In nos redundant.

Qui meam mihi Conjugem invident, nimis mecum inhumaniter agunt. Si quid exinde ſeſe laeſos arbitrentur, mihi ſaltem imputari non poteſt. Cum Dîs, ſi auſint, expoſtulent. Coelitus enim mea mihi obtigit. & quid iſti boni me opima dote habeant indignum, quando ſic in fatis fuiſſe nemo neget? Quis jure Cabeljavio portum invideat,

Qui toties crudas Arctoo ſidere noctes
Pertulit infelix, ſollicitasque vias,
Invictus ſolo Dominae, quo carpitur, igne
Spes inter dubias, ſollicitosque metus,
Codanosque ſinus, infeſtaque milite caſtra,
Quaeque mari ac bello ſaeva minatur hyems?

Nec eſt, quod Invidia praeſidium aliquid ab Heroïna mea expectet. Duxi generoſam, & amantem ſui Cabeljavii,

Βαρεῖαν ἐχθροῖς, καὶ φίλοισιν εὐμενῆ.

Inconſulto itaque faciunt illi, qui mea cauſſa fruſtraneo livore contabeſcant. Sed, & quorſum? Nil profecerint. Jam pridem enim didici, vel aliorum exemplo, injuriam perferre. Quando mihi bene conſcius ſum, nihil prorſus metuo, quicquid alii effutiant. Non propterea repudiabi-

ur

Google

tur virtutis ſtudium, ſi vel maxime me urgeant. quinimo potius tanto animoſior incumbam, quo per alta mundi ſpatia ſublimior diffundar. Interim non deſinam degeneres oblatrantium conatus vel ridere, vel patientia elidere. Caeterum, quid profuſior eis, quae me non tangunt, immoror? Finio ergo, & te plurimum ſalvere jubeo. Vale, Vir Incomparabilis, & me ama ſolito. In Nuclano nobis inviſo. Calend. Febr. CIↃIↃCXXXIV.

Hunc *Cabeljavium* ſup. Epiſt. CLXVI. commendaverat Ultrajectinis *Cunaeus*. Quis ille fuerit pene ignoro. in *Valerii Andreae* Indice *Joannem Cabillavium* video indicari, ſed in ipſo opere fruſtra quaeſivi . . . prodiit Hafn. 1626. ipſius centuria Epiſtolarum, & deinde Leidae 1632. quae ſcriptoris genium declarant. De his Epiſtolis videtur mihi agere *Vinc. Fabricius* Epiſtol. p. 270. ubi Chiliadem adhuc promittere ait, nec benigne admodum de auctore ſentit, noſque iis carere potuiſſe, judicare videtur. Caeterum *Cabillavii* multi ex Flandria in Patriam noſtram, per Tyrannidem Hiſpanorum ejecti tranſiere, quorum poſteri adhuc variis in locis florent. ex hac gente, domi nobiliſſima, fuit etiam Vir Reverendus *Johannes Cabillavius*, Collegii Ordinum hîc Leidae olim Rector, Theologus inſignis & doctiſſimus, cujus Filius *Petrus* hodie vivens, mecum communicavit *Joannis Jacobi Chifletii* Epiſtolam ad *Joannem Cabeljavium* noſtrum, qua Senatus Gandenſis teſtimonium de nobilitate & ſplendore gentis *Cabeljaviae* ipſi mittit, ſcriptum A. 1631. XI. Junii, & Secretarii ſigillo munitum. Ipſe *Chifletius Joannis* noſtri Patrem *Abrahamum*; & Avum *Joannem*, eorumque uxores, etiam ex nobilibus gentibus ortas, illius *vander Meer*, hujus *vander Bruggen*, & avias etiam & proavias, recenſet, gentiumque inſignia, quibus conſpicuae erant, addit. Maxime vero floruiſſe *Cabeljaviam* gentem Aldenardae, ubi Sepulchra gentilitia ſunt, docet *Marchant.* lib. II. Flandriae p. 268. qui memorat ſub *Philippo Audaci* Comite Flandriae *Joannem Cabeljavium* inter nobiles. An vero hae literae editae ſint ignoro. prima enim Centuria non eſt ad manum. in altera vero non inveni.

EPISTOLA CCLXXI.

JOHANNES CABELJAVIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

QUam deſultoria ſit vita hominum, Vir Clariſſime, non eſt, cur aliunde diſcam. Ipſe mihi documento ſum. Quod utinam eſſet aliter! Modeſtior mihi genius, quam cui aeſtus ille vehementer placeat. tamen, ut paret, nondum apricari licet, ſolas litteras amanti. Nuper meus eram, nullis humanarum jactationum undis immerſus. Nunc vero, poſtquam uxorem duxi, facile ea intercurrunt, quae ſublimitatem cogitationum vel ſternant, vel remorentur. Etſi gloriari interim non erubeſco, eam mihi obtigiſſe conjugem, quae, cum omnibus animi ac ingenii virtutibus, quas admittit iſte ſexus, eminet ac excellit, tum vero maxime vitae meae convenit. Quid dicturus igitur? quid facturus? Decurrendum hoc ſtadium, quo fatorum arbitrio licebit. Interim pergo litterarum ſtudiis nomen noſtrum extendere. minus tamen feliciter, quando hactenus à te, mi Cunaee, à caeteris, abeſſe cogor. Miraberis, quid his in oris tamdiu ſedeam. fit illud, crede mihi, invitis Muſis noſtris. Decreveram, hoc plane menſe, redire in Hollandiam. Et jam eo totus deſudavi. Sed, quae incumbit nobis, non patitur, Provincia. Clariſſimus atque candidiſſimus mortalium, *Baudartius*, qui has tibi tradet, rem totam enarrabit. Hoc licet ita ſit, nolim tamen propterea, Cabeljavium vel negligi, vel obſcurari, cum primis vero te rogo, ne ſolito nos amare deſinas. in eo enim maximam felicitatis meae partem colloco. neque immerito. quippe tu ille es, qui ſi meorum quiſquam, ſerio mihi cupit, meaque ſtudia promovere amat. Quod facile nuper, cum me ex Germania reducem amplectereris, perſpexi ac cognovi. Non omnes ita mecum agunt. Multi, multa mihi. Sed, quo eorum fides aut candor liqueat, praeter magnifica verba, nihil. Quales ſufficere putant, ſi vel blanditiis ac promiſſis amicitiam frequentent. quod ut aulicum habetur, ita tandem auctori nocet maxime. neque id ſecus eſſe poteſt. qui enim mendacio utitur, mendacio plectitur. Ut non mirum ſit, qui te prae caeteris, ob can-

candidiſſimum tuum erga me adfectum, & amem, & colam, & aeſtumem. Noſti meum in te animum, noſti pietatem meam. Blandiri videar, ſi vel tuam pluribus ingenuitatem praedicem, vel meam commendem. Novimus nos inter nos. Quod ut perennet, Deum meum precor. Ultrajecti, ut audio, novae extruuntur Athenae. Non negarim, eis militare. vel ideo, quo tandem unam tecum arenam fatigare liceat. Quid celem? te quidem, cui non obſcurum eſt, quorſum ſtudia noſtra potiſſimum aurigentur. quamquam fortaſſis praeſtaret, alio adſpirare. Quod ideo loquor, quando non ignarus ſum, quam ingloriis modis noſtrates ſoleant ſpartam ejusmodi ambire. Nuper vidi, nuper expertus ſum. ut exinde propemodum decretum fuerit, nunquam poſthac amplius commendatas nuper vices iterare. Ita ſciolis iſtis obſtaculo non fuero, quos vel res anguſta domi premit, vel ſtulta urget ambitio. Nobiliora Muſarum ſacra eſſe reor, quam quorum cultus illotis ac jejunis cedat ingeniis. Quod dum hodie ſusque deque habetur, quem non ſeculi hujus morum taedeat? quis Academiarum Curatores valde laudet, qui hac in re ſe exorari ſinunt? Plura non addam, quae tamen plura novi. ne ſaltem videar, bile magis, quam juſta ratione, commoveri. Noſti, mi Heros, noſti, quid in re tali committatur. Sed deſino ego tollere pallium. Ad priora redeo. Igitur, ſi me tanti putas, qui cum laude litterariam iſtam Provinciam ſuſtinere poſſim, à te, cui progreſſus noſtrorum ſtudiorum noti, nullo modo commendari graver. Quod plerique hac in parte primum aeſtumant, non me quidem inflammat. Vel gratis auſim bono publico prodeſſe. Sed neque ideo talem ſtatum cupiam, quo ſplendidior mihi fama creſcat. Idem & privato mihi ſperare liceat. Etſi nulla hactenus cathedra Cabeljavium ſonat, fortaſſis ea tamen monumenta domi ſunt, quae, ſi quandoque limare detur, noſtrum nomen in mare Creticum non deferant. quod, citra arrogantiam, dictum eſto. Sola igitur, quae me trahit, ratio eſt, quo demum voce pariter ac ſcripto, eis proſim ac deſudem, in quorum virtute atque eruditione potiſſimum Reipublicae ſeminarium conſiſtit. Ita me Muſae omnes, ut ex animo ego haec loquor. Tu, quia fidem mihi vel injurato habes, conatus noſtros promove. Noſter ille *Werdenhagius*, aulam miſit. Prudens, qui in tempore. utinam modo probe ſaginatus! Nae ego hominis tam candidi ac docti vices deploro. Ut ſubiti Principum

motus! ut lubrica eorum gratia! Quis itaque ſublimi vertice ferre amet aſtra, ut tanto poſt gravius decidat? quis non malit ſua ſe virtute involvere, vel Sapientiae ſtudiis intentus, vel rebus aliis honeſtis, minoribus licet ac minus ſplendidis, quam cum cura ac periculo terrarum Dominis inſervire? Quod dum nonnulli non attendunt, miſere ſemetipſos ſuffocant honoribus. Ut mihi reſcribere digneris, te vehementer rogo. Clariſſimus *Baudartius*, ſi quiſquam, facile ac fidenter curabit ad me transferri, quicquid litterarum dederis. Ita vale, mi Cunaee, & me ama. Bremae. XVII. Septemb. CIƆIƆCXXXIII.

EPISTOLA CCLXXII.

PETRUS CUNAEUS

Joanni Cabeljavio JCto

S. D.

Bremam.

Bremae te per hanc hyemem detineri, Clariſſime Cabeljavi, dolerem, niſi intellexiſſem te illic rem familiarem augere, dum dotis nuper acceptae cauſam meliorem uberioremque facis. Quare non puto te ſerio loqui, quod diſplicere tibi illam deſultoriam vitam ſcribis. Quid enim eſt profecto, quod novo marito & bono patrifamilias eſſe jucundius poteſt, quam opulenti matrimonii acceſſiones, praedia & poſſeſſiones, perſequi? Certus ſum multos eſſe, qui hanc moleſtiam & curam invideant tibi; ſi eos exceperis, quos ſummus erga te amor nihil tibi invidere ſinit, inter quos ego ſum, qui, ut rebus tuis proſperis vehementer faveo, ita cuperem tibi majoris etiam fortunae faber eſſe. Ultrajectinos ordines novas extruere Athenas velle audivi quidem ante annum, ſed nunc ab eo propoſito receſſiſſe videntur, poſtquam ſolus magiſtratus primariae urbis, quae Provinciae nomen dat, id pertinere ad ſe exiſtimavit, ut illuſtre gymnaſium conderet, in quo praeter literas artiumque diſciplinas Theologia etiam & Juris prudentia tractarentur. Ego an ſatis tibi honorificum putes tali munere fungi, dubito. Quod ſi maxime id putes, quantum tua cauſa facere velim, ſcio, quantum autem poſſim, neſcio. Nemo enim conſulum, nemo decurionum notus mihi eſt. Quidquid tamen potero, mi Cabeljavi, tibi potero, cujus vir-

virtutes ignobili otio haud marceſſere intereſt ſeculi & noſtra omnium. Vale. Lugd. Bat. prid. Cal. Novembr. 1633.

EPISTOLA CCLXXIII.

JOH. CABELJAVIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

MAerorem noſtrum ex communi Amico noſtro *Baudartio* intelliges. Quando Trajecti nihil ſucceſſit, & jam * Herdervici, ubi prima ſtudiorum fundamenta jeci, profeſſio Juridica patet, non poſſum, quin te iterum compellem. Clariſſ. *Pontanum* noſti. Si grave tibi non erit, velim me ipſi ſerio commendes. Multum ſiquidem eo loci valet, & me amat. Ut fortaſſis plus hîc, quam alibi, profeceris. Ego certe malim Herdervici, quam Trajecti, profeſſorem agere. Quia mihi totus faves, deſino fidem tuam prolixioribus ſollicitare. Sed nec profundus animi dolor patitur multis inpraeſentiarum diffundi. Salve itaque, mi Heros, & me amare perge. Raptim. In Nucland noſtro. XVIII. Martii. CIↃIↃCXXXIV.

* Sub *Joanne Wolphio*, & *Joanne Lavinio* Gymnaſii Hardervici Ludimagiſtris tyrocinia depoſuiſſe ſaepe in Epiſtolis ſuis ad eos datis, & alios profitetur.

EPISTOLA CCLXXIV.

JOHANNES BEVEROVICIUS

Petro Cunaeo εὐπράττειν.

Leidam.

QUamvis, V. C. ab eo tempore, quo aſſiduus auditor tuus fui, cujus longinquitas nec eorum, quae eruditiſſime ſuper Caeſares Suetonii diſſerebas, memoriam delere potuit, nec minuere reverentiam & cultum, quem ob merita & meliorem animi cultum tibi debeo, ſemper incredibili deſiderio flagraverim, ut, quod olim adoleſcenti contigit, praeſenti heroïcam ſuaviſſimi oris majeſtatem venerari liceret, neſcio quae fata votis contraria noſtris id hactenus prohibuerint. Tandem vel ὑπὲρ μόρον omnes obices rumpendos & recta te adeundum eſſe exiſtimavi. Ignoſces

ſces Vir humaniſſime vel ἀπειροκαλίᾳ, vel impudentiae quod ignotus plane compellare audeam te virum ubivis terrarum fama & meritis celeberrimum. Vel de Satyra tua id teſtari poſſum; neminem vel mediocriter eruditum in Gallia, Italia, Germania fuiſſe, dum illic agerem, qui eam non in deliciis haberet, ac ſummo applauſu exciperet, illi videlicet diſſimili, quo primum prodeuntem excipiebant eſuritionis candidati, quos jam tum οἰμώζειν jubebant omnes illi, quibus de meliore luto finxerat praecordia magnus ille Prometheus. Quantum habere genium graviora cenſes, ſi luſus tuos ubique admirantur viri doctiſſimi? *Catzius* noſter, cui Muſae Belgicae multum debent, & brevi debebunt Latinae, hîc typographiam inſtituit. A cujus operibus exprimendis ne quid ceſſarent quandoque operae, & me in hanc arenam neſcio an vi, an precario pertraxit. Amico flagitanti ne refragarer, ab Oratione de laude Med. tota pene olim puero ſub Cl. *Voſſio* ſcripta, & Epiſt. Quaeſt. de Vitae termino Medicam telam ordiri volui, & earum fatum experiri. Proſperrimum jam conſequutus, ſi tu, Vir celeberrime, eruditionis tuae latice nos aſpergere, & aliquot Graecis, ſive Latinis verſibus hunc libellum condecorare non dedignaberis. Pluribus id petere verecundia vetat, cujus terminos jam me tranſgreſſum eſſe ſentio. Eruditiſſimus Conſul Beverius, qui ne tibi plane ignobilis eſſem Heinſium τὸ πάν ſe praeſente praeſtitiſſe mihi retulit, cultum & officia tibi defert. Conſultiſſime, & incomparabilis vir vale, & diu ac foeliciter vive ad patriae & ſaeculi gloriam. Dordrechti XIX. Oct. CIƆIƆCXXXIII.

EPISTOLA CCLXXV.

PETRUS CUNAEUS

Johanni Beverovicio

S. D.

Dordracum.

Toties apud me, clariſſime Beverovici, virtutem tuam & inuſitatam doctrinam praedicavit ſummus amicorum tuorum *Heinſius*, ut, cum de facie nunquam te noviſſem, nec ad manus meas ingenii tui ulla perveniſſent monumenta, tamen jam pridem tacita admiratione ob excellentes animi dotes inter Bataviae decora te aeſtimaverim. Nunc ſcripta tua, quae in lucem edenda nuper ad me tranſmiſiſti, hanc

cpi-

opinionem meam non confirmarunt modo, ſed etiam auxerunt. Adeo in his ubique ingens literarum cultus, rerumque pulcritudo, & judicii eminet ingenuitas. Quod te interfuiſſe adoleſcentem ſcribis iis recitationibus, quibus olim Suetonii Caeſares publice interpretabar, ad tuum, non ad meum honorem pertinet. Cum enim inter primos eruditorum hodie locus tibi ſit, ego autem ex conſcientia ignorantiae meae vix in poſtremo ordine conſiſtam, ſtatim illud mihi occurrit. *Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.* Ad quaeſtiones de fatali & inevitabili vitae humanae termino quod attinet, praecipitia ſcopuloſque, & eorum, qui aliquid certum ex alterutra parte ſtatuunt deciduntque, ratiunculas & concluſiones nulli obnoxius factioni video. quid autem illud ſit, quod in re crepera & obſcura difficultates omnes tollat, ac homini cordato animum expleat, non video. Scio equidem nihil ſacris literis contineri, quod ex contrariis diverſiſque atque inter ſe repugnantibus ſit conflatum. Id enim ſapientiae divinae & inexpugnabili veritati conſentaneum non eſt. Sed tamen in hac imperfecta vita, in qua etiam Divi Apoſtoli judicio ex parte tantum cognitio rerum nobis obtigit, non omnia a nobis intelligi aut enodari poſſe, id quoque ſcio. Galenus veſter eos, qui omnia in medicina definire omneſque ſcrupulos tollere cupiebant, in id vitium incidere ait, quod ipſe *φιλονεικίαν* appellat. Optarem etiam iſtud evitari in his, quae ſuper Dei providentia & aeternis conſiliis diſceptantur. in quibus ſi & tenebras quaſdam eſſe, & tamen iniquitatem nullam ineſſe, innocua ſimplicitate crederemus, longe rectius meliuſque cum eruditis hominibus ageretur, atque hanc doctam quandam inſcitiam & tutiſſimam *ἐποχὴν* dicerem. Rabbini Judaeorum illud vulgatum in ore habent *Elias veniet & nobis diſſolvet*, התורה הקשות, *difficultates & obſcuritates legis.* Hoc unum de hac re ſcribere poſſum homo legulejus, & caetera omnia inconditus rudiſque *καὶ μονονυχὶ ἐκβεβαρβαρωμένος.* Ampliſſimo Conſuli D. *Bevero*, cujus ſunt illuſtria in rempubl. noſtram merita, ſummam obſervantiam debeo, eamque officiis meis teſtatam ei facere cupio, quod ut ei ſignifices, meque ei commendes, rogo te. Vale, vir clariſſime, & me inter eos numera, quos ſemper habebis tui nominis honoriſque amantiſſimos. Lugduni Batavorum, 6. Novembr. 1633.

Carmen Graecum vel Latinum tibi miſiſſem, niſi jam pridem ex omni exaruiſſem venuſtate, & verba averſo genio

nio in numeros cogere, rem eſſe exiſtimarem miſerrimam. Quare a multis annis nemini id praeſtare potui, & jam olim, cum id ſubinde facerem, nihil niſi tepor & lentitudo apparuit. Ego nefas non puto, Poëtam non eſſe, ſed cum non ſis, velle tamen verſus ſcribere, dementiam nunc putem. Hac in re aetas me mea ſapientiorem fecit. Utique, ſi me amas, non poteſt tibi gratum aut jucundum eſſe, ſi inepta ſcriptione ipſe me traduxero. Iterum vale, vir clariſſime.

EPISTOLA CCLXXVI.

JOH. BEVEROVICIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

GAudium, quod ex literis tuis V. C. maximum coepi, longe ſuperavit nuperus nuncius, quem Haga e conventu Ordinum affert D. *Catſius* de proemio, quod tuis in patriam & literas meritis patriae proceres detulerunt. AEquum ſane fuit te, cum pari fama decus Academiae cum heröe *Heinſio* ſuſtineas, aequali honore inaurari. Ego tibi haec ἱερχνδία θεῶν δῶρα ut propria ſint, & iis Neſtoreos annos fruaris, ex animo voveo. Quod ad literas tuas; qua fronte me eas legiſſe cenſes? Quemadmodum Sol non calidus (ut ajunt Phyſici) calefacit, ita illae, cum tamen erubeſcere literas ipſas neget Cicero, legentem erubeſcere fecerunt. ἄρα μήτις εἰρωνείαν φῇ, καὶ μυκτῆρα, οἷον τὸν Ἀττικὸν, προςθεῖναι τῷ ἐπαίνῳ. Sed qui ſciam non eſſe Cunaei palpum obtrudere, & talia longe abeſſe à gravitate tua, & morum candore, affectui tribuere malo, quae mihi (cui, tenuitatis meae mihi conſcius, nihil ineſſe tanto viro laudandum abunde novi) plena manu affundis, & adſcribis μάλ' ὑπερβολικῶς. Maluiſti igitur cum D. *Heinſio* affectu peccare, quod ſummo viro familiare eſt, quam non extollere eum, qui nugas ſuas tecum communicare auſus fuerat. Nugas dico. Quid enim aliud ſunt Oratiuncula illa, & Epiſtola contra *Montanum*; imo & meae de vitae Termino? Cum in illis ſtilo rudi & inexercitato (qui poſſum aliter tot negotiis diſtrictus?) ex aliis tantum quaeram, ipſe nihil definiam.

Nam

Nam iſti quidem hercle quaeſtioni Oedipo
Opus conjectore eſt, qui Sphyngi interpres fuit.

Et fortaſſis in ejus ſolutione tibi viſi ſunt Oedipi vel duo, vel nemo. Ego etiam nulli factioni obnoxius, (non enim majeſtas noſtrae urbis, ut reliquarum &c.) cum omnes utrimque rationes ago cum animo meo & recolo, non invenio, quod difficultates omnes tollat,

Neque ad detexundam telam certos terminos.

Quid tamen nocet ab eruditis diſquiri, quousque intellectum noſtrum in hiſce pervenire mortalis conditio permittat; & cum haeremus, admoneri imbecillicitatis noſtrae, ne nimis altum ſapere velimus, ſed & vera agnoſcamus, quorum cauſſas non capimus? Quod minus mirum in divinis; cum in naturalibus, & quae quotidie ante pedes, idem obſervemus. Meum tamen conſilium, ſi tui prius particeps fuiſſem, repudiaſſem. Nunc jacta eſt alea, & doctorum interim reſponſa,

Quaſi herba irrigua, ſic crevere uberrime.

Copioſum nuper miſit D. *Rivetus*; copioſiſſimum D. *Salmaſius*, quod poſtea altera parte ſe auxiſſe ſcribit. Excuſa ubi erunt mittam. Vale, vir Ampliſſime, & me, virtutum tuarum cultorem, ama. Dordrechti XVI. Februar. CIↃIↃCXXXIV.

EPISTOLA CCLXXVII.
PETRUS CUNAEUS
D. Joanni Beverovicio
S. D.

Dordracum.

Vir Clariſſime. Jam menſis & amplius eſt, ex quo epiſtolicas tuas de vitae termino quaeſtiones a typographo ad finem perductas accepi una cum literis tuis. Equidem pro eo munere ut gratias tibi debeo, & ago, ita neutiquam in iſto officii genere tam diu ceſſaviſſem, niſi totum id opus accurate mihi ante eventilandum eſſe credidiſſem. Non poſſum autem diffiteri ex ejus lectione voluptatem me maximam cepiſſe, atque etiam didiciſſe quam plurima. Erudita ubique & exacta in utramque partem te offert diſceptatio, &, quanquam controverſiam non tollit indubitata aliqua deciſio rerum tamen graviſſimarum lectiſſimarumque tractantur momenta, ſed & apprime ingens in te elu-

cet

cet prudentia, qui omnium ſententias ſic exquiris eliciſque, ut doctiſſimos homines, & diverſiſſima opinantes committas inter ſe potius, quam ipſe aliquid ſtatuas. D. *Riveti*, ac D. *Salmaſii* uberiora reſponſa, de quibus ſcribis, exſpectabo avide. Scio quippe haud plebejae pulpae fore quidquid aut ille ex ſacris literis, aut hic ex Graecorum Romanorumque adferet commentationibus. Quod mihi de ordinum decreto gratularis, agnoſco humanitatem tuam, & ſummam erga me benevolentiam. Ego, qui publicis ſeculi commodis prodeſſe me poſſe haud confido, affectum tamen ſtudiumque excolendae Jurisprudentiae non deponam. Sed nec obſervare ceſſabo eos omnes, qui doctrina in hac republica noſtra excellunt. Inter quos cum celebris ſit tua, Vir Clariſſime, virtus, meum erit efficere ne id quiſpiam ignoraviſſe me exiſtimet. Vale. Lugduni Batavorum, 10. Aprilis 1634.

EPISTOLA CCLXXVIII.

AUGUSTUS BUCHNERUS

Petro Cunaeo JCto.

S. D.

QUi te a multis annis, Ampliſſime Cunaee, ob raram virtutem, & eruditionem orbi notam magni aeſtimare ſolitus ſum, nondum tamen adire literis auſus ſui, admirari contentus. Nunc cum Generoſus Juvenis, *Henricus à Friſen*, decus ac ornamentum non modo Nobilitatis noſtrae, ſed univerſae patriae, mox & ſeculi quoque, quem ob inuſitatas ingenii dotes, plurimum ſoles amare, ſubinde me inſtigarit, darem aliquando ad Te literas, Virum tam humanum, quam doctum, obſecutus homini amiciſſimo ſum, & hanc ſcribendi aleam jeci. Praecipue cum Civis iſte meus & domeſticus hactenus, *Chriſtianus Hartmannus*, in celeberrimam veſtram Academiam, vitaturus patriae turbas, contenderet. Quem utinam ipſe deducere, & illas Athenas alteras, Leidam veſtram, inviſere, ibique tot magnas ac divinas animas, *Cunaeum*, *Heinſium*, caeteros, commune humanitatis faſtigium jamdudum ſupergreſſos viros, venerari coram; & quod exopto unice, amplecti poſſem. Sed cum me lenta alligent vincula, & lex meorum fatorum id non permittat, omnes

iſtas

iſtas partes literis dedi, quae meum cultum, & obſervantiam, qua divinam veſtram virtutem & eruditionem incomparabilem proſequi ſoleo, oſtenderem. Quae quo negligentius, ut fieri in feſtinatione ſolet, ſcriptae ſunt, eo facilius, ſpero, fidem invenient mei ſummi in te, & tui ſimiles, affectus. Non dignus tantorum virorum amicitia ſum: & tamen cupio amari. Cui audaciae & impudentiae meae ut ignoſcas, Cunaee, etiam atque etiam abs te peto. Simul & iſtud quoque, ut hunc, quem trado tibi juvenem liberali indole, & ſingulari modeſtia, Civem meum, commendatum tibi habere velis, eumque, ubi opus, conſilio tuo operaque juvare. Cepit ſe dedere Juris ſtudio: in quo ſe multum proficere poſſe ſperat, te magiſtro ac duce, qui id tot annos cum maxima laude, & immortali nominis gloria publice profiteris. Suſcipe itaque hominem, & dignum favore tuo aeſtima, quem tui non modo obſervantiſſimum, ſed & gratum ac memorem beneficiorum, quae in eum contuleris, ſemper habebis. De me vero praeclare mereberis etiam, ſi Nobiliſſimum *Heinſium* noſtro nomine quam officioſiſſime ſalutes. Cui commendaſſem quoque hunc meum, ſi tantum otii ſuperfuiſſet. Nam ſimul accepiſſet noſter Patris literas, conſcendenda illico navis fuit, & eundum Hamburgum. Et Tu quam optime ad illum ſummum Virum parare aditum *Hartmanno* poteris. Vale, Ampliſſime ac ſumme Vir, & ita obtine, me nulli mortalium cedere, qui te quammaxime amant, colunt, venerantur. Wittenbergae Kal. Septemb. Anno CIↃIↃCXXXIII.

EPISTOLA CCLXXIX.

PETRUS CUNAEUS

Auguſtino Buchnero S. D.

Wittenbergam.

CLariſſime Vir, literas tuas ante menſem tradidit mihi juvenis moribus atque induſtria eximius *Chriſtianus Hartmannus*, quibus perhumaniter a me petis, quod ego etiam nullius rogatu facere ſponte ſoleo. Quoties enim ingenia recta & vivida juſto affectu proſequor, non id commendationi cujuſquam, ſed moribus meis tribuo, neque aliud ejus rei cupio pretium, niſi feciſſe. Igitur ſi *Hartmanni*

manno tuo id praeſtitero, quod indoles ejus meretur, peto a te, ne credas ex eo aeſtimandum fore, quanti te faciam. Majora quaedam & certiora eſſe cupio documenta ſummae meae in te obſervantiae. Nimirum ita omnes exiſtimant, quaſi lumen aliquod, in Germania veſtra elucere doctrinam tuam, ac propemodum nunc te unum ſupereſſe, in quo literarum reſideat decus & majeſtas. Ego ut inuſitatas animi tui dotes diu ante fama percepi, ita nobiliſſimo juveni D. *Henrico Friſen* id nunc demum acceptum fero, quod amicitiae inter nos prima initia dederit. De hoc autem tam praeclaro conjunctionis noſtrae parario quam honorifice ob ſingularem quandam cognitionis ſcientiaeque, quae in ipſo eſt, excellentiam ſentiendum ſit, neque ego ignoro, & praedicare apud te non debeo, qui rerum harum optimus acerrimusque judex es, & quo magis propriis exuberas virtutibus, eo impenſius diligis alienas. Vale, vir eximie, & me nominis tui crede ſtudioſiſſimum, amantiſſimumque. Collega meus D. *Heinſius*, quae voluiſti ex me intellexit. Is mecum in admirationem tui traductus eſt, atque omnia officia ſua tibi cumulate defert. Lugduni Batavorum, 9. Decembris 1633.

EPISTOLA CCLXXX.
AUGUSTUS BUCHNERUS
Petro Cunaeo
S. D.

Leidam.

CUr tibi potiſſimum, *Cunaee* Ampliſſime, hunc *Jonath. Hartwigium* noſtrum commendem ac tradam, tum eruditio tua, tum humanitas facit. Quarum illa ut noſtrum ſeculum mirifice ſibi obligat, & in admirationem ſui rapit; ſic iſtaec nemini eorum concedit quicquam, qui propriam ſibi unicamque hanc ſe feciſſe laudem exiſtimarunt. Agit hoc nempe *Hartwigius*, ut meliores literas cum Jurisprudentia conjungat. Qui a me nullum alium meliorem Ducem praeter te contingere ſibi ſane quam veriſſime exiſtimaret, Tibi cum primis cum hinc pararet abitum, atque ad vos proficiſci vellet, voluit commendari. Ac cum in iis, quos tibi tradidi hactenus, perquam bene ceciderit alea, non dubito equidem, quin hunc non minus praeſtantiſſimum Juvenem omni benevolentiae genere ſis comple-

xurus.

urus. Et ita a natura factus, ita inſtitutus diſciplina fortunatusque es, ut & te bonis ac rectis ingeniis favere, iisque e perliberaliter dare velis. De *Joſepho* autem & tuis in ſummum illum auctorem abſolutiſſimis Commentationibus ecquid ſperandum nobis tandem eſt? Quamdiu earum deſiderio nos plane contabeſcere ſines? Non mihi ignotum eſt pondus accuratiſſimi judicii tui & quam remotus longe ab levitate eorum agas, qui quicquid ſomniarunt hodie temere, id edunt in craſtinum; nec edunt tantum, ſed pro Oraculis & ſortibusque divinis haberi volunt: non corrupit abſolutiſſimos mores tuos hoc faſtuoſae vanitatis genus: intactus es penitus ab iſta lue; & tamen cum tibi per ludum ac jocum talia excidant, quae eruditiſſimi quique doctiſſimique homines admirentur, quid, quaeſo, eſt cauſſae, cur & noſtra morari deſideria diutius, & ipſe gloriae tuae obſtare tam contumaciter porro velis? Quae etſi major ſinceriorque ſequatur mortuos, jucundior tamen dulciorque accidit, cui nos contigit intereſſe. Nos lambimus cortices, & cum diu ſudavimus, nihil extricari tamen poſſumus aut tuis dignum oculis, aut poſteritatis, quae verum cuique pretium reddit. Accedit temporum diritas, quae & obturbat omnem ſtudiorum ordinem & ipſum ingenium noſtrum delet. Ab aliquot centum annis nulla alia gens atrociora paſſa eſt, quam nunc cottidie in nos ſtatuuntur, quorum vel meminiſſe ſaltem animus horret. Neſcio an ulla bellorum jura unquam excuſent. Vale, vir maxime & ita perſuade tibi, nos nullum unquam caſum a virtutum tuarum admiratione ac cultu abductum eſſe. Wittenbergae, Eidibus April. A. CIƆIƆCXXXVII.

EPISTOLA CCLXXXI.
PETRUS CUNAEUS
D. Auguſto Buchnero
S. D.

Wittenbergam.

Ex literis tuis, vir clariſſime, quae ante tres menſes redditae mihi ſunt, libenter perſpexi eſſe te conſtantem in ſuſcepto ſemel mei amore. In quo mutuum me facere, facturumque deinceps ſemper, ſcire certo debes. *Hartwigius* veſter, quem mihi commendas, ea animi praeſtantia, & juris civilis peritia praeditus eſt, ut ubicunque fu-

turus ſit, fortunam ſibi ipſe facturus eſſe videatur. Ego, etſi nihil in me reperio, ex quo fieri ad ejus doctrinam aliqua poſſit acceſſio, tamen id curae habebo, ut ad augenda ejus ornamenta & commoda nuſquam illi defuiſſe, aut voluntatem meam aut promptiſſimam operam intelligas. De *Joſepho* quod nondum explere multorum exſpectationem potuerim, praeter opinionem meam contigit. Qui enim ante, cum libros de rep. Hebraeorum ederem, literarum & antiquitatis perveſtigationi totus deditus addictusque, exiſtimaveram intra breve tempus edolari a me poſſe eas, quas caeperam in maximum & celeberrimum ſcriptorem commentationes, mox ſtatim ad juris civilis profeſſionem traductus, ſenti occupationibus quibuſdam, quae modo ex muneris Academici neceſſitate, modo ex conſulentium interpellationibus naſcuntur, otium pene omne meum interrumpi, ut ad prioris vitae meae oblectamenta oculos quidem interdum cum dolore retorqueam, caeterum haud penitus ad ea remigrem, nec me mihi vindicem. Sed profecto, *οὔπω μῆνας ἄγων ἔκαμ' οὐρανὸς οὐδ' ἐνιαυτούς.* Quare erit fortaſſe brevi tempus, cum ea omnia, quae caeptum opus tardant, diſcutiam amoliarque, ac tibi judici omnium, quos nunc novi, exactiſſimo, *καὶ εἰς πᾶσαν παιδείαν ἠκριβωμένῳ*, tuisque ſimilibus, me ac mea probabo. Interim Deum Opt. Max. ſupplex quaeſo & veneror, ut publicorum malorum tempeſtas, quae ex belli Germanici reliquiis in vos incubuit, tandem aliquando detumeſcat, atque ut placida pace lubeat tibi in publicos uſus evulgare quicquid tibi inuſitata eruditio tua & acerrima ingenii indoles ſuggeſſit. Nulla in re magis beare ſeculum hoc noſtrum, & amicos tuos, quos ubique habes plurimos, poteris. Vale, vir clariſſime, & me ut caepiſti, porro ama. Lugduni Batavorum, 13. Octobr. 1637.

EPISTOLA CCLXXXII.

AUGUSTUS BUCHNERUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

FEcerunt Nobiliſſimi Domini *à Friſen* literae maxime, ut ad te, Ampliſſime *Cunaee*, iſtas darem. Nam cum miſiſſet eas, uti curarem ad te, pudori equidem fuit, ſolas ve-

venire. Multum autem te amo, quod *Hartwigium* noſtrum, quem tradidi, tanta benevolentia complectendum tibi exiſtimaſti. Qui ut eruditionem tuam ſatis admirari ac depraedicare non poteſt; ita ſe nihil comminiſci dignum poſſe ſcribit ſumma illa humanitate, qua proſequi ipſum coeperis. Quae de *Joſepho* tuo ſcribebas proxime, dici non poteſt, quantum cumulum mihi puriſſimae voluptatis attulerint. Eam itaque ſpem, ut quamprimum nobis expleas, etiam atque etiam abs te peto. Quamdiu enim illius abſolutiſſimi operis editionem differes, tamdiu nos multas eximias maximasque res ignoraturos, obtinebis pro certo. Quod quam acerbum nobis & durum fuerit, per temet ipſe diſpicere potes. Neque enim quid magis excruciaverit animum ſciendi cupidum, quam praeſtantiſſima, quae haud fruſtra praeſumat, ignorare. Age igitur, Summe Vir, Rumpe moras omnes, & quicquid vinculorum pulcherrimis commentationibus adhuc necti videtur, abſcinde mature, nec patere nos diutius deſiderio earum contabeſcere, quin emori plane. Nos ſtrenua exercet inertia. Nam dum per diritatem noſtri temporis & afflictiſſimas patriae res nihil eſt, quod irritet ingenium ac moveat, totum nempe jacet & omnis elegantiae Muſarum obliviſcitur prope. Hamburgenſis negotiatio lente procedit: aguntur que per ſilentium omnia: quaſi Eleuſinia ſua celebrant myſtae. Interim miles noſter in aeſtiva reducitur, quae pro hibernis ipſis in his provinciis conſtituta ſunt. Ex qua id fiet, ut quicquid reliquum nobis eſt, ex anni ſuperioris naufragio & tempeſtate, id totum in cineres abeat, atque vel cum pulviſculo auferatur. Quare obdurare animum oportet: ut, quamquam vix eſt, quod habeamus ſperare, nihil tamen interim deſperemus.

> πληροῖ δὲ Θεῶν δύναμις, καὶ τὰν παρ' ὅρκον,
> καὶ παρὰ ἐλπίδα, κού-
> φαν κτίσιν γε.

Vale, Ampliſſime Domine, & me virtuti Clariſſimoque nomini tuo addictiſſimum, amare perge. Wittenbergae ad d. XIIX. Aprilis A. CIϽIϽCXXXIIX.

EPISTOLA CCLXXXIII.
CHRISTOPHORUS RICCIUS JC.
Petro Cunaeo
S. P.

Leidam.

CLariſſime ac Conſultiſſime Virorum! Poſtquam jam quindecim annos Inſtitutiones Juris publice docuiſſem, id tandem mihi in mentem fuit, ut correctionum petulantia optimus liber expurgaretur. & jam tum pene abſolvendi opuſculi rationes conlegeram, cum de doctorum judiciis ac cenſuris tardior penſiculatio ſubiret; ne difficiles & inutiles nugae, bonis horis impenſae, ludibrio aut contemptui exponerentur. qua cauſa pauca haec, quae Amplitudini veſtrae offero, praemittenda autumavi, ut vel Tua inprimis, Magne Vir, beer cenſura, a qua meos hos ſtare aut cadere juſſero labores: certus, quocunque ea flectat, à benevolentia nihil abituram; cui me, atque fratrem meum *Adamum Riccium*, qui has offert, unice commendo. Dantiſci prid. Kal. Octob. A. C. CIↃIↃCXXXIII.

EPISTOLA CCLXXXIV.
PETRUS CUNAEUS
Chriſtophoro Riccio
S. D.

Dantiſcum.

PRaemiſſa vindiciarum juris, quae mihi miſiſti, accepi, vir clariſſime, ac pro eo munere, ut debeo, gratias tibi ago maximas. Opus aggreſſus es non tantum diffuſae doctrinae, ſed etiam ingentis animi. Nam & juris prudentiam ita tractaſti, ut certiſſimam tibi ſupereſſe rei literariae & hiſtoriae ſcientiam ubique oſtenderis: & praeclaro ſimul auſu arrogantiam retudiſti criticorum, qui, quoties rectum aliquem atque incorruptum juris noſtri contextum non ſatis intelligunt, ſtatim correctione eum temerant, conjecturisque totum pervertunt. Ego, quemadmodum juris interpretationem plurimis vigilantiſſimorum hominum commentationibus jam ad ſummum evectam eſſe ſcio, ita exiſtimo iis omnibus, qui literatam juris prudentiam integro

tegro judicio ſequuntur, hunc unum actum reſtare atque in hoc elaborandum eſſe, ut procul a legum libris arceant philologorum περιεργίαν & ambitioſos conatus. Id autem cum feliciſſime tibi in his, quae caepiſti, ſucceſſerit, rogandus etiam atque etiam es, ut porro demereri ſeculum illud ſimili munere, nosque omnes beare pergas. Vale, vir clariſſime, atque omnino crede, fratri tuo Adamo, juveni perquam erudito, prompta & parata fore, quaecunque a me proficiſci poterunt officia. Lugduni Batavorum, 19. Decembris 1633.

EPISTOLA CCLXXXV.
ABRAHAMUS DOMINICI
Petro Cunaeo
S. D.

שלום לך מאלהים

VIr praeſtantiſſ. doctor clariſſ. Non tu mihi, minus ego tibi de facie ſum notus; memini tamen, ni fallor, te ante annos 30. Leowardiae in aula Gubernatoris vidiſſe; poſt etiam in Academia Franequerana, uti ſuſpicor, quod mihi nonnumquam ſis viſus: labitur aetas, labitur & memoria. Nuper bis terve tuas pulſavi fores nulli exaudita tuorum vota, ſalusque mea eſt; Alterius jam ope minus cum pudore, (erubeſcere enim literae ignorant) ignotus ignoto ſalutem offero: Quid dixi ignoto tibi? abſit, tute medius-fidius te plus ſatis notum reddidiſti, non ſaltem ex incomparabili linguarum exoticarum ſtudio; verum multo magis ex S. S. LL. peritia nullibi non notus es; hanc omnes in te cum ſtupore non minus, ac illud admiratione agnoſcunt. Ex ungue leo, ex radiis Sol, ex ſplendore coelum noſcitur, ita tuam eruditionem, & ſtudium in omni tum literarum, tum artium, facultatumque genere perfacile agnoſcimus, juxta & re compertum habemus, ex unica illa indoctorum cum literatis contentione, habita in foro Menippeo, *ſub praeſidio celeberrimi Eraſmi veſtri*, imo noſtri, quia Belga eſt: qui ut opus Dei ſingulare agnoſcendus, ita quoque naturae potius miraculum, quam mortalis colendus eſt. Nuſquam virtuti praemia deſunt; ſunt hic etiam ſua praemia laudi: en praemiolum, ecce munuſculum; tu, qui magni iſtius viri tam genium, & ingenium

nium dextere depinxiſti, quam laudes, & honores cultu debito decoraſti, cuncta illius revera vivide expreſſiſti, dignus es, commeritus es praeſidis literatorum effigiem ex meliori aere ut habeas, vultum videas, eum ex tabella, uti ex literis cognoſcas: imaginem viri non indocti, ſed noſtri addo, ut minori forma ſic & fama, bonam ut accipias in partem rogo, ne quaeſo pretium, ſed animum reſpicias, ſignum mentis meae, non praemium opere tuo ex aequo dignum; abſit, accipias; ſi gratum; mihi, non tibi gratularer, nec peto mei habeas rationem, ſed juvenis: qui ſub tua diſciplina vitam colit, ſub inſtitutione leges Romanas diſcit, ſub tutela civem Athenis Batavicis jam agit: Friſius eſt nomine *Dominicus* apud viduam chirurgi in platea lata, utinam ille, gratiam in oculis tuis noſtin' phraſin Hebraeorum inveniat. Venae 27. Feb. 9. Mart. 1634.

Quod rogat, & orat

אני ואדך

Abrahamus Dominici.

EPISTOLA CCLXXXVI.

PETRUS CUNAEUS

Abrahamo Dominici

S. D.

VIr reverende & eruditiſſime, quod nuper, cum in Batavia eſſes, fruſtra me quaeſiveris, non mea aut meorum culpa aliqua factum eſt, ſed, ut opinor, caſu quodam contigit, idque mihi vehementer dolet. Utique, ſi bene me noſti, facile ſcire potes non aedes tantum meas, ſed etiam animum meum patere omnibus, qui eruditionem & bonam mentem amant. Inter quos ut apprime tibi locum eſſe oportere cenſeam, juſtas cauſas habeo, cum ex cordatiſſimis cultiſſimiſque literis tuis, tum ex honorifico D. *Barlaei* ſummi amici mei, de praeclara tua pietate, doctrina, & aequaminitate judicio. Pro imagine *Eraſmi*, atque altera *Viglii Zuichemi*, gratias tibi ago maximas. Diu eſt, cum mihi nullum munus aeque jucundum allatum eſt. Praecipue autem gaudeo, non diſplicere tibi ea, quae quondam divinis virtutibus ejuſdem illius *Eraſmi* adſcripſi. Equidem mihi pro certo conſtat, non potuiſſe haec a multis probari. Sed tanto major rectiſſimae mentis tuae ſenten-

tentiaeque ſincerae laus eſt, cum nulla ſeculi in pejus euntis contagione adflatus incomparabili illi Batavo decus ſuum tribuis ex vero. De *Viglio*, ut mihi tecum, ita cum aliis, ſatis convenit, eſſe eum omnium Juriſconſultorum, qui unquam in Belgio fuerunt, principem, neque quidquam reperiri, quo jactare ſe magis poteſt Friſia veſtra. Filius tuus adoleſcens eſt ea animi indole & vigilantia, ut luculentum aliquid de illo ſperandum ſit. Monui eum ne dubitaret crebro ad me accedere. Cupio autem omnia ei praeſtare, quae proficiſci poſſunt ab homine tui ſtudioſiſſimo. Vale, vir reverende. Lugduni Batavorum, 12. April. 1634.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

PETRUS CUNAEUS

D. Joanni Brant, JCto, Reip. Hamburgenſis Conſuli

S. D.

Hamburgum.

VIr nobiliſſime & ampliſſime. Ex quo tempore ad poſteriores tuas literas reſpondi noviſſime, nihil quidquam ſeſe obtulit, cujus cauſa interpellare deberem tempora tua, quae reip. impendis. Nam de *Rentzelio* veſtro quid exſpectandum eſſet, jam & ante non obſcure ex me intellexiſti, & ipſe porro ita ſe tibi probavit, nihil ut egeat amplius noſtro teſtimonio. Nunc, cum in patriam ſuam redeat *Vincentius Fabricius*, civis veſter, qui aliquantiſper apud nos vixit, libertatem hanc mihi ſumma tua dat humanitas, ut ſignificare tibi non verear, eſſe eum tali indole juvenem, ut, praeter alia plurima animi bona, excellat in eo inuſitata quaedam eruditio, ex qua illi laus & fama ſurgit creſcitque in dies. ob quam cauſam amant eum mirifice aeſtimantque omnes ii, qui hîc apud nos rectis ingeniis decus ſuum ac pretium ſtatuunt ex vero. Nihil inſolenter faciam, nobiliſſime conſul, neque te rogabo, ut hujus doctrinae ac virtutibus faveas, qui doctrinae & virtutum maximarum non fautor modo, ſed etiam exemplum es. Quare ſcio te ſponte tua, ſi quid ad ejus commoda & ornamenta pertinere intelliges, libenter ei praeſtiturum, qui hoc totum non aliorum precibus, ſed tuis ipſe moribus & excellenti naturae tuae tribuere ſoles. Deus optimus ma-

ximus, te vir nobiliſſime, diu reip. veſtrae, atque etiam nobis omnibus ſoſpitem & incolumem ſervet. Lugduni Batavorum, 23. Maji 1634.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

VINCENTIUS FABRICIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

Clariſſime Vir. Cum ſemper & ubique oſtenderis, quantopere me rationesque meorum ſtudiorum ornandas juvandasque cenſeres, ne nunc quidem abhorrere a curis tuis itineris negotiorumque meorum ſucceſſum arbitrabor. Quod felix itaque propriumque mihi eveniat, poſt diuturnum & moleſtiſſimum iter ſalvos omnes meos & incolumes inveni. Civitatis noſtrae ſtudia mirifica in me experior. Quid a Senatu exſpectandum habeam, dies docebit. Conſulem *Brautium* hodie vidi, inſigni humanitate non minus quam doctrina conſpicuum. Cui ut aliqua antea ratione notus fueram, ita hoc die propter te tantopere placui; ut non arbitrer aliquot annorum induſtriam tantum pondus conferre ad adipiſcendam ſummi viri gratiam potuiſſe, quantum tua contulit epiſtola. Gratias heic agerem tibi, vir maxime, niſi tua benignitas, ut omnia mihi largita eſt, ita hanc agendi gratias neceſſitatem totam ex amicitia noſtra ſuſtuliſſet. Cl. *Grotius* diſceſſit Francofurtum; nec equidem utrum reverſurus aut quando ſit, ipſius familiares ſciunt. Epiſtolam tamen ejus quotidie exſpectant. Pridie antequam adveneram, *Hartzvigius* noſter eodem ſe contulerat. Non licuit itaque cum ipſo agere, quae juſſeras. Negotium Dominae *de Liera* qua ratione procedat, ſi ex te cognovero, nihil fieri poterit aut gratius mihi aut jucundius. Feliciſſime vale, vir clariſſime cum univerſa familia. Hamburgi VII. Junii Anno Juliano CIↃIↃCXXXIV.

EPI-

EPISTOLA CCLXXXIX.

PETRUS CUNAEUS

Theodoro Graſwinckelio

S. D.

Hagam.

VIr clariſſime. Tractatum tuum de Reip. Venetae jure & libertate, tradidit mihi Vir praeſtantiſſimus & eruditiſſimus cognatus tuus, D. *Gerardus Meermannus.* Pro eo munere gratias tibi ſtatim egiſſem, niſi totum id opus accurate mihi ante perlegendum eſſe exiſtimaviſſem. Nunc, cum ſumma ubique rerum graviſſimarum, & antiquiſſimarum momenta animum meum tui admiratione diſtineant, patieris me, donec de ſingulis juris illius, quod excutis, capitibus, plenius judicium feram, animum tantiſper tibi, eximiiſque illis dotibus, quas in te caeli collocavit benignitas, deditiſſimum profiteri. Ego Venetis nec beneficio nec injuria cognitus ſum. Vellem tamen illos reip. noſtrae tantundem re & ope univerſos ſimul praeſtare, quam tu illis induſtria tua & incomparabili vigilantia jam praeſtitiſti unus. Vale, vir clariſſime, & me tui ſtudioſiſſimum, amantiſſimumque crede. Lugduni Batavorum, 9. April. 1634.

EPISTOLA CCXC.

V. FABRICIUS

Petro Cunaeo

S. P.

Leidam.

VIr Incomparabilis. Poſtquam Conſules Reip. noſtrae, alii item viri ampliſſimi principes, mihi ad ſuſcipiendam & ingrediendam diverſam ſtudiorum rationem, quam quae hactenus fuerat, exſtitiſſent; mutavi tandem ſententiam, & ad jus Civile diſcendum, quod tantopere ſuadebant, animum cogitationeſque applicui. Quod ut Deus bene vertat, fortunetque, voveo ac precor. Neque enim committendum eſt, ut de me abjectius, quam tanti viri, ſentiam. In procinctu itaque eram ad Academiam veſtram, & ad Te maxime rediturus, cujus conſiliis infantia nuper nati ſtudii educaretur: Sed retraxit pene ex itinere vir illuſtris ac nobiliſſimus territorii hujus Toparcha, & perfecit, ut non invitus

vitus manerem. In aula itaque hac commodiſſime pariter ac honeſtiſſime habeor, donec adoleſcentes duos nobiles, Toparchae filios, ad vos proxima aeſtate deducam. Porro, quoniam, ut ſcis, alicujus molis eſt primis initiis Jurisprudentiae recte inſiſtere, quod per literas potes, ope ac conſilio adjuvare deſideria mea ne graveris. Inſtituta ſedulo evolvere coepi, quibus Theophili paraphraſin & *Weſenbecii* commentarium conjungo. Dum hoc ago, quo vadendum deinceps ſit, tu tanquam Imperator ſtipendiis tuis militanti ſignum dabis. Spero, Vir maxime, eam te libertati meae veniam daturum, quam ſemper affectui meo ſoles tribuere. Neque enim potes a tam effuſo & tibi proprio candore diſcedere, cujus tot indicia ac teſtimonia proferre me poſſe omnes norunt. Feliciſſime vale, Vir Cl. cum conjuge ac liberis. Ex arce Tundera. 22. Decemb, Anno 1634.

EPISTOLA CCXCI.

PETRUS CUNAEUS

Melch. Albhardtio

S. D.

Pariſios.

EX literis tuis, eruditiſſime Albhardti, quas Pariſiis 3. Junii ad me dediſti, libens perſpexi eſſe te conſtantem in ſuſcepto ſemel mei amore. Ego, ut praeclara ingenia amare impenſe ſoleo, ita ſingulari virtuti tuae & induſtriae favebo quam maxime. Quod declarationem L. *Gallus* 29. ff. de lib. & poſthum. a me petis, id vero ejusmodi eſt, ut modum epiſtolae excedat, & opus habeat pene commentario. Adeo & varios, & ex jure veteri implicitos caſus habet lex iſta. Annus jam agitur duodecimus, ex quo eam publice interpretatus ſum. Et erant tunc quaedam, in quibus mihi non diſplicebat divinatio mea. Quae neſcio an evulgare unquam debeam. Certe per hoc tempus non poſſum. Interim non ignoras (puto) *Antonium Goveanum* duobus tractatibus exſecutum eſſe pleraque, quae ad eum textum pertinebant: ac inſuper multa ad eum ſcripſiſſe *Antonium Fabrum* in libro nono & decimo conjecturarum. An & quatenus iis accedere velis, facile tute per te judicabis. Quae de cauſis juris & facti commentatus fui, non inſpexi a multo jam tempore. Memini, nihil ſupereſſe,

nisi

niſi ut intranſcurſu relegantur. Ad eam autem rem nondum a me impetrare tempus potui. Dabo tamen operam, ut aliquid otii mihi vindicem, exſpectationemque tuam & aliorum, qui me amant, haud morer. Vale, eruditiſſime & praeſtantiſſime juvenis. Lugduni Batavorum, 14. Julii 1634.

EPISTOLA CCXCII.

PETRUS CUNAEUS

Melch. Albhardtio

S. D.

Ex literis tuis, eruditiſſime Albhardti, quas Pariſiis ſemel atque iterum ad me dediſti, libens perſpexi eſſe te conſtantem in ſuſcepto ſemel mei amore. Ego, ut praeclara ingenia amare impenſe ſoleo, ita ſingulari virtuti tuae & induſtriae faveo quam maxime. Quare jampridem non ceſſavi tibi reſpondere. Sed literae meae, quas hoſpes tuus *Parivallius* a me efflagitaverat, & curandas ſuſceperat, poſtquam per plurium manus oberraſſent, propterea quod Pariſiis nuſquam repertus eſſes, tandem per Antwerpienſem nuncium lacerae conciſaeque ad me redierunt. Quod quaeris de his, quae ſuper cauſis juris & facti commentatus fui, non inſpexi ea a multo tempore: memini nihil ſupereſſe, niſi ut in tranſcurſu relegantur. Ad eam autem rem nondum a me impetrare tempus potui. Dabo tamen operam ut aliquid otii mihi vindicem, exſpectationemque tuam, & aliorum haud ſemper morer. De impenſis quas pater filio ſtudiorum cauſa praebuit, ita ſentio, ſi verbis ab initio pater non expreſſerit, ſe eas credendi cauſa ſubminiſtraturum, donandi animo eas factas videri, neque poſſe mox patrem illas aut in legitimam imputare, aut filio in teſtamento detrahere. Cujus rei rationes ſi ſcire deſideres, videbis eas in tractatu *Vitalis* Nemauſenſis de collation. Quaeſt. XVIII. num. 21. & ſeq. atque apud *Chriſtianum Krembergh*, de Sumpt. Studior. quaeſt. 1. num. 20. & 21. Caetera, de quibus quaeris, qua methodo locos communes confici, & quos autores potiſſimum legi oporteat, modum epiſtolae excedunt, & paene opus habent commentario. Quare ea ſermonibus noſtris & colloquio ſervabo, ſi aliquando huc redieris, meque viſeris. Certo autem credere debes neminem ad me aditurum, cujus mihi conſpectus jucundior gra-

gratiorque ſit futurus. Vale, eruditiſſime & praeſtantiſſime Albhardti. Lugd. Bat. 18. Martii 1635.

EPISTOLA CCXCIII.

PETRUS CUNAEUS

Dominico Molino, Patritio & Senatori Veneto S.

Venetias.

SAEpe ego antea, Vir illuſtriſſime, praedicari audiveram caeteras inuſitatas atque excelſas animi tui virtutes, quae in potentiſſima florentiſſimaque rep. veſtra, atque in ſummo Venetorum Senatu, tanquam lumen quoddam effulgent. Tum & ſciebam bene te atque ſubtiliter de literis, deque omni diſciplinarum genere judicare; quod proficiſci demum ab accurata quadam conſummataque doctrina poteſt. Sed qui te jam dudum hoc nomine vehementer admirabar, nondum tamen credere amicis quibusdam meis poteram, qui identidem mihi adfirmabant, nihil eſſe te comius, nihilque moderatius ad omnem rationem humanitatis. Memineram enim profecto id quod res eſt, valde rarum hoc ac prope inauditum eſſe in veſtri ordinis proceribus. Nunc vero tandem penitus mihi fidem hujuſce rei fecit Clariſſimus *Vorſtius*, vir mihi longe conjunctiſſimus amiciſſimuſque, qui mihi immerenti, ac nihil tale opinanti diſceptationem *Pacii* JCti de maris Hadriatici Dominio, quae nuſquam apud nos exſtat, ſingulare quoddam, atque eximium munificentiae tuae ſummaeque erga me benevolentiae, monumentum attulit, atque etiam alia quaedam, quae ad Uſcochorum res pertinent, exſpectare a te juſſit. Nihil circuitione utar, illuſtriſſime Senator, ſtatim ut id vidi, piguit puduitque memet ipſum mei, qui tibi tali viro, & tantis virtutibus praedito, ad quas te excellens natura tua armavit, nunquam hactenus obſervantiam meam ullo officii genere teſtatus ſum. Ego vero & gratias tibi maximas ago, & omnino nomen meum profitebor inter eos, qui te colunt reverenturque: atque etiam operam dabo, ut te decus praeſidiumque omnium eruditorum eſſe & nunc intelligant homines, & in poſterum memoria teneant. Ad hanc ego rem tibi mea ſtudia, curas, & cogitationes polliceor. nihil porro inſolenter faciam, neque te rogabo, ut animum eum erga me retineas, quem habere caepiſti: neque enim fieri-

fieri poteſt ut ab inſita atque innata tibi humanitate deſciſcas, aut ipſe te retexas. Vale, vir illuſtriſſime. Lugduni Batavorum, 4. Octobr. 1634.

EPISTOLA CCXCIV.
PETRUS CUNAEUS
Dominico Molino, Patritio & Senatori Veneto
S.

Venetias.

Ex quo tempore literas meas, Vir Illuſtriſſime, reſponſo tuo dignatus es, nova rurſus erga me tua illuxit humanitas. Nam & quae de Uſcochis maximus ſanctiſſimusque reip. veſtrae aſſertor atque alii ſcripſerunt, tradidit mihi ex munere tuo V. Cl. *Adolphus Vorſtius*: & diſſertationes duas adverſus *Laurentium Molinum* Romanum de Venetorum jurisdictione in mare Adriaticum accepi noviſſime in Zelandia, quas nobiliſſimus *Mylius* ad me transmiſit ex mandato tuo. Quare qui pridem beneficentiae tuae multum debui, nunc iterata identidem liberalitatis tuae acceſſione totum me eſſe tuum profiteor mancupio & nexu. Promiſerat mihi idem amicus meus D. *Vorſtius* ſe praecipua rerum capita ex commentario de Uſcochis ſublecturum, ne tempus tererem in perveſtigatione Italici idiomatis. Sed minus id proceſſit, quia disjuncti locorum intervallo per aliquot menſes fuimus, dum patriam noſtram peſtis inſolita aliaeque calamitates adflixerunt, quae in Dei iram, velut ultima publicorum malorum, vertunt. Certe quae de Uſcochis tradita in illo tractatu exſtant, mirifice pertinere audio ad imperium illud maris, quod illuſtrium autorum quorundam aſſenſu & longo ſeculorum decurſu vindicat ſibi veſtra Reſpublica. Caeterum dabis (opinor) veniam verecundiae meae & ingenuae ſimplicitati, illuſtriſſime ſenator, ſi, dum plene nondum ſcripta haec omnia excuſſi, veterem Academicorum ſecutus fuero morem nec judicium meum ullum interpoſuero, ſed ex indole libertatis Bataviſcae id mox probavero, quod ſimillimum veri videbitur. Illud ſcio, non deeſſe in rep. noſtra ſummos eruditiſſimosque viros, qui hoc freti Adriaci dominium magis in Venetorum armis & virtute bellica, atque in vicinarum nationum patientia, quam in juris naturalis gentiumve aequitate, aut in legum civilium ſanctionibus poſitum eſſe

eſſe autumant: & potentiſſimae urbi non proprietatem, ſed ex ſitu & oportunitate loci tutelam ejus maris adverſus piratas praedonesque, teterrimos generis humani hoſtes, tribuunt. Vulgata jam ſunt & in omnium manibus verſantur, quae incomparabili ingenio *Hugo Grotius* noſter edidit de mari libero, cujus jus haud facile eripi ſibi Hollandi Zelandique ſinunt. Ad haec video *Graswinckelium* advocatum, cum acerrime nuper & feliciſſime cauſam reip. Venetae defenderet, abſtinuiſſe prudenter ab hac controverſia, ne forte minus ſe probaret noſtratibus. Ego, quemadmodum ſine partium ſtudiis ſolam aequi bonique rationem ſequi amo, de tota hac re accuratius cogitabo, daboque operam ut tibi, certiſſimo atque incorruptiſſimo rerum judici, quae ſentiam, non penitus diſpliceant. Vale, vir maxime & illuſtriſſime, ac diu reip. veſtrae & huic ſeculo perenna. Scribebam ex praedio Voorſchotiano prope Hagam Comitum, 9. Decembr. 1635.

EPISTOLA CCXCV.

ISAACUS BASIRIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

TRimeſtre propemodum eſt elapſum, ex quo poſtremas ad te dedi. Ampliſſime Domine: In quibus, de incredibili tua illa humanitate, caudore item priſtino, uti prolixe gratias agere conabar; ita, dato ut otio, tuis ad Dominum meum literis, ſecundam quam de me fovet, opinionem ſtabilire dignareris, efflagitabam. Dum Reſponſum opperior, duo me ad poſtulationem meam redintegrandam impulere. Primo metus inceſſit tabellariorum incuria ſuperiores potuiſſe intercidere: Alterum, idque inpraeſentiarum palmarium: Quoniam novi ego te nominis *Caſauboniani* ſtudioſum. (Ab eo quippe opera *Scaligeri* Poſthuma accepiſſe te, dixti olim:) iccirco officii mei intereſſe ratus ſum, uti noviſſimam * Domini mei in praecla-

* Intelligit *Thomam Mortonum*, Epiſcopum Dunelmenſem, qui Epitaphium *Caſaubono* in Weſtmonaſterienſi templo erexit, quod in ejus vita ante epiſtolas legitur pag. 68.

claros viri laudatiſſimi manes, magnificentiam ſignificarem. Scilicet, qua eſt in Reip. Literariae Proceres, pietate ſingulari, monumentum illuſtre marmoreum divinae magni *Caſauboni* memoriae extruxit nudius tertius, in celeberrimo urbis, adeoque Weſtmonaſterienſis Baſilicae Sacrario: Impenſas ad ſummam florenorum ſexcentorum unus effudit. Hoc eo praedico, quo religioſam Domini mei in viros tui ordinis venerationem perſpicias: ſimulque ſi tuae ad eum nondum ſunt perſcriptae, occaſionem inde ut captes vel domeſticam: utpote cum *Caſaubonum* τ̃ μακαρίτην, familiarem tibi extitiſſe perſuaſum habeam. Tu, qua es perpetua judicii accuratione, prout erit viſum, anſa hac utitor. Vale, vir ſumme, & me clientem tuum priſcum amare perge. Datum ex Arce Aucklandiana in agro Dunelmenſi x. Kal. Novemb. Anno ultimi temporis CIƆIƆCXXXIV.

EPISTOLA CCXCVI.

PETRUS CUNAEUS

D. Nicolao Cromhoutio, Curiae Hollandicae & Zelandicae Praeſidi

S. D.

REtulit mihi nuper ex mandato tuo *Heinſius* noſter, nobiliſſime praeſes, cupere te ex me ſcire, quantum emolumenti pervenire ad ſingulos in Senatu noſtro quotannis ſoleat ab iis, quibus titulos & inſignia doctrinae ſuae confert Academia. Quare quicquid duobus his annis ex ea cauſa percepimus, id ex rationibus meis conjeci in hunc indicem, quem epiſtolae iſti adjunxi. Caeterorum annorum par fere reditus eſt: niſi quod poſtremi ubertas non admodum eſt frequens. Equidem ego totam eam cauſam, quae ſaepe tibi a nobis commendata eſt, cognoſcendam tibi dijudicandamque eſſe mirum in modum gaviſus fui, ſumme praeſes. Quemadmodum enim illa, quae peracta feliciter jam ante in hoc negotio ſunt, tua unius interceſſione & auctoritate obtinuimus, ita plane fore confido, ut quaecunque porro hic facienda adhuc reſtant, eodem ſtudio & ſucceſſu perficias, atque ut Senatui noſtro jura ſua & privilegia ex Ordinum Bataviae Statutis adſeras, eaque in tuto colloces. Quod ego te, vir ampliſſime, per quidquid

tibi charum eſt, obſecro & obteſtor, ut quibuscunque modis opus erit efficere velis. Si quid pro me ipſo cuperem, verecundia praepedirer, quam haud velim cum ulla eruditionis laude commutare. Nunc, cum cauſam publicam ago, fidenter peto, ut quam rem praeclare coepiſti, eandem abſolvas nunc conſummesque. Noſtrum erit viciſſim operam dare, ut te decus praeſidiumque omnium eruditorum eſſe & nunc intelligant homines, & in poſterum memoria teneant. Ad hanc ego rem tibi meas curas & cogitationes polliceor: Idemque facient omnes, qui iſto nomine obſtricti tibi ſunt: quorum eſt ſane ingens multitudo. Sed ego, etſi plurimos habebo ejus rei ſive ſocios ſive aemulos, tamen cupiam hîc, ſi quid valebo, primas tenere. Vale, nobiliſſime praeſes. Lugduni Batavorum, 4. Februarii 1635.

EPISTOLA CCXCVII.

JUSTUS LIRAEUS

Petro Cunaeo.

S. P. D.

Leidam.

Offero tibi V. Cl. panegyricas orationes, in gymnaſii noſtri inauguratione habitas; quibus alia quaedam non diſſimilis accedunt argumenti. Ac ſimul te precor, quaeſoque ut, qua olim fronte reges aquam cava manu e vicino hauſtam lacu accepiſſe, memoriae proditum eſt, eadem quoque munuſculum hoc chartaceum ſuſcipere digneris. Xeniolum fateor minutum eſt, teque indignum, ſi illud ſolum conſideres; ſed grande, ſi animum offerentis: illud ut accipias, hunc vero intuearis etiam atque etiam te rogo. Serius forte dices, ac dum molimur annum abiiſſe: verum non mea culpa. Primum enim typographus, ſimul & bibliopegus aliud ex alio cauſati, magno nos detinuerunt intervallo; ac deinde nuperi frigoris aſperitas, atque incommodum navigationi tempus. Hanc itaque moram pro humanitate tua in meliorem te partem interpretaturum, ac porro non alio in me futurum animo, atque te jam antea ſum expertus, plane confido. Ego ut gratiam habeo, quam poſſum, maximam pro opera mihi nuper praeſtita; ſic viciſſim meam opellam tibi tuisque, ſi forte qua in re ſervire poſſim, libens meritoque offero: ac ſi quicquam ex Juvenalibus illis curis, data occaſione, mihi impertiri dignatus fueris, profecto

ſecto in hominem nequaquam immemorem beneficium contuleris. Sed urget tabellarius; quocirca manum de tabula. Ultrajecti, Kal. Januariis. Anni Soſpitatoris ∞IↃCXXXV. Quem ut tibi fortunatum decurrere ſummus ille mundi arbiter velit ex animo apprecor. Vale, Vir clariſſ. & me amare perge.

EPISTOLA CCXCVIII.

PETRUS CUNAEUS

Juſto Liraeo

S. D.

Ultrajectum.

EPiſtolae tuae jam ante reſcripſiſſem, vir clariſſime, niſi me negotia identidem nova vetuiſſent morem mihi gerere, quibus ego ſaepiſſime ſuccenſere cogor, quod multa me officia cogunt praetermittere. Peto a te, ut veniam des homini occupatiſſimo, cui illud in hac ſervitute triſtiſſimum eſt, quod ea, quae amicis danda ſunt, tempora non habet in ſua poteſtate. Gratias tibi maximas ago pro diſſertationibus iſtis, quas muneri dediſti mihi, e quibus tuam libentiſſime legi, qui optime memini quanti te tuaque aeſtimaverim. Certe acerbum mihi eſt arceri voluptate audiendi tui, qui jam olim ab ore tuo pependi puer. Quare cupio adeſſe aliquando illic, ac publice te dicentem audire. Sed differam aliquantiſper hoc gaudium in tempus aliud, & fruar interim ipſa exſpectationis mora. Nec enim dubito, quanquam ſolent initia ſe commendare & novitate & cura meditationis, quin ſemper reſponſurus ſis tibi, & ita dicturus, quaſi quotidie inciperes. De Juvenale faciam quod rogas, ſi & otii aliquid nanciſcar, & in ſchedis meis reperiam, quod te meque dignum ſit. Interim tibi ut munus profeſſorium ſuccedat feliciter, multoſque des patriae diſcipulos tibi ſimiles, opto & voveo. Vale, vir clariſſime. Lugduni Batavorum, 15. Februarii 1635.

EPISTOLA CCXCIX.

PETRUS CUNAEUS

D. Thomae Mortono, Epiſcopo Dunelmenſi, ac Comiti Palatino

S.

Admirabilis eſt quaedam in noſtra Batavia, Illuſtriſſime Praeſul, nominis tui veneratio, amorque erga te ſingularis omninm eruditorum, propter inuſitatam illam ſacrae Theologiae ſcientiam, quam tibi ſumma caeli benignitate, & acerrima ingenii vi obtigiſſe omnes ii intelligunt, qui luculentiſſima tua ſcripta evolverunt. Certe etſi nullum tibi adjicere incrementum noſtra poteſt opinio, neque aliquod virtutum tuarum praemium dignum ipſis extra ipſas eſt, tamen ſi delectare magnorum hominum mentes haec cogitatio ſolet, quod reputent ſe profuiſſe quam plurimis, libens meritoque nomen ego meum inter eos profiteor, qui permultum lucubrationibus tuis debent. Caeterum qui jam pridem excellentem doctrinam tuam admirabar, diu interim vix credere potui iis, qui identidem mihi adfirmabant nihil eſſe te comius, nihilque moderatius ad omnem rationem humanitatis. Memineram enim profecto, id quod res eſt, valde rarum hoc ac prope inauditum eſſe in veſtri ordinis proceribus. Nunc vero tandem mihi fidem hujusce rei fecit *Iſaacus Baſirius*, qui a ſacris tibi eſt. Is juvenis, ut in familia mea ante plures annos vixit, & ob virtutes, animique indolem ac variarum rerum ſcientiam carus mihi admodum jucundusque fuit, ita quoties ad me ſcribit, tuam in ſe beneficentiam, quam quotidie ſentit, praedicare mirifice ſolitus eſt. Rogo te etiam atque etiam, vir ſumme, ut animum eum erga hunc retineas, quem habere coepiſti, atque ut ejus naſcenti ſpei, commodisque & ornamentis porro faveas. quanquam hoc ipſum magis moris cauſa, quam quod ita neceſſe ſit, facio. neque enim fieri poteſt ut ab inſita atque innata tibi in omnes bonos doctosque affectione deſciſcas, aut ut te ipſe retexas, qui doctrinae omnis & virtutum maximarum non fautor modo, ſed exemplum es. Equidem velim ita de me exiſtimes, nihil mihi in vita prius aut carius fore, quam ut tibi obſervantiam meam, quibuscunque potero modis, ſignifi-

gnificem. Cujus rei etſi multos habebo ſive ſocios, ſive aemulos, tamen cupio hic, ſi quid valebo, primas tenere. Deus Optimus Max. te, illuſtriſſime praeſul, diu nobis & ſeculo incolumem ſervet. Lugduni Batavorum, xv. Julii 1635.

EPISTOLA CCC.

PETRUS CUNAEUS

D. Henrico Feytio JCto

S. D.

QUi te, vir ampliſſime, non modo inter ſummos Belgii noſtri JCtos, ſed inter eos etiam, qui literis, & varia eruditione praecellunt, locum tenere principem ſemper intellexi, nunquam tamen te adire, nec tempora, quae reip. impendis, interrumpere ſuſtinui, niſi tunc, cum fretus ſumma humanitate tua D. *Jacobum Zevecotium* ante plures annos tibi commendavi, ut hiſtoriarum & eloquentiae profeſſione in illuſtri gymnaſio veſtro fungeretur: Ego vero & interceſſionem meam multum apud te valuiſſe ſenſi, & obtuliſſe me tibi cultiſſimae lectiſſimaeque doctrinae virum, qui publica gymnaſii veſtri commoda bene recteque auxit, gratulatus mihimet ipſe ſum. Idem ille mox ex eo tempore animum ad Juriſprudentiae ſtudia adjecit, in quibus tanta induſtriae & ingenii contentione ſe circumegit, ut ſuperiore anno titulum JCti cum ingenti Senatus noſtri Academici admiratione meruerit. Rogo te, vir ampliſſime, ut exiſtimes eum utiliſſimam promptiſſimamque juventuti veſtrae operam in jure civili tractando explicandoque publice praeſtare poſſe, magnamque ex ea re lucem gymnaſio veſtro acceſſuram. Certe quantum praeſidii ornamentique ex literarum & hiſtoriarum cognitione accipiat juriſprudentia noſtra, ſi tu certiſſimus acerrimusque harum rerum judex ſponte non fateris, dicendo evincere non cupio. Quare omnino confido, pro ea, qua vales, gratia & autoritate effecturum te, ut hujus praeclara indoles ad juris etiam publicam profeſſionem adhibeatur, & ſi quid meae apud te poſſunt preces, vehementer etiam atque etiam ut id efficias peto obteſtorque. Deus opt. max. te, vir ampliſſime, diu reip. veſtrae ſervet incolumem. Lugduni Batavorum, 5. Maji 1636.

EPISTOLA CCCI.

PETRUS CUNAEUS

Clariſſimo Juveni Adriano Vettio JCto

S. D.

Redit ad te *Balſaci* diſſertatio, Vetti clariſſime, ex qua rectius jam intelligere coepi *Heinſii* noſtri epiſtolam. Quo nomine gratias tibi ago. Equidem ego, etſi arbiter eſſe hujus controverſiae nolo, tamen exiſtimo potuiſſe aliquantum indulgeri Gallorum genio & libertati in ea cenſura, quam adeo verecunde & dubitanter peragit auctor, ut ſumma lenitate & modeſtia multo plura laudet, quam reprehendat, & quaerenti ſit magis quam aſſerenti ſimilis. Et quid ab illo aegre feras, qui in Sophoclis etiam & Senecae tragoediis curioſa indagatione reperit, quod non probaret? Ut caeteros omittam, a quibus continere haud ſuſtinuit. Interim multa, quae ad Mariamnen pertinent, juſtam non effugiunt notam, & adhuc reſponſum exſpecto plenius. De fratre tuo quod me rogas ſupervacuum eſt, Utinam vero juveni omnium, quos pridem novi, lectiſſimo, aliquid praeſtare poſſim, quod ſit praeclaro ejus & nobili ingenio dignum. Sed ille quicquid hoc erit, quod a me proficiſci ad optimos ejus conatus juvandos poterit, felicitate indolis ſuae atque induſtria ſingulari antevertet praecurretque. Quare nihil ſupereſſe video, niſi ut virtus ejus a me inflammetur, quoties ad me adierit. Id autem ut ſaepe faceret, petii. Vale, Vetti amiciſſime. Lugduni Batavorum, pridie Calend. Novembr. 1636.

EPISTOLA CCCII.

JOHANNES FRIDERICUS GRONOVIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

Ampliſſime Domine. Etſi non ſemel antehac obſervantiam erga Nomen tuum meam teſtari tibi & ſtudia noſtra commendare voluerim: tamen neſcio quomodo ad hoc uſque iniqua quaedam fortuna conſilium meum impedivit. Quoties fere Leidae moratus ſum, identidem acceſſi ad

ad aedes tuas: ſed aut domi te non reperi, aut ita occupatum, ut ipſe me vetarem indicari. Nec per literas vota mea fateri tibi ſum auſus, quod te inter graviſſimas curas ſcriptionibus rerum inanibus non magnopere delectari crederem; & ipſe omnis elegantiae expers, tum ignarus artium, quibus animi capiuntur, ſubterfugerem id conciliandi genus, quod ambiguum me faceret, nanciſcine ita gratiam poſſem tuam, an ipſo exordio eadem excidere. Nunc vero non potui mihi temperare longius, ſive quia animo meo parerem; ſive ut culpam, quam me judice ſilendo contraxeram, vel ſic ſero excuſarem; ſeu denique difficiles haſce nugas judicio tuo ſubmitterem. Accipe igitur peregrinum & humilem ſummarum virtutum tuarum cultorem, qui ſe abunde magnum religionis ſuae pretium conſecutum exiſtimabit, ſi ipſum amando hanc gratam eſſe tibi oſtenderis. Quod ut ſcires me nulla mei meriti, ſola humanitatis tuae fiducia abs te petere, comitem epiſtolae huic dedi libellum, quem his diebus in lucem emiſi: teſtem egregiae quidem ad juvanda ſtudia voluntatis, ſed a multiplici illa, quae ad hoc literarum genus requiritur, doctrina prorſus deſtitutae. Eum tunc legiſſe te putabo, quum veram de eo ſententiam feres, errores, quos hanc aetatem & ἀμαθίαν comitari fas eſt, notabis, & quae rectius ex te potueramus diſcere, ſi conſulere cortinam tuam ante auſi eſſemus, de iis nos candide monebis. Sive placebit tibi conatus noſter, amplecteris hunc hominem opinionis honeſtae ſuffragio: ſive diſplicebit, ſimplicitas favorem merebitur, quae me vetuit accedere ad te ſine inornatis illis ornamentis, quae tibi me, qualis eram, repraeſentarent. Vale, vir maxime, & gloria tua fruere. Hagae a. d. IV. Non. Jul. Anno Chriſt. CIↃIↃCXXXVII.

EPISTOLA CCCIII.

PETRUS CUNAEUS

Joanni Frederico Gronovio

S. D.

Hagam.

Nihil tibi opus erat, Gronovi praeclariſſime, tam ſolicitam adferre excuſationem, quod conſuetudine mea uti aut non potueris ante, aut nunc velis. Nam & ego, qui omnium virtutum primam eſſe humanitatem autumo, nemini

ta humanitate tua difficilem te nobis praebuiſti: ſed ſimul in manus tuas illae incidiſſent, ſepoſiturum & petentibus conceſſurum promiſiſti. Adeſt ecce dies appellandi: ad literam enim P pervenimus: & cuperem vehementer tuo quoque nomine hoc theatrum ornari atque commendari. Quare ſupplico tibi, vir ſumme, ut velis hoc tibi a nobis beneficium deberi, & quaſcunque habes primo quoque tempore huc mittas. Autographa, ſiquidem illorum nos compotiveris, diligenter aſſervabuntur, & ſine lituris aut maculis recipies. Quoniam autem ſemel allocutus te ſum, ut de eodem oleo occaſionem me docendi obtrudam tibi, non poſſum non explorare ſententiam tuam de l. XXIII. D. de R. I. *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam dolum & culpam. Dolum tantum depoſitum & precarium: dolum & culpam mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum; item dotis datio, tutelae, negotia geſta. in his quidam & diligentiam.* Ultima verba me non intelligere fateor. Certe ut ſenſus integer ſit repetendum ex praecedentibus τὸ *recipiunt.* Si ergo ut culpam, ut dolum recipiunt contractus, ita & diligentiam: ſequitur diligentiam ſpeciem eſſe ejuſdem generis cum dolo & culpa, nempe vitiantium contractus. quod eſt abſurdiſſimum. An ſcripſit Ulpianus: *in his quidam & negligentiam?* Notum eſt vocabulum *culpae* κατ᾽ ἐξοχὴν ut plurimum accipi pro culpa levi. Id fit etiam in hac lege. Si enim ſignificaret omnem culpam, depoſitum & precarium non poſſent ſeparari ab illis contractibus, qui dolum & culpam recipiunt: quippe cum culpa lata in iis puniatur. quae ſub dolo comprehenditur. Poſtquam igitur poſuit contractus, qui dolum & culpam latam recipiunt, dein, qui etiam levem culpam; ſubjungit, in his enumeratis contractibus ſunt quidam, qui etiam recipiunt leviſſimam, hoc eſt, ſimplicem negligentiam: quales ſunt commodatum §. 2. Inſtit. quib. m. r. contr. ob. negociorum geſtio §. 1. Inſtit. de oblig. quae quaſ. ex con. Negligentia ſimplex eadem, quae culpa leviſſima. Etſi enim §. 3. Inſt. quib. mo. re contr. ob. negligentia dicitur culpa, & ſic accipi poſſit pro culpa levi: tamen aut ibi vox culpae de utraque & levi & leviſſima poteſt intelligi; aut per negligentiae vocem intelligenda magna negligentia, quae culpa eſt l. 226. D. de V. S. quam appellando magnam, oſtendit JCtus, aliud eſſe ſimplicem negligentiam. Sed de his tu judicabis & certiora me docebis.

 Vale,

Vale, vir magne & me ama. Hagae a. d. XVIII. Kal. Jul. A. Chriſt. CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLA CCCV.

PETRUS CUNAEUS

Joanni Fr. Gronovio

S. D.

Hagam.

QUod coram ante ſaepe verbis, ac nunc poſtremo etiam literis tuis me rogaſti, Gronovi clariſſime, feci lubens, ac eas epiſtolas, quas a *Caſaubono* acceperam olim, quaeſivi admodum ſedulo. Equidem ſciebam paucas oppido eas eſſe. Quippe adoleſcens pene eram, cum enaſcentem primum jucundiſſimam mihi cum incomparabili viro conſuetudinem luctuoſa ejuſdem mors abrupit. Caeterum e tribus, quarum meminiſſe poſſum, unam *Joachimo Morſio* Hamburgenſi, neſcio quid edere in publicum paranti, commiſeram, cum *Druſii* aliquot ad me epiſtolis, neque unquam recepi. Tertia, ut momenti nullius erat, ita quaerenti adhuc ſeſe non obtulit. Quare hanc, quae ſola mihi ſupereſt, ampliſſimus Senator *Scottus* tibi tradet, cui mox eam, ubi uſus fueris, reddes. Magnam mihi voluptatem ea attulit epiſtolae tuae pars, ex qua perſpexi in legum noſtrarum perveſtigatione operam te ponere. Crede mihi: res eſt literatiſſimis & ſagaciſſimis hominibus, hoc eſt, tui ſimilibus, digna, Juriſprudentiae tractatio. Quare ut magis magisque eam capeſſas, atque ut non dicis aut oſtentationis cauſa, ſed ſerio & bona fide totum te huic ſcientiae des, etiam atque etiam te rogo. Nihil tibi aut ad nominis famam, aut ad vitae plurima commoda poterit eſſe fructuoſius. Quod attinet ad textum L. contractus 23. ff. de reg. Jur. non poſſum tibi aſſentiri, cum in illis verbis, *in his quidam & diligentiam*, aliquid mutas, ac legendum putas, *in his quidam & negligentiam*. Rectiſſima quippe eſt vulgata lectio, neque emendatione opus habet, ſi morem loquendi Juriſconſultis Romanis familiarem ſpectes. Enimvero in legibus noſtris, quoties per hos gradus incedit oratio, ut *non dolum duntaxat & culpam, ſed & diligentiam praeſtandam eſſe dicatur*, ſemper *diligentiae* vox eam ſignificat ſpeciem, quae plene & rotundis verbis alibi *exactiſſima diligentia*

tia appellatur, quam qui adhibere debet, *is leviſſimam cul-*
pam praeſtare neceſſe habet. Ne multa loca citem, ſcis
Ulpianum eſſe, cujus exſtant verba in d. L. *contractus*. 23.
ff. de reg. Jur. atqui ipſe ille Ulpianus in L. *cum res lega-*
ta 47. §. *culpa*. 5. ff. de leg. 1. ad eundem modum ſcripſit,
culpa autem qualiter ſit aeſtimanda, videamus: An non ſo-
lum ea, quae dolo proxima ſit, verum etiam quae levis eſt:
an numquid & diligentia quoque exigenda eſt ab herede; quod
verius eſt. Et rurſus vero in L. *ſi ut certo* 5. §. *nunc videndum* 2.
in fin. Commod. ait idem ille Ulpianus: *Commodatum plerum-*
que ſolam utilitatem continet ejus, cui commodatur. Et ideo
verior eſt Quinti Mucii ſententia exiſtimantis, & culpam
præſtandam, & diligentiam. Sed neque alius Juriſconſul-
torum mos eſt, cum poſt dolum & culpam, ſtatim mox
ſuperaddunt *etiam cuſtodiam*. Quo caſu pariter *cuſtodiam*
intelligunt *diligentiſſimam*, quae *culpae leviſſimae* opponitur.
Certe Diocletianus & Maximianus in L. *ſicut*. 19. C. de pi-
gnor. & hyp. *ſicut vim* (inquiunt) *majorem pignorum cre-*
ditor praeſtare non habet neceſſe: ita dolum, & culpam, ſed &
cuſtodiam exhibere cogitur. Et in l. 1. §. *ſaepe evenit*. 35. De-
poſ. refert ex Juliano Ulpianus *ſi ſe quis depoſito obtulit, eum*
periculo ſe depoſiti illigaſſe: ita tamen ut non ſolum dolum, ſed
etiam culpam, & cuſtodiam praeſtet, non vero caſus fortuitos.
Denique poſtremo idem Juriſconſultus ſcripſit in l. *ſi cum*
venderet, 13 §. ult. ff. de pign. act. *venit in hac actione &*
dolus, & culpa, ut in commodato. Venit & cuſtodia. Vis
major non venit. Ex quibus omnibus illud efficitur, etſi
alibi vulgo in legibus tam *diligentia*, quam *cuſtodia* gradus
ſuos habeat, atque alia ſit *exacta*, alia *exactiſſima*, tamen
ubi nuda haec vox per exaggerationis modum dolo & cul-
pae adjicitur, *diligentiam & cuſtodiam* deſignari *accuratiſſi-*
mam exactiſſimamque. Quae ſi ita ſunt (ut ſunt hercle)
nullus jam ſcrupulus in d. L. *contractus* 23. reſtat. Etenim
poſtquam dixerat, *dolum & culpam recipere mandatum, com-*
modatum, venditum, pignori acceptum, locatum; item dotis
dationem, tutelam, negotia geſta, adjicit *in his contractibus*,
quos ſcilicet enumeraverat, *quoſdam & diligentiam* recipe-
re, ſed exactiſſimam utique. Hi autem contractus ſunt
duo, mandatum & commodatum. Ea interpretatio textus
illius, de quo ambigebas, indubitata eſt. Quod ſi conjectu-
ram tuam ſequi malueris, vide quo exitura haec ſint. Nam
& ad Criticorum remedia decurres, ubi minime neceſſe
eſt, a qua re mirum in modum mea ſemper ratio indoleſ-

que

que abhorruit. tum &, cum negligentia varias ſpecies admittat, quarum alia aliam ſuperat, *L. cedere.* 213. §. ult. *L. magna.* 226. ff. de verb. ſign. voce negligentiae non comparate, ſed ſimpliciter, ita ut vis, in locum vulgatae lectionis ſuppoſita, jam in eodem luto haeſitabis, & totam cauſam efficies aeque incertam. Vale, Gronovi praeſtantiſſime, & haec boni conſule. Lugduni Batavorum, 21. Julii 1638.

EPISTOLA CCCVI.

JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS

Petro Cunaeo

Salutem & Obſervantiam.

Leidam.

REdiiſſe te bona fide cum Hygeia in gratiam intellexi lubens, vir maxime, ac eapropter immortales Deo Opt. Max. ago gratias. Sane peſtifer, immo letifer, hic flexus anni multis, ut audio, popularibus tuis in Selandia fuit. Praeclare tamen nobiscum actum putamus, quod tu & ampliſſimus *Scottus*, hic Curiae, tu Academiae primarium ſidus, uterque reipublicae literariae σιμῶν ἔρεισμα, commune periculum ſalvi effugiſtis. Iterum laudes grateſque ago τῷ δωτῆρι ἐάων, atque hoc proprium uti vobis bonum ſit, toto pectore voveo. Nuperam epiſtolam, in qua ὡς ἀκριβέστατα ad l. *Contractus* diſſerebas, gratiſſimam mihi & auro contra caram fuiſſe, quid ego multis tibi affirmem? Equidem indignus ſim unico meo voto, cognitione dico verae juriſprudentiae, niſi omnia tibi debeam, qui in re adeo crepera tam lucidam mihi facem extuliſti. Nihil enim in illa, quod non abunde ſatisfecerit: ita tu me ames, ita caſtis manibus haec ſacra tractem. Habeo exemplum, quid ego, ſi ſapiam, ex te proficere poſſim. Et non deſinam ſubinde dubitatiunculas meas ad te unicum horum myſteriorum epoptam allegare: ſic tamen, ut ne arduis occupationibus tuis ſim injurius. Toti enim illis in ſtudiis ſumus, ad quae tu & amanter & graviter me hortaris. Ingenſque animo meo acceſſit augmentum, ex quo ſublevatus ſum moleſtiſſima cura publicandi operis, quod in pignus obſervantiae meae nunc ad te mitto. Amabis, ſpero, pietatem noſtram in manes viri ſummi, cujus ſola conſcientia pretium eſt mihi exantlati ingentis laboris. Nunc paullo

paullo me occupatiorem facit editio particulae ex Miſcellaneis noſtris, amici cujusdam officioſis imperiis aliud agenti mihi extorta. Sed hac paucis diebus defungar. Tum plura tecum de conſiliis meis agam, quorum proram ac puppim te eſſe cupio, qui & pro prudentia tua optime ſuadere mihi potes, & pro benevolentia haud dubie voles. Vale, ἅνερ θαυμαστὲ cum tuis, & hoc munuſculum benigno vultu accipe. Hagae a. d. XVII. Kal. Decemb. Anno CIƆIƆCXXXVIII.

EPISTOLA CCCVII.

PETRUS CUNAEUS

D. Henrico Altingio, S. S. Theol. Doctori S. D.

Groningam.

Vir Clariſſime. Cum intellexerim Illuſtriſſimos Provinciae Groningauae Ordines id agere, uti JCtum aliquem ad ſe evocent, qui in veſtra Academia profeſſione juris bene recteque fungatur, utar ea libertate, quam perſpecta mihi pridem tua ſumma humanitas dat, ac te rogabo, ut credas excellentem eſſe animi induſtriam, & cum aliarum artium, tum in primis Jurisprudentiae cognitionem in D. *Cypriano Reguero* Zwollenſi Tranſſyſalano, quem & tu ante aliquot annos Groningae noviſti, & nos hic ante biennium ſupremo JCti titulo cum ingenti omnium admiratione donavimus. Equidem ego futurum omnino exiſtimo, ut is Academiae veſtrae ornamenta & commoda augeat, atque ut utiliſſimam promptisſimamque juventuti veſtrae operam in jure civili tractando explicandoque publice praeſtet, ſi pro ea, qua vales, gratia & autoritate, effeceris, ut ad juris profeſſionem adhibeatur tam praeclara indoles. Id autem ut efficias, ſi quid me apud te poſſunt preces, vehementer etiam atque etiam te peto. Deus Opt. Max. vir reverende, diu te Academiae veſtrae ſervet incolumem. Lugd. Bat. pridie Calend. Maji 1638.

EPISTOLA CCCVIII.

HENRICUS ALTINGIUS

Petro Cunaeo

S. D.

Leidam.

VIr Ampliſſime. D. *Cyprianum Regneri*, quem mihi commendas, & ante novi familiariter, & ob eximias animi dotes, non uno ſpecimine comprobatas, in pretio habui. Nec dubito quin dignus ſit publicae profeſſionis axiomate, poſtquam eum, omnibus applaudentibus, ſupremo Jurisconſulti titulo decorandum cenſuiſtis. Sed D. D. Curatores noſtri Cl. D. *Matthaeo* eum ſucceſſorem dare voluerunt, qui non modo doctrinam, ſed famam quoque & authoritatem ad cathedram Juridicam adferre poſſet. Qualem jam Geneva decreto publico evocarunt; nempe Cl. Virum D. *Joh. Steenbergium*; jam ab annis pene xx. hac in palaeſtra publice privatimque verſatum, & ab Illuſtri Legato Suecico inſigni elogio ornatum. Erit tamen, ſpero, alias, ut de D. *Cypriano* quoque bene mereri liceat. Certe quicquid ab hac tenuitate proficiſci poteſt, honori ipſius atque commodis l. m. q. offero, conſecro. Tibi vero, Vir Ampliſſime, & pro indicio amico, & pro affectu benevolo reverenter gratias ago: Deum orans, ut ſtudiis tuis ac pro publico conatibus caelitus benedicat! Bene vale. Groningae, III. Nonas Maji CIↃIↃCXXXVIII.

EPISTOLARUM FINIS.

P. CU-

P. CUNAEI

J. U. D. ET PROF.

ORATIO

In obitum

B. VULCANII

Habita Lugd. Batav. in Academia

CIↃIↃCXXV.

Nunc primum edita.

ORATIO
In obitum
BONAVENTURAE VULCANII,
Linguae Graecae Profeſſoris.

RECte olim clarorum virorum laudes, in funeris ſolennitate dicere, inſtituit antiquitas, quae quo propius aberat ab ortu & divina progenie, hoc melius ea, quae erant recta, cernebat. Sacram enim eſſe judicabat magnarum virtutum memoriam, & eſſe plures bonos juvabat, cum gratia bonorum non cum ipſis caderet. Hic mos a quo potius, quam a Collega, aut quando magis uſurpandus colendusque eſt, quam cum rogatu Magnifici Rectoris, precibus ampliſſimi Senatus Academici ad parentandum homini celeberrimo, *Bonaventurae Vulcanio*, excitamur? De hoc Viro, ut multa dicam, pietas & merita illius ſuadent: ut brevior ſim, quam fortaſſe decebat, luctus jubet. Inter haec velut in ambiguo deſtitutus, quoniam eligendum eſt, quid potiſſimum ſequar, dolori meo potius parebo. Neſcio enim quo pacto animus noſter ſibi ipſe ſuccumbit, & quicquid vox langueſcens aegre effert, involvere ſilentio amat. Curae parvae loquuntur, ingentes ſtupent. Amiſit Academia Profeſſorem, at ego amicum, cum quo perdiu ſane una fui, atque ſub eodem tecto vixi; a cujus ore pendere, quem audire adoleſcens ſenem gaudebam. Itaque cum ex illius morte ingens luctus ad univerſos pertingat, plus tamen eſt, quod me male afficit. Sentio me nimis ambitioſa praelocu-

tione uſum, aliqua via hinc me expediam, & ne veſtram exſpectationem diutius morer, dicam ea omnia, quae non ordo, ſed caſus ſuggerit. Eſt mos quorumdam, cum defunctos ſolenni hujusmodi laudatione proſequuntur, ea cuncta recenſere, quae in vita eorum fortuniſque maxime fuere notabilia. Eſt enim in rebus hominum admiranda varietas, & neſcio quae ſors modo noverca, modo mater eſt, & dure alios, alios molliter, nunquam autem cunctos eodem pacto verſat. quae ſi nunc perſequi omnia velimus, magna rerum ſeries dicentibus ſurgeret. Eſt hoc eorum, quibus hiſtoriam narrare potius, quam laudare defunctos conſilium eſt. Nobis ſatis erit breviter ea de ſene noſtro dixiſſe, quae ad commendationem eruditionis, quae ſumma in illo fuit, pertinere viſa ſunt.

Vetus opinio eſt, jam usque a mundi ortu, plurium ſapientum firmata conſenſu, eſſe in natali ſolo aliquod momentum ad ingeniorum felicitatem. Id ego cum hactenus verum eſſe ideo crediidiſſem, quia omnium concors judicium naturae vox eſt; tum vero idem multo magis nunc ſentio, poſtquam optimum ſenem noſtrum ea eſſe urbe ortum cogitavi, quae jam pridem hominum eruditiſſimorum fuit parens. Etenim uberem ſemper ingeniorum fructum Bruga dedit, & inter caetera ſui honeſtamenta etiam *Vulcanium* noſtrum jactat. In hoc celeberrimo oppido natus ille anno Chriſti CIƆIƆXXXVIII. die XXX. Junii, patrem habuit *Petrum Vulcanium*, de cujus ſumma eruditione nihil profecto majus luculentiusque dicere queo, quam quod *Eraſmi* Roterod. epiſtolis, quae nunc exſtant in manibus hominum, celebrata eſt. Credite mihi, Auditores, non exiguam aut vulgarem rem eſſe, *Eraſmo* placuiſſe, qui vir profecto nihil ne ex ipſa quidem antiquitate probare ſo-

ſolebat, niſi quod ab omni parte conſummatum, & pene divinum eſſet. Adeo acre judicium Batavo illi fuit; neque habet profecto quicquam, quod illius induſtriae anteponat, aut inſolens Graecia, aut rerum potens Latium. Non miramur in *Vulcanio* noſtro ingenium ad doctrinam eximiam natum, cum talem tantumque habuerit parentem. Permultum poteſt indoles rite nutrita ſub fauſtis penetralibus, & quadem naturae lege ita comparatum eſt, ut in juvencis atque in equis eluceat patrum virtus. neque unquam hercle factum eſt, ut generoſa Jovis ales aquila imbellem columbam progeneraret. Statim adoleſcens optimis praeceptoribus a patre traditus, cum nondum ſextum & decimum annum impleviſſet, ſummam ſpem civium, quam de eo jam puero habuerant, prima juventutis ſpatia ingreſſus, incredibili induſtria ſuperavit. Non enim cum aequalibus modo, ſed cum viris & ſenibus de literarum ſcientia contendebat, neque jam amplius homines, ſed provocare res ipſas videbatur. Enimverò hoc beneficium tributum magnis excellentibusque animis à natura eſt: non magis quam flamma latere poſſunt, ſtatim & ante diem virtus illorum emicat. Numerent natales ſuos illi, qui de plebe hominum ſunt. Ingenium coeleſte ſuis annis velocius ſurgit, & damnum non fert ignavae moraę. Magnorum fluminum navigabiles ſunt fontes, & generoſiſſimae cujusque arboris ſtatim planta cum fructu eſt: Poſtquam Lovanii in litterarum ſtudiis aliquamdiu cum ſumma laude vixiſſet, in Hiſpaniam a *Joanne Paccio*, Philippi Catholici Regis hiſtorico, abductus eſt, ut cum illuſtriſſ. *Franciſco Mendoza*, Cardinale & Epiſcopo Burgenſi, vitam ageret. In hujus comitatu & aula per XI. annos fuit, cunctis illius florentiſſimi regni principibus rerum-

que Dominis, ob ſummam doctrinam perquam charus. Ibi D. Cyrilli libros de adoratione in Spiritu & veritate, primus Latio dedit. Ibi Nicolai Cabaſilae Methonenſis epiſcopi commentationes de vita in Chriſto, Graece ſcriptas, Romauo ſermone vertit. Et ne cuncta percurram, fecit ille, ut praeclare jam de Belgarum ingeniis ſentiret, gravis illa & nunquam plebejae virtutis laudatrix, Hiſpanorum natio. Saepe ego cum ſermonibus optimi ſenis intereſſem, audiviſſe ex illo memini, illuſtriſſimum *Mendozam* ſibi hanc curam demandaviſſe, ut exemplo *Pauli Jovii*, vitas clarorum atque eruditorum hominum luculento ſermone deſcriberet. Et jam huic rei manum admoverat, cum praeclari operis inceptum mors ſummi illius epiſcopi interrumperet. Paullo poſt relictis Hiſpanorum finibus, per Germaniam circumactus, peregrinis in locis, procul a patria cum eſſet, omnium ſtudia in ſe concitavit, & Graecorum ſcriptis publicandis, magna dedit ingenii ſui documenta. Ea res effecit, ut cum paullo poſt per Bataviam iter faceret, profeſſio illi Graecarum litterarum jure merito oblata ſit, in qua per triginta & tres annos ita ſe geſſit, ut permultum illi Graeca deberet antiquitas, quae neglecta tunc, & pene dicam extincta, ſpiritum ſub illo & robur accepit. Jacebant artes ingenuae, & juventus malis magiſtris uſa, nihil antiqui moris retinuerat. Inepta quaedam barbaries pleriſque, & nugae atque quiſquiliae placebant. Vos ego appello, Clariſſimi Profeſſores, collegae mei. Ipſi enim vos, vos, inquam teſtes eſtis, nihil in ullo litterarum genere eſſe ab illo praeteritum, quod quiſquam acerrimo ingenio atque indefeſſa cura proponere aliis & tradere poſſet. Certe extremo tempore, cum jam per ſenectutem nec manus nec pedes officium ſuum

fa-

facerent, & caeci jam oculi aſpicere amplius ſplendidam diei lucem non poſſent, nihil ſibi in hac aetate magis moleſtum eſſe querebatur, quam quod animi munia ſenectus tardaret. Itaque jam mortem optabat, quoniam quidem, ut ipſe ajebat, jam inutiles demorabatur annos, & juvare publica commoda haud poterat. Ita illi diutius cupiditas laborum, quam facultas fuit; & cum otium illi natura dediſſet, nondum tamen a ſe impetrare potuit. Dicam quid mihi nuper contigerit. Decimus & tertius dies eſt, cum optimum ſenem, ut ſaepe ſolebam, viſitarem. Ibi ille multis ſermonibus ultro citroque habitis, plane quaſi ſentiret adventare ſummum atque ineluctabile fatum, manum incertam aegre ſuſtulit, &, mi Cunaee, inquit, prope jam adeſt, cum mihi natura finem vitae faciet, certus ſum, non me videbis amplius. Vos igitur inter vos, juvenes, quibus aevi integer ſanguis adeſt, vos, inquit, eja, agite inter vos, literarum dignitatem tuemini, & *Vulcanii* veſtri memoriam ſemper reſervate. Erat, cum haec diceret nuper, adhuc integra valetudine ſenex. Itaque profecto jam ferme adducor in hanc opinionem, verum illud eſſe, quod credidit vetuſtas, eſſe ſcilicet in homine quiddam praeſentiens atque divinans tunc, cum mors in propinquo eſt, & animus noſter propediem oneroſi corporis ergaſtulo abiturus, ad coelum ſuum & cognata ſidera iter parat. Jam tum enim, etiam in terris adhuc, frui divinitate ſua incipit, & majore quadam vi agitur: ut ut haec ſunt, non fefellit *Vulcanium* ſua auguratio. Haud multo poſt enim mors conſecuta eſt, ſed mors placida, mors inexpectata, ſine longo morbo, ſine cruciatu. Quae profecto magna felicitas eſt, quam olim ſummis votis exoptavere reges quidam, principesque, cum

pauliſper ſuperbiae ſuae obliti, in hanc cogitationem deſcenderent, homines ſe eſſe, & moriendum aliquando. C. Caeſar Dictator cum apud Xenophontem legiſſet, Cyrum Perſarum Regem afflicta valetudine longo ſermone ad filios uſum, de regno ſuo, de funere, deque aliis rebus multis, aſpernatus eſt tam lentum genus mortis, & ſubitam ſibi celeremque optavit. Quem imitatus non imperii modo ſed paterni animi haeres Octavius, quoties audiſſet cito ac nullo dolore defunctum quempiam, ſibi & ſuis ſimilem ſortem precabatur. Enimvero contigit illud ſeni noſtro, quod iſti rerum Domini non ſuum, ſed Deorum munus eſſe intelligebant. Itaque a Diis petivere, & pauci aſſecuti ſunt. hoc unum nec ſibi nec aliis dare poterant, qui caetera omnia dono dabant, fortunam, regna, imperia, quae per mortales avide cupiuntur. Heſiodus, vetuſtiſſimus inter omnes Graecos ſcriptor, cum de aureo ſaeculo loquitur, fuiſſe illud maximum beatiſſimumque ait, quod leniter expiraverint tunc homines, velut ſomno domiti, cum ex vita hac ad Deorum religionem & ſanctimoniam demigrarent. Quae cum ita ſint, Audit. ſic habetote, male quidem actum eſſe cum nobis, qui collega orbati ſumus, cum rep. eruditorum, quae ſpectabili doctrina virum amiſit: at cum illo hercle actum optime eſt, qui ſenecta pridem feſſus, viribus deſtitutus, facili curſu in portum pervenit aeterna quiete placidum, in quo ſemotus a noſtris rebus ſejunctusque longe, neque miſeriis exeditur, neque iis angitur incommodis, cum quibus nos quotidie, dum in terris ſumus, luctamur. Non eſt tam optanda res vita haec noſtra, quam fortaſſe multis videtur, quid enim habet boni? quid non potius moleſtiae & calamitatis? Haec conditio mortalium eſt, gravi quodam munere neceſſitatis omnes

per-

perſungimur, & dura atque aſpera toleramus, unam tantum ob culpam, quia nati ſumus. Non dicam jam quod primo ſtatim die, ut in lucem editi ſumus, vitam a ploratu auſpicamur, pejora enim multo ſunt, quae mox aetate confirmata ſequuntur. Quid eſt enim homo? imbecillitatis exemplum, ait Ariſtoteles, temporis ſpolium, fortunae ludicrum, mutationis imago, calamitatis trutina, caetera pituita & bilis. Nullum gaudium eſt, quod non continuo contaminet aegritudo aliqua. Dolor & voluptas per vices quaſdam cedunt ſibi; & brevior quidem voluptas eſt. Neque his malis finem adfert longior aetas. Optimus enim quiſque dies, primus fugit. Meliora praetervolant, deteriora ſuccedunt. Quemadmodum in amphora graviſſimum quodque turbidiſſimumque in imo ſubſidit, ſic in vita noſtra, ultimum quod eſt, peſſimum eſt. Sed non lubet mihi deplorare conditionem mortalitatis, quod multi jam olim fecere perquam diſerte. Nihil enim mali accidiſſe noſtro ſeni puto. nobis accidit ſi quid accidit, quoniam abiit a nobis, non hîc viſurus nos, non videndus nobis. Quamquam profecto, quid eſt cauſſae, cur abeſſe illum & inter nos non amplius vivere dixi, qui vivit vivetque in animis noſtris, quem in tot illuſtribus ſcriptis praeſentem intuemur, qui in ore famaque hominum ſemper erit? Non eſt haec vita noſtra dicenda, quam in terris vivimus. Intercidit enim corpus fragilitatis caducae, exigui temporis breve donum. Nulla dies eſt, quae non aliquid ei auferat. Illa, inquam, illa vita eſt noſtra, quae nos ſacratos in omnia ſecula poſteritati repraeſentabit, quae annis non conſumitur, ſed vires ab illis capit, & tempore major meliorque effloreſcit. Hoc illud eſt, quare olim ingenio & virtute praeſtantes viri ſumma ope & animi contentione pu-

publice prodeſſe ſtuduerint quamplurimis: animus enim eorum erigens ſe ſeculorum futurorum quodam augurio movebatur, quaſi cum exceſſiſſent e vita, tum denique victuri in oculis poſteritatis eſſent, hoc eos excitabat, hoc ſolabatur. Et profecto nihil pulchrius eſt. Etenim caetera omnia, quae maxima credidimus, etiam aliis contingunt. At laus & ex Deo ſempiterna gloria, Deorum eſt, aut eorum, qui Diis proximi cenſentur. Hic generoſus ardor in maximis ingeniis, altiſſimisque animis & exiſtit maxime, & apparet facillime. Non poteſt enim quidquam humile aut abjectum tentare, moliri, conari, facere, qui ſcit de ea ſemper loquendum. Praeclare Ennius, omni laude doctrinae excellens vir, cum vetuit lachrymis ſe decorari aut funera ſibi fletu fieri, cauſſam addidit hanc, quod etiam poſt mortem vivus per virum ora volitaret. Marcus Varro, quo homine nemo plura ſcripſit, ſola immortalitatis ſpe ſe tantos labores ſuſcepiſſe ſignificavit, cum celebre illud dictum, quod, in libris ejus legitur, publicaret, legendo & ſcribendo vita procuditur. Ita eſt profecto, M. Varro, breve & irreparabile vitae tempus cunctis eſt: ſed factis & induſtria extenditur. Non potuit naturae iniquitas exigium nobis gloriae curriculum circumſcribere. Immenſum eſt, ſine fine eſt. Hic fructus talis tantusque gloriae Audit. Or. poſt mortem demum percipitur. Itaque magnum jam lucrum eſt mori. Proſequitur quidem claros viros etiam viventes adhuc fama & exiſtimatio quaedam hominum. Sed ea & rara eſt, & plerumque minor, quam debet. Cujus rei cauſſam nobis indagantibus, reperta eſt ſane non una. Eſt illud humani ingenii vitium, non agnoſcere bona ſeculi. Virtutem praeſentem negligimus; ſublatam ex ocu-

lis

lis quaerimus inepti. Alexander Macedonum rex, cum occurrentem quendam cerneret tabellarium, qui res adferre laetas videbatur; Et quid, inquit, nuntias mihi? An Homerum revixiſſe? Ut illud taceam, quam multos invidia, inſeparabile malum, ad mortem uſque comitata ſit. Ipſe Hercules, cum terras omnes perambulaſſet, cum immanes feras & tot monſtra ingentia domuiſſet, ſolam domare hanc belluam non potuit. Nulla res illam placat, niſi magnorum hominum ſupremus dies. Accedit illud, quod ii, quorum animus ingenio excellit, tanto ſtudio inter ſeſe laudem induſtriae affectent, ut ſaepe illos ardentior affectus in quaſdam contentiones transverſos agat. Quicquid enim ejuſmodi eſt, in quo pulcrum eſt tenere principatum, de eo fit plerumque tanta concertatio, animorum alienatio, ut offenſae quaedam etiam inter conjunctiſſimos naſcantur, & officiorum ſuccedat atque amicitiae neglectis. Invenietur fortaſſis aliquis, qui de agris paternis velit cedere, at vero, qui ingenio velit cedere, reperietur nemo. Inter haec populus, peſſimus rerum aeſtimator, hanc aut illam partem non judicio, ſed affectu eligit, & quos ſequitur, de iis omnia magna & divina ſentit, quos damnat, eos paene in coelo antea poſitos, poſtmodum ad inferos trahit. Praeterea eſſe illud quadam fatorum lege agnatum cunctis mortalibus, ut dum corporis ſenſibus premimur, aliis quidem alia vitia, ſed omnibus tamen aliqua adhaereant. ſolitudinem quaerat oportet, qui vult cum perfectis vivere. Atque haec quidem vitia in praeſtantibus viris magnarum virtutum interventu penſantur, ſed has vix intueri hominum malevolentia ſolet. Non tam bene cum mortalibus agitur, ut res cunctas aſpicere ab ea parte ament, quae melior eſt. Muſca-

rum illud eſt ſordibus & rebus ſcabris inſidere; quae nitentia & glabra ſunt praetervolare. In formoſis ſaepe naevum aliquem aut verminam deridemus: & propter hanc divina illa ſpernitur pulcritudo, quae fuſa per totum corpus eſt. Laceſſere virtutem viventium, & malignis ſermonibus ſancta violare, morbus & furor improborum eſt, qui in coelum ipſum inſaniunt, & jam pridem bonam mentem ejuraverunt. Praebebant venenatis malorum ſalibus materiam Plato, Ariſtoteles, Democritus, dum in vivis eſſent. At extincti iidem a civibus ſuis pene adorabantur. haec eſt rerum natura. Incorruptum judicium poſteritatis eſt, & ſuum cuique decus ex vero rependit. Tum res demum recto oculo metimur, & qua major pars ingenii atque laudis ſtetit, illac de homine ſententia fertur. Agite, viri eruditi, & praemia, ſed magna, ſed luculenta, a nepotibus veſtris expectate. Alexandro haec ſumma voti fuit maximo Principi, ut ad vitam is rediret, cujus nunc nihil niſi nomen licebat venerari. Epictetum, divinum virum ſua aetas paene ignorabat. At cum mortuus eſſet, ipſa illa lucerna, ad quam noctu ſcripſerat, quam ille forte tribus emerat obolis, aliquot nummorum millibus vendita eſt. Non poterant ipſum Epictetum redimere. Abierat enim ad illa loca, unde negant redire quemquam. Igitur quod unum reſtabat, fracta illius vaſa magnis impenſis conquiſivere, & deſiderium ſuum hoc ſolum pacto ſolabantur. hoc eſt ſingulare fatum eorum, qui dum viverent, ingenium ſuum optimis artibus excoluere. Quare ſic aeſtimate, eximiam & coeleſtem quamdam rem eſſe eruditionem, quam poſteritas alit, quam ſenectus nulla debilitat, quam ipſa aeternitas ſemper intuebitur. Magna haec ſunt, magna profecto; & tamen haec a me ſic dicun-

dicuntur, ut interim exiſtimem, etiamſi omnia iſta illa abſint, nihilominus eſſe per ſe vehementer optandam doctrinam. Ipſa enim ſuis opibus pollet, & praeſidium ſibi in ſe habet. Nullum ſcientiarum praemium dignum ipſis extra ipſas eſt. Quantum enim illud eſſe creditis, maximarum rerum cognitione paſci! Aut quid ſuavius eſt, quam cum animus totus ſibi intentus ea cogitat diſcitque, quibus melior efficitur? Fortaſſe erro, ſed in hoc errore mori cupio. Mea enim ſic eſt ratio, & ſic ſemper mihi perſuaſi, cum genus hominum compoſitum ex corpore & anima ſit, & alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis ſit commune, multo illos praeclarius facere, qui animum ſuum, hoc eſt, ſe excolunt, quam qui corporis muniis intenti, vitam veluti pecora tranſiere: non enim corpus hoc, non membra, non ſtatura, ſed animus cujusque, id eſt quiſque. Hanc habuit vim praeceptum Apollinis, quo monebat ut ſe quisque noſceret. Res bruta eſt corpus, ex fluidis elementis contextum, ipſum ſibi interitus cauſſa, ex alimentis ſuis vitium trahens, quorum modo inopia, modo copia rumpitur. Nimis male haeret & precarii ſpiritus eſt iſta membrorum compages, quam Anaxarchus non corpus hercle, ſed follem ſuum appellabat. Apud Platonem Socrates, cum in carcere venenum hauſturus eſſet, & rogaret eum Crito, quo pacto vellet ſepeliri, ille ad caeteros converſus, fruſtra, inquit, amici, operam conſumpſi: Critoni enim noſtro nondum perſuaſi, me hinc avolare, neque quicquam mei relicturum. Veruntamen, Crito, ſi me reperire poteris, utcunque tibi viſum fuerit, ſepelito. Sed mihi crede, nemo me veſtrum, cum hinc exceſſero, conſequetur: Enimvero ſenſit Socrates, hominem eſſe ipſum animum, qui ex coeleſtibus ignibus

gnibus ad terram devectus, in corpore tanquam in exilio vivit, & domicilium ibi habet, divinae naturae ſuae, aeternitatique contrarium. Illic ſenſibus gravatur, illic rerum cognitioni, qua maxime gaudet, tantum ex parte ſe dat. Itaque cum bene eveniat cunctis mortalibus, quod ex hac vita aliquando emittantur, tum vero maxime hoc illis optabile eſt, qui ſcientiae amore flagrantes, praeclaris curis ſe fatigavere. Etenim animus illorum jam ſedibus ſuis, ſuaeque patriae redditus, nulla re impeditus amplius totum ſe in contemplandis rebus, perſpiciendisque ponit. Beatum vero te, beatum ter quaterque, *Vulcani*, qui cum omnem vitam in diſciplinarum ſtudiis egiſti, nunc, nunc inexplebilem cupiditatem tuam exſaturare potes, & ea inſpicere, ea diſcere, quae nos cuncti ignoramus. Nunc inter coeleſtes orbes vero lumine te imples. Nunc noctem noſtram & has tenebras, in quibus vivimus, miraris. Nunc procul dubio ſedes illic, & hoc ipſo momento ludibria cadaveris tui rides ex alto. Receptus es in eas ſedes, ubi cum *Lipſio*, cum magno *Scaligero*, denique cum tot erudititſſimis Viris dextram jungis, qui cum a nobis diſcederent, quod Socrates noſter dixit, nihil ſui reliquerunt. Et quid dicam amplius, aut quomodo dicam? aut quid omnino non dicam: Jam medius fidius cum iſtam ſortem tuam cogito, propemodum dolet mihi, quod me anteceſſiſti. Sed non patitur aut candor meus aut amor tui, ut tibi quidquam invideam. Igitur fruere tantis bonis, & felix nobis laetusque ſis, mi *Vulcani*, atque aeternum Vale.

Dixi.

INDEX I.

Eorum ad quos P. Cunaeus, aut qui ad eum Epiſtolas dederunt.

A*Lbbardtius* (Melchior) CCXCI. CCXCII.
Altingius (Henricus) CCCVI. CCCVIII.
Amama (Sixtinus) LXXX. LXXXI.
Arcerius (Sixtus), LXVII.
B*Achovius Echtius.* (Reinardus), CLIV. ad CLX.
Barlaeus (Caſparus), CLXXXVIII. ad CCXLVI.
Baſirius (Iſaacus) CCXCV.
Bertius (Petrus) LXII. LXIII.
Berovicius (Johannes) CCLXXIV. ad CCLXXVII.
Bouricius (Hector) CXLIII. ad CLI.
Brant (Johannes) CCLXXXVIII.
Bronckhorſtius (Gerardus) CLXXI.
Buchnerus (Auguſtinus) CCLXXVIII. ad CCLXXXII.
Buxtorfius Pater (Joannes) LXXXVI. ad XCV.
——— *filius* (Joannes) XCVI. ad CVIII.
C*Abeljavius* (Johannes) CCLXX. ad CCLXXIII.
Camerarius (Joachimus) CLXXII. ad CLXXIV.
Caſaubonus (Iſaacius) LXXV. LXXVI.
Cromboutius (Nicolaus) CCXCVI.
Cruſius (Albertus) LXXIX.
D*Ominici* (Johannes) CCLXXXV. CCLXXXVI.
Druſius Junior (Johannes) XXXVIII. XXXIX.
E*Sſen* (Henricus *ab*) CLXII.

F*Aber* (Antonius) CXXXV.
Fabricius (Vincentius) CCLXXXVIII. CCXC.
Feytius (Henricus) CCC.
Foreſtus (Joannes) LXXIII. LXXIV.
Friſen (Henricus *a*) CCLV. ad CCLXVI.
G*Evartius* (Janus Caſperius) CXX. CXXI.
Gomarus (Franciſcus) CCLIV.
Graswinckelius (Theodorus) CCLXXXIX.
Gronovius (Joh. Fridericus) CCCII. ad CCCVI.
Grotius (Hugo) XLIX. ad LX.
H*Einſius* (Daniel) LXVIII. ad LXXI.
Henningius (Henricus) I.
Hogerbeetſius (Rumoldus) XLVII. XLVIII.

Ho

Honertus (Rochus) CXXVI. ad CXXXIV.

J*Unius* (Franciſcus) XXXVII.

L*Indenbrogius* (Fridericus) CLXXXIV. ad CLXXXVII.
Liraeus (Juſtus) CCXCVII. ad CCXCVIII.
Lubbertus (Sibrandus) XL. ad XLVI.

M*An* (Rudolphus *de*) CCLXVII. ad CCLXIX.
Maurerius (Benjamin Auberius) CIX. ad CXIX.
Meurſius (Johannes) CLXXV. ad CLXXXII.
Miſleuta (Coeleſtinus) CLII.
Molino (Dominicus) CCXCIII. CCXCIV.
Mortonus (Thomas) CCXCIX.
Mylen (Cornelius *vander*) LXIV. ad LXVI.

N*Iportius* (Gerardus) CLXV.
——— (Johannes) CLXVI. ad CLXX.

P*Lancius* (Petrus) LXXVIII.
Pontanus (Johannes Iſaacius) CLXIII. CLXIV.
Pynackerus (Cornelius) CXCII.

R*Iccius* (Chriſtianus) CCLXXXIII. CCLXXXIV.
Rutgerſius (Janus) LXI.

S*Antenus* (Elandus) XXXV. XXXVI.
Scottus (Apollonius) *II. ad XXXIII.
—— (Simon) XXXIV.
Snellius (Willebrordus) LXXXII. ad LXXXV.
Sutholtius (Bernardus) CXXXVI. ad CXLI.
Swartzenburg Baro (Joannes Onuphrius) CXXXVI.

V*Ettius* (Adrianus) CCCI.
Villerius (Franciſcus) CLXI.
Vinnius (Arnoldus) CXXII. ad CXXV.
Vorſtius (Aelius Everardus) CLIII.
—— (Cunradus) LXXII.
Voſſius (Ger. Johannes) CCXLVII. ad CCLI.

W*Alaeus* (Johannes) CCLII. CCLIII.

Z*eiſtius* (Nicolaus) LXXVII.

IN-

Digitized by Google

INDEX II
VIRORUM CLARORUM,
quorum mentio fit.

A.

Acontius, 58.
Aemilius (*Anton.*) 49.
Aerſenius, 49.
Aitzma, 225.
Altingius (*Henr.*) 223. 231. 232.
Arcerius (*Sext.*) 86.
Arminius (*Jacobus*) 1. 2.

B.

Bachovius, 210. 212. 224. 225. 238. 248. 249.
Baersdorſius, 32.
Balk (*Everardus*) 214.
Balzacius, 390.
Barclajus, 206.
Barneveldius, 101.
Baſirius (*Iſaacus*) 317. 388.
Baudartius, 357. 360.
Baudius, 110. 123.
Beaumontius, 31.
Beinhem, 80.
Bernardus (*Joh. Baptiſta*) 114.
Bertius (*Petrus*) 46.
Beverovicius, 349.
Beza, 70.
Bouritius (*Hector*) 235.
Bouthellier (*Gabriel*) 323.
Brandmullerus (*Jacobus*) 168.
Brantius (*Johannes*) 102. 258. 378.
Brederodius (*Cornelius*) 191.
Bronckhorſtius (*Gerardus*) 238. 239. 240.
Broukhovius, 32.
Buchelius (*Arnoldus*) 282.
Buchnerus (*Auguſtinus*) 104. 342.
Buttinga (*Cornelius*) 214.
Buxtorfius (*Johannes*) 196.

C.

Cabeljavius (*Johannes*) 241. 359.
Calvinus (*Joh.*) 231.
Camerarius (*Joachimus*) 223.
Campius, 82.
Cantoclarus (*Carolus*) 127.
Cargerus (*Andreas*) 167. 169.
Caſaubonus (*Iſaac.*) 80. 392.
Caſſander (*Georg.*) 58.
Caſſius, 103. 104.
Catzius (*Jacobus*) 278. 368.
Cellarius, 289.
Clingbyl (*Raphaël*) 225.
Coddaeus, 46.
Corvinus, 100. 101. 278. 291.
Cothmannus, 204.
Couwenhovius, 283. 298.
Cyriander (*Abel.*) 134.

D.

Dartes (*Johannes*) 323.
Dedel (*Nicolaus*) 207.
Domanus, 113.
Donenborch, 80.
Druſius (*Johannes* fil.) 87. 133. 134.

E.

Emmius (*Ubbo*) 15.
Endius 114.

Eraſ-

Eraſmus (*Deſid.*) 66. 93. 131. 375.
Erpenius (*Th.*) 143.
Eſſen (*Henricus ab*) 239.
Everardus a Middelburgo, 41.

F.

FAber (*Antonius*) 34. 38. 41. 177.
Faber (*Timaeus*) 86. 214.
Fabricius (*Vincentius*) 257. 258. 259. 279. 377.
Ficinus, 114.
Flavigny (*Sebaſt.*) 323.
Foreſtus (*Petrus*) 82. 119.
Friſen (*Henric. à*) 102. 328.

G.

GAilius (*Andreas*) 41.
Gevartius (*Jan. Caſpar.*) 172. 174.
Goeddeus (*Joannes*) 233. 235.
Golius (*Jacobus*) 196.
Gomarus (*Franciſcus*) 79. 106.
Grangerius (*Johannes*) 323.
Graswinckelius (*Th.*) 384.
Gronovius (*Joh. Frider.*) 79.
Grotius (*Hugo*) 11. 12. 24. 103. 263. 273. 278. 279. 283. 332. 334. 345. 348. 378. 384.
Gruterus (*Janus*) 233. 236.
Gryphius, 131. 204.
Guntherus (*Fridericus*) 281.

H.

HArtmannus (*Chriſtian.*) 368. 369.
Hartzwichius (*Petrus*) 102. 103. 259. 334. 370. 371.
Haymannus, 244.
Heinſius (*Daniel.*) 6. 48. 82. 88. 93. 110. 112. 114. 148. 276. 277. 285. 294. 349. 357. 364.
Heuſſenius, 31.
Hofmannus (*Philipp.*) 214. 233. 235.
Hogerbeetzius (*Rumol.*) 6. 8. 25. 120.
Hommius (*Feſtus*) 48. 149.
Honertius (*Rochus*) 45. 46. 49. 75. 76.

I.

IAcchaeus, 46. 123.
Junius (*Adrianus*) 30.
Junius (*Franciſcus*) 10. 167.

L.

LEunclavius (*Johan.*) 69. 127.
Lindebrogius (*Frideric.*) 192. 257.
———. (*Henricus*) 193.
Lindemannus (*Thom.*) 204.
Lipſius (*Juſtus*) 66. 81. 93. 112.
Liraeus (*Juſtus*) 240.
Lubbertus (*Sibrand.*) 84. 88. 134. 219.
Lubinus (*Eilhardus*) 67.
Lyclama a Nieholt (*Marcus*) 235.

M.

MAcovius (*Joh.*) 134.
Martinus Navarrus (*Petrus*) 69. 127.
Mathenes 7.
Matthaeus (*Anton.*) 226. 235. 239. 240.
Mathiſius (*Joh.*) 1.
Maurerius (*Benjam. Auber.*) 202.
Memmus (*Ericus*) 174. 185.
Merckinius (*Conradus*) 77.
Merula (*Paulus*) 111.
Meurſius (*Johannes*) 46. 109. 110. 134.
Misleuta (*Coeleſtinus*) 226.

Mortonus (*Thomas*) 384.
Muiſſius (*Joh.*) 323.
Mullenius, 317.
Muſius, 49.
Mylius (*Corn.*) 8.
Myſingerus, 41.

N.

NAnnius (*Petrus*) 111.

O.

OVerbeecquius (*Matth.*) 270. 277. 314. 316.
Oxenſtiernius, 293. 294.
——— filius, 352.

P.

PAgninus, 10.
Paſſeratius, 185.
Pavius, 47.
Penning (*Arnold.*) 216.
Petitius, 282. 314.
Picardus (*Joan.*) 323.
Polkein (*Georg.*) 227.
Polyander (*Johan.*) 167.
Pontanus (*Joan. Iſ.*) 206.
Puteanus (*Claudius*) 185.
——— (*Petrus*) 185.
——— (*Erycius*) 111. 243. 352.
Pynackerus (*Corn.*) 132.

R.

REgemorterus (*Ambroſ.*) 85.
——— (*Petrus*) 215. 319.
Regnerus (*Cyprianus*) 397.
Reigersbergius, 103.
Rentzelius (*Petrus*) 258. 377.
Rigaltius (*Nicol.*) 323.
Rivetus (*Adr.*) 167. 253. 317. 357.
Roſecrantius, 317.
Ryckewardus (*Juſtus*) 103. 285. 288. 289. 291. 294.
Ryſenbergius (*Petrus*) 221.

S.

SAlmaſius (*Claudius*) 102. 253. 261. 319. 341. 345. 349.
Santenus (*Elandus*) 31.
Scaliger (*Joſeph.*) 141. 148. 253.
Scriverius (*Petrus*) 113. 206. 212. 301. 302.
Sevecotius (*Jacob.*) 117.
Sigonius (*Carol.*) 96.
Sionita (*Gabriel.*) 323.
Sladus (*Matth.*) 129.
Snellius (*Willebr.*) 20. 94.
Stakemannus (*Guil.*) 223.
Stochius, 82.
Straten (*Jacobus vander*) 273.
Sutholtius (*Bernh.*) 189. 191. 228.
Swaerdecroon, 285.
Swanenburgius (*Juſtus*) 101. 132.
Sylvius (*Cornel.*) 46. 187. 194.

T.

TAubmannus, 179.
Teunemannus (*Ambroſ.*) 117.
Thomae (*Balthaſ.*) 214.
Thyſius, 46.
Trelcatius (*Lucas*) 7.

V.

VAlens (*Johannes*) 323.
Vedelius, 306.
Venator, 59.
Viglius Zuichemius, 41. 376.
Vinnius (*Arnol.*) 188. 194. 319.
Vitellius 80.
Voëtius (*Gysb.*) 243. 244.
Vorſtius (*Adolfus*) 382. 383.
——— (*Everardus*) 48. 117.

INDEX II. VIRORUM CLARORUM.

Vorſtius (*Joſephus*) 246.
Vosbergius (*Caſpar.*) 231.
Voſſius (*Gerard. Joan.*) 250. 251. 256.
— (*Dionyſius*) 277. 320.
— (*Joannes*) fil. 228.
Vulcanius (*Bonav.*) 93. 111. 123.

W.

WAlaeus (*Anton.*) 46. 96. 199.
Werdenhagius, 361.
Weſterburchius, 263.
Wetſtenius (*Rod.*) 263.
Wibinga (*Martin.*) 212. 218.
Wickefort (*Abraham.*) 290.
——— (*Joachim.*) 290. 316.
Utenbogardus (*Job.*) 96.

Z.

ZEvecotius (*Jacob.*) 389.
Zeyſtius (*Nicol.*) 100. 132.

INDEX III.

RERUM ET VERBORUM.

A.

AAron *ad dextram Moyſis, ante librum Cunaei de Repub. Hebraeorum*, 265
Abrahami *fides*, 108
Academia *Leidenſis*, 46, 110, 142, 144, 147, 201
— *Ultrajectina*, 245, 361, 362
Academiae *Pariſienſis ſtatus*, 323
Accentus & *puncta Hebraica*, 142. 145
Adam, *an ſi ſervaſſet legem, Salutem conſequi potuiſſet?* 87
Adami *proles*, 83
Adriatici *maris dominium*, 183. 382. 383
Amſtelodamenſe *Gymnaſium*, 261. 264. 267
Argenis *Barclai*, 206
Α῎ῤῥεα, 139
Aſſyrii *Regni Chronologia*, 16. & ſeq.

B.

BAbylonii *Regni Chronologia*, 16. & ſeq.
Bachovii *defectio ad Papiſmum*, 210. 248
Barclai *Argenis*, 206
Barlaei *carmen in Manaſſem*, 30
— *melancholia*, 268. & ſeq. 309
Barneveldiſtae, 30
Biblia *in capita diſtincta*, 154
Bubalus, 86
Buxtorfii *vocatio in Academiam Leidenſem*, 43. & ſeq.
Car-

C.

Carmen *Barlaei in Maſſaſſem*, 306
Caſauboni *Epiſtolae*, 392
Chriſtianae *religionis pauca capita*, 12
Cicero *emendatus*, 18
Citra *pro praeterquam, vel fine*, 322
Codicis *lex* 18. *de Tranſ. illuſtrata*, 322
Commelinorum *negligentia in edendo Euſebio Scaligeri*, 326
Cunaeus (*Petrus*) *Arminii diſcipulus*, 1. 2. 4
— *Linguae Latinae Profeſſor*, 7
— *Joſephum edere vult*, 15
— *Uxorem ducit*, 15
— *chronologica ſtudia non amabat*, 19
— *ſcribit de iis, quae ſunt juris & facti*, 33
— *ſcribit de Fructibus*, 33
— *cum deputatis Synodi agit*, 47. 76
— *Profeſſor fuit novem annos, antequam publicarum cerimoniarum conſors eſſet*, 47. 68
— *propter luem quinque menſes Leida ſecedit*, 255 297
— *pro foederatis ordinibus aliquid vertit*, 49
— *Quaeſturam Academicam ambit*, 77
— *ob orationem in funere Vulcanii male audit*, 93 111, 123
Cunaeus (*Petrus*) *Horatii Satyras explicat*, 94
— *in Lucanum ſcribere proponit*, 95
— *Pariſios ire vult, ſed impeditur*, 96. 116
— *Linguae Latinae Profeſſionem petit*, 109
— *Syndicus Medioburgenſis eſſe noluit*, 110
— *Foro annum unum operam dedit*, 116
— *Satyram Menippeam edit*, 118. 119 121. 122
— *factus ordinarius Profeſſor*, 122
— *Poëta non erat, nec Poëtices Profeſſionem deſiderabat*, 135. 366
— *ratio ejus habita, ut Senator ſupremae curiae fieret*, 195
— *vocatus Franequeram*, 219
— *de eo Amſtelaedamum vocando actum*, 261
— *praemio auctus*, 366
— *ejus infans a nutrice oppreſſus*, 201
— *Nicolaus filius peſtilentia extinctus*, 286
Curatores *Academiae Leidenſis*, 197. 207

D.

Deputatorum *Synodi Suydhollandiae impotentia*, 46. 48
Diligentia *in jure quid ſit*, 393. 394
Dominium *maris Adriatici*, 183. 382. 383

 Ec-

E.

Eccleſiaſtes *Salomonis*, 8.
Eccleſiaſticae *formulae*, 74
Emancipati *exhaeredatio*, 26
Epiſtolae *doctorum virorum an temere evulgandae*, 78
— *Caſauboni*, 392
— *Scaligeri*, 233
Euſebii *Scaligeriani editio retardata*, 325

F.

Fides *Abrahami*, 108
— *Patriarcharum*, 72
Formulae *Eccleſiaſticae*, 74
Fructuum *in Jure Romano ratio*, 38

G.

Germaniae *miſer ſtatus*, 336. 339. 344
Grotii *liber contra Socinum*, 49
— *de Jure ſummarum poteſtatum in ſacra*, 25
— *pietas Ordinum Hollandiae*, 11. 94. 97
Guſtavus Adolfus *Rex Sueciae*, 273. 333
Gymnaſium *Amſtelaedamenſe*, 261. 264. 267
— *Ultrajectinum*, 241. 386

H.

Hebraeorum *regimen in ſacra*, 97
Hebraeae *linguae accentus & puncta*, 142. 145
Hebraeae *Typographiae*, 154
Heinſii *Herodes*, 309
— *Maximus Tyrius*, 114
— *vituperatio*, 183
Herodotus *illuſtratus*, 139
Hollandorum *in Gallia peregrinantium mores*, 80
Hollandiae *Ordines modum docendi in ſcholis inſtituunt*, 237
Honerti *filius in Italia ab inquiſitione in carcerem conjectus*, 198. 263

I.

Jeſuitae, 89
Joſephus *illuſtratus*, 140
Jubilaeus *annus*, 136
Judaeae *magnitudo*, 140
Judaicae *leges*, 12
Julianus *Imperator*, 56. 69. 227
Juris *Profeſſor qualis eſſe debet*, 75
Juriſconſulti *Galli loca plurima auctorum cumulare ſolent*. 323
Juvenalis *MSS.* 106

L.

Laſcivire, 115
Legatio *in Poloniam*, 291
Leges *Judaicae*, 12
Leidenſis *Academiae ſtatus*, 110
— *Curatores*, 197. 201
— *Profeſſores*, 144. 385
Leidenſis *Academia*, 46. 110. 142. 144. 197. 201
Literarum *ſtudium ante Theologiae inſtituendum*, 3
Longinus, 178

M.

Machiavellus, 275
Maris *Adriatici dominium*, 183. 382. 383
Maſorethae, 142
Maximus *Tyrius Heinſii*. 114
Medici *in Gallia veterum ſcriptorum loca ambitioſe citant*, 325
Melchiſedecus, 13. 57. 71. 91
Menaſſes *ben Iſraël*, 306

Mui-

Muiſchius *Graphiarius*, 299

N.

NEgligentia *in jure quid ſit*, 393. 394

Noachica *praecepta*, 159

O.

ORdo *docendi in Scholis Hollandiae*, 237

P.

PAndectae *illuſtrati aut emendati*, 25. & ſeq. 38. & ſeq. 42. 43. 393. 394

Pariſienſis *Academia*, 323

Patriarcharum *fides*, 72

Peccata *magnorum virorum*, 178

Peſtilentia, 256. 284

Plautus *explicatus*, 180

—— *Taubmanni*, 199

Poëtica *ποιητική*, 282

Polonica *legatio*, 291

Praeſtare *quid ſignificet in jure*, 41. 42

Profeſſor *Juris qualis eſſe debeat*, 73

—— *Pariſinus contra Cunaeum ſcribit*, 174. 186

Profeſſores *Leidenſes*, 144. 385

—— *exauctorati*, 46. 142

—— *Pariſienſes*, 323

Proſelytae, 160

Puncta & *accentus Hebraici*, 142. 145

Puteani (*Erycii*) *ſtatera belli & pacis*, 353

R.

REligionis *Chriſtianae pauca capita*, 12

Remonſtrantes, 45

S.

SAturnalia, 115

Scaligeri *epiſtolae temere editae*, 233

—— *Euſebius*, 325

Scholarum *Hollandiae modus in docendo*, 237

Scripturae *Sacrae loca illuſtrata*, 15. 106. 266

Statera *Belli & pacis Puteani*, 353

Studia *literarum ante Theologica inſtituenda*, 3

Subditivus, 180

Sueciae *Rex*, 273. 333

Sutholdi (*Bernardi*) *ad Papiſmum tranſitus*, 209

T.

TAubmanni *Plautus*, 179

Terminus *Vitae*, 364. 365

Theologi, 54. 55. 95. 121. 122. 133. 199

—— *irritabiles*, 11

—— *putidi*, 12

Tholoſates, 80

Typographi *avari & lucri cupidi*, 252

Typographiae *Hebraicae*, 252

V.

VEnetorum *dominium in mare Adriaticum*, 183. 382. 383

Ultrajectina *Academia*, 245. 361. 362

Ultrajectinum *Gymnaſium*, 241. 386

Uſcochi, 382. 383

Uſuraria *uxor*, 180

E R R A T A.

P. 16.	lin. 1.	Petro Cunaeo	lege. A. Scottus Petro Cunaeo.
17.	9.	Nabuchodoſoro	Nubuchodonoſoro
	39.	19. Nabuch.	19. Nabuch.
33.	32.	ininjuſta	injuſta
	38.	peccario	precario
50.	34.	Oramagden	Oromasden
52.	3.	tunc	nunc
56.	20.	Zozomenes	Zozomenus
80.	14.	quamplurimum	quamprimum
	22.	rota	rotas
82.	4.	repetos	repeto
84.	32.	ſi	ſibi
91.	11.	quia	quin
106.	12.	eſſem	eſſes
114.	1.	fuiſſe	fuiſſes
139.	ult.	rei	re
149	not. 2.	literariae	literario
196.	31.	Pavioque	Pavio vero fuit. Egi
202.	23.	Audiviſſem	Adiviſſem
225.	24.	Clingbii	Clingbyl
235.	22.	Lvckeman	Lyclamam
244.	12.	deeſt	decet
250.	9	a	dele
262.	12.	deſerta	diſerta
270.	not. 1.	in pago	ad quem in pago
278.	33.	hac adducam	huc adducant
292.	14.	ego	egi
358.	5.	& inviſum	nec inviſum
359.	not. 9.	deinde	deinde altera
371.	10.	&	dele
379.		Epiſtola ccxc. praeponenda cclxxxix.	

MAG 2023800

Digitized by Google